ARCANA COELESTIA

QUAE IN

SCRIPTURA SACRA,

SEU

VERBO DOMINI

SUNT, DETECTA:

HIC QUAE IN

GENESI.

UNA CUM MIRABILIBUS,

QUAE VISA SUNT

IN MUNDO SPIRITUUM ET COELO ANGELORUM.

OPUS

EMANUELIS SWEDENBORG.

AD FIDEM EDIT. PRINCIP. 1749 ss. LONDINI EXCUSAE
DENUO CASTIGATIUS EDIDIT

D.r JO. FR. IM. TAFEL.

PARS QUINTA

SEU TOTIUS OPERIS VOL. VIII.

PROSTAT

TUBINGAE

IN BIBLIOPOLIO ZU-GUTTENBERG.

1839.



PARS QUINTA.

LIBRI GENESEOS

CAPUT QUADRAGESIMUM PRIMUM.

1. Et factum a fine biennii dierum, et Pharao somnians, et ecce stans juxta fluvium.

2. Et ecce e fluvio ascendentes septem vaccae, pulchrae aspectu, et pingues carne, et pascebant in ulva.

3. Et ecce septem vaccae aliae, ascendentes post eas e fluvio, malae aspectu, et graciles carne, et steterunt juxta vaccas super ripa fluvii.

4. Et comederunt vaccae malae aspectu, et graciles carne, septem vaccas pulchras aspectu et pingues; et expergefactus Pharao.

5. Et obdormivit, et somniavit secundo, et ecce septem aristae ascendentes in calamo uno, pingues et bonae.

6. Et ecce septem aristae graciles, et exustae euro, germinantes post illas.

7. Et absorbebant aristae graciles septem aristas pingues et plenas; et expergefactus Pharao, et ecce somnium.

8. Et factum in matutino, agitatus spiritus illius, et misit et vocavit omnes magos Aegypti, et omnes sapientes illius, et narravit Pharao illis somnium suum, et nemo interpretans illa Pharaoni.

9. Et loquutus princeps pincernarum cum Pharaone, dicendo, peccatorum meorum ego recordor hodie.

10. Pharao succensuit super servos suos, et dedit me in custodiam domo principis satellitum, me et principem pistorum.

11. Et somniavimus somnium in nocte una, ego et is, quisque secundum interpretationem somnii sui somniavimus.

12. Et ibi cum nobis puer Hebraeus servus principi satellitum, et narravimus ei, et interpretatus nobis somnia nostra, cuique secundum somnium suum interpretatus.

13. Et factum, quemadmodum interpretatus nobis, ita fuit, me reduxit super stationem meam, et eum suspendit.

14. Et misit Pharao, et vocavit Josephum, et acceleraverunt eum e fovea, et totondit, et mutavit vestes suas, et venit ad Pharaonem.

15. Et dixit Pharao ad Josephum, somnium somniavi, et interpretans nemo illud; et ego audivi super te, dicendo, audias somnium ad interpretandum illud.

16. Et respondit Joseph Pharaoni, dicendo, non ad me, Deus respondebit pacem, Pharao.

17. Et loquutus Pharao ad Josephum; in somnio meo, ecce me stantem juxta ripam fluvii.

18. Et ecce e fluvio ascendentes septem vaccae pingues carne et pulchrae forma, et pascebant in ulva.

19. Et ecce septem vaccae aliae ascendentes post eas, tenues et malae forma valde, et macilentae carne, non vidi sicut eas in omni terra Aegypti quoad malignitatem.

20. Et comederunt vaccae macilentae et malae septem vaccas priores pingues.

21. Et venerunt ad viscera earum, et non cognitum quod venerint ad viscera earum, et aspectus earum malignus quemadmodum in initio, et expergefactus sum.

22. Et vidi in somnio meo, et ecce septem aristae ascendentes in calamo uno, plenae et bonae.

23. Et ecce septem aristae, aridae, graciles, et exustae euro, germinantes post illas.

24. Et absorpserunt aristae graciles septem aristas bonas; et dixi ad magos, et nemo indicans mihi.

25. Et dixit Joseph ad Pharaonem; somnium Pharaonis unum illud, quod Deus faciens indicavit Pharaoni.

26. Septem vaccae bonae, septem anni eae, et septem aristae bonae, septem anni illae, somnium unum illud.

27. Et septem vaccae graciles et malae ascendentes post

eas, septem anni eae, et septem aristae vacuae, exustae euro, erunt septem anni famis.

28. Hoc verbum, quod loquutus sum ad Pharaonem, quod Deus faciens, videre fecit Pharaonem.

29. Ecce septem anni veniunt, abundantia annonae magna in omni terra Aegypti.

30. Et surgent septem anni famis post eos, et oblivioni dabitur omnis abundantia annonae in terra Aegypti, et consumet fames terram.

31. Et non cognoscetur abundantia annonae in terra, a coram fame illa posthac, quia gravis ea valde.

32. Et super iterari somnium ad Pharaonem duabus vicibus, quia stabilitum Verbum a cum Deo, et festinans Deus facere illud.

33. Et nunc videat Pharao virum intelligentem et sapientem, et constituat illum super terram Aegypti.

34. Faciat Pharao, et praeficiat praefectos super terram, et quintet terram Aegypti in septem annis abundantiae annonae.

35. Et congregent omnem cibum annorum bonorum venientium illorum, et congerant frumentum sub manu Pharaonis, cibum in urbibus, et custodiant.

36. Et sit cibus ad depositum terrae, ad septem annos famis, qui erunt in terra Aegypti, et non exscindetur terra in fame.

37. Et bonum fuit verbum in oculis Pharaonis, et in oculis omnium servorum illius.

38. Et dixit Pharao ad servos suos, num inveniemus sicut hunc virum, in quo spiritus Dei.

39. Et dixit Pharao ad Josephum, postquam cognoscere fecit Deus tibimet omne hoc, nemo intelligens et sapiens sicut tu.

40. Tu eris super domo mea, et super ore tuo osculabitur omnis populus meus, tantum solio magnus ero prae te.

41. Et dixit Pharao ad Josephum, vide, dedi te super omnem terram Aegypti.

42. Et removit Pharao annulum suum a super manu sua, et dedit illum super manum Josephi, et vestivit eum vestibus byssi, et posuit torquem auri super collum ejus.

43. Et vehi fecit eum in curru secundario qui sibi, et clamaverunt ante eum Abrech, et dando eum super omnem terram Aegypti.

44. Et dixit Pharao ad Josephum, ego Pharao, praeter te non extollet vir manum suam et pedem suum, in omni terra Aegypti.

45. Et vocavit Pharao nomen Josephi Zaphenat Paĕneach, et dedit ei Asenath filiam Potiphaerae sacerdotis On in mulierem: et exivit Joseph super terram Aegypti.

46. Et Joseph filius triginta annorum in stando eo coram Pharaone Rege Aegypti, et exivit Joseph a coram Pharaone, et transivit in omnem terram Aegypti.

47. Et fecit terra in septem annis abundantiae annonae collectiones.

48. Et congregavit omnem cibum septem annorum, qui fuerunt in terra Aegypti, et dedit cibum in urbibus, cibum agri urbis, quae circum circa illam, dedit in medio illius.

49. Et congessit Joseph frumentum, sicut arenam maris multum valde, usque quod cessavit ad numerandum, quia nullus numerus.

50. Et Josepho natum, duo filii, antequam venit annus famis, quos peperit ei Asenath filia Potiphaerae sacerdotis On.

51. Et vocavit Joseph nomen primogeniti Menascheh, quia oblivisci me fecit Deus omnis laboris mei, et omnis domus patris mei.

52. Et nomen secundi vocavit Ephraim, quia fructificari fecit me Deus in terra afflictionis meae.

53. Et absoluti septem anni abundantiae annonae, quae fuit in terra Aegypti.

54. Et inceperunt septem anni famis venire, quemadmodum dixit Joseph, et fuit fames in omnibus terris, et in omni terra Aegypti fuit panis.

55. Et famem passa omnis terra Aegypti, et clamavit populus ad Pharaonem pro pane, et dixit Pharao omni Aegypto, ite ad Josephum, quod dicit vobis, faciatis.

56. Et fames fuit super omnibus faciebus terrae, et aperuit Joseph omnia in quibus, et vendidit Aegypto, et invalescebat fames in terra Aegypti.

57. Et omnis terra venerunt Aegyptum ad emendum, ad Josephum, quia invaluit fames in omni terra.

CONTENTA.

5191. In hoc Capite in sensu interno agitur de altero statu coelestis spiritualis, quod est Josephus, nempe de ejus exaltatione super illa quae sunt naturalis seu externi hominis, ita super omnia scientifica ibi, quae sunt Aegyptus.

5192. Pharao est Naturale in genere, quod nunc quievit, et reliquit omnia Coelesti spiritualis quod est Josephus. Septem anni abundantiae annonae in terra Aegypti sunt scientifica, quibus bonum a coelesti spiritualis applicari possit: septem anni famis, sunt status sequentis, cum nihil bonum in scientificis, nisi quod a Divino coelesti spiritualis, quod a Divino Humano Domini. De his in sequentibus agitur in specie.

SENSUS INTERNUS.

5193. Vers: 1. 2. 3. 4. *Et factum a fine biennii dierum, et Pharao somnians, et ecce stans juxta fluvium. Et ecce e fluvio ascendentes septem vaccae, pulchrae aspectu et pingues carne, et pascebant in ulva. Et ecce septem vaccae aliae, ascendentes post eas e fluvio, malae aspectu, et graciles carne, et steterunt juxta vaccas super ripa fluvii. Et comederunt vaccae malae aspectu et graciles carne, septem vaccas pulchras aspectu et pingues; et expergefactus Pharao.* Et factum a fine biennii dierum, significat post statum conjunctionis: et Pharao somnians, significat provisum de naturali: et ecce stans juxta fluvium, significat a termino ad terminum: et ecce e fluvio, significat quod in termino: ascendentes septem vaccae, significat vera naturalis: pulchrae aspectu, significat quae fidei: et pingues carne, significat quae charitatis: et pascebant in ulva, significat instructionem: et ecce septem vaccae aliae ascendentes post eas e fluvio, significat falsa quae naturalis etiam in termino: malae aspectu, significat quae non fidei: et graciles carne,

significat nec charitatis: et steterunt juxta vaccas super ripa fluvii, significat quod in terminis ubi vera: et comederunt vaccae malae aspectu et graciles carne, significat quod falsa quae non fidei et non charitatis exterminarent: septem vaccas pulchras aspectu et pingues, significat vera naturalis quae fidei et charitatis: et expergefactus Pharao, significat illustrationis statum.

5194. Et factum a fine biennii dierum, quod significet post statum conjunctionis, nempe sensualium quae sunt naturalis exterioris cum illis quae sunt naturalis interioris, de quibus in Capite praecedente actum est, constat a significatione biennii dierum, seu temporis duorum annorum, quod sint status conjunctionis, binum enim seu duo significant conjunctionem, n: 1686. 3519, et anni, tum quoque dies significant status, quod anni, videatur n: 487. 488. 493. 893; quod dies, n: 23. 487. 488. 493. 2788. 3462. 3785. 4850. Quod duo significent conjunctionem, est quia omnia et singula quae in spirituali mundo et inde quae in naturali, se referunt ad duo, nempe ad bonum et verum, ad bonum ut ad agens et influens, et ad verum ut ad patiens et recipiens, et quia se referunt ad illa duo, et nihil usquam producitur, nisi duo illa unum fiunt per quoddam instar conjugii, inde est quod per duo significetur conjunctio: tale instar conjugii est in omnibus et singulis naturae, ac trium ejus regnorum, absque illo nihil quicquam existit; ut enim aliquid existat in natura, erit calor et lux, calor in naturali mundo correspondet bono amoris in spirituali mundo, et lux correspondet vero fidei; illa duo, nempe calor et lux, unum agent, si aliquid producendum; at si non unum agunt, ut fit tempore hyemis, nihil prorsus producitur; quod spiritualiter se quoque ita habeat, patet manifeste apud hominem; sunt duae facultates apud hominem, nempe voluntas et intellectus, voluntas formata est ad recipiendum calorem spiritualem, hoc est, bonum amoris et charitatis, et intellectus ad recipiendum lucem spiritualem, hoc est, verum fidei, illa duo apud hominem nisi unum [1] faciant, nihil producitur, bonum enim amoris absque vero fidei non aliquid determinat et qualificat, et verum fidei absque bono amoris non aliquid efficit; quapropter ut in homine sit conjugium coeleste, seu is in conjugio coelesti, duo illa facient unum apud illum: inde est, quod antiqui omnia et singula in mundo,

et omnia et singula apud hominem, assimilaverint conjugiis, n: 54. 55. 568. 718. 747. 917. 1432. 2173. 2516. 2731. 2739. 2758. 3132. 4434. 4823. [2] 5138: ex his constare potest, unde est quod duo significent conjunctionem.

5195. Et Pharao somnians, quod significet praevisum de naturali, constat ex repraesentatione Pharaonis, quod sit naturale, de qua n: 5079. 5080. 5095. 5160; et ex significatione somniare, quod sit praedictio futurorum, ita in supremo sensu Praevidentia, de qua n: 3698. 4682. 5091. 5092. 5104; et quia est praevidentia seu praevisum, est quoque providentia seu provisum, nam unum absque altero non datur; Providentia enim spectat statum successivum in aeternum, qui nisi praevidetur, non provideri potest; providere praesentia, et non simul praevidere futura, et sic non in praesentibus haec simul providere, foret absque fine, absque ordine, et consequenter absque sapientia et intelligentia, ita non ex Divino: sed de bono praedicatur Providentia, et de non bono Praevidentia, n: 5155; de bono non praedicari potest Praevidentia, quia bonum est in Divino, et existit ab ipso Divino, et secundum Divinum, sed de non bono et de malo, nam hoc existit extra Divinum ab aliis qui contra Divinum; ita quia de bono dicitur Providentia, dicitur quoque de conjunctione naturalis cum coelesti spiritualis, de qua in hoc Capite agitur, quapropter per somniare hic significatur provisum.

5196. Et ecce stans juxta fluvium, quod significet a termino ad terminum, constat ex significatione fluvii, hic fluvii Aegypti seu Nili, quod sit terminus; quod fluvius sit terminus, est quia fluvii magni, nempe Euphrates, Jordanes, et Nilus, ac insuper mare, erant termini ultimi terrae Canaanis, et quia ipsa terra Canaan repraesentabat Regnum Domini, et inde omnia loca ibi repraesentabant varia in illo Regno, consequenter fluvii repraesentabant ultima seu terminos ibi, videatur n: 1866. 4116. 4240: Nilus seu fluvius Aegypti repraesentabat sensualia parti intellectuali subjecta, ita scientifica quae ex illis, nam haec sunt ultima spiritualium Regni Domini. Quod a termino ad terminum significetur, est quia dicitur de Pharaone, quod is stans juxta fluvium, per Pharaonem enim repraesentatur Naturale in communi, n: 5160; prospicere aliquid ab inte-

riori usque ad ultimum, repraesentatur per stare juxta ultimum, ita fit in mundo spirituali; et quia tunc a termino ad terminum prospicitur, idcirco id per illa verba in sensu interno significatur.

5197. Et ecce e fluvio, quod significet quod in termino, constat ex significatione fluvii, quod sit terminus, de qua mox supra n: 5196; quod e fluvio sit in termino, est quia ibi apparebant.

5198. Ascendentes septem vaccae, quod significet vera naturalis, constat a significatione vaccarum, quod sint vera naturalis, de qua sequitur; quod septem fuerint, est quia septem significant sanctum, n: 395. 433. 716, et inde numerus ille adjicit sanctitatem rei, de qua agitur n: 881, res etiam, de qua hic agitur, est sancta, agitur enim de ulteriori renascentia naturalis per conjunctionem ejus cum coelesti spiritualis. Quod vaccae seu juvencae significent vera naturalis, constare potest ex eo, quod boves et juvenci significent bona naturalis, n: 2180. 2566. 2781. 2830; in Verbo enim, ubi masculus significat bonum, ibi foemina verum, ac vice versa, ubi masculus significat verum, ibi foemina bonum, inde est quod vacca significet verum naturalis, quia bos significat bonum ejus: quod omnes bestiae, quaecunque in Verbo nominantur, significent affectiones, bestiae malae et inutiles affectiones malas, at bestiae mites et utiles affectiones bonas, videatur n: 45. 46. 142. 143. 246. 714. 715. 719. 776. 1823. 2179. 2180. 3218. 3519; causa quod significent, est ex repraesentativis in mundo spirituum, cum enim sermo est in coelo de affectionibus, tunc repraesentantur in mundo spirituum bestiae, quae correspondent illius generis affectionibus, de quibus sermo est, quod etiam saepius mihi videre datum est; et aliquoties miratus sum, unde id, at perceptum, quod bestiarum vitae non aliud sint, quam affectiones, sequuntur enim affectionem suam ex instinctu absque ratione, et sic feruntur quaelibet ad suum usum; affectionibus illis absque ratione non aliae formae corporum competunt, quam quales sunt in quibus apparent super terra; inde est, cum de solis affectionibus est sermo, quod formae earum ultimae similes formis corporum talium bestiarum appareant, nam aliis indui nequeunt affectiones illae, quam quae correspondent: visae

quoque mihi sunt bestiae peregrinae, quae in mundo nullibi existunt, fuerunt ex affectionibus ignotis, et ex affectionibus mixtis: inde nunc est, quod in Verbo per bestias significentur affectiones, sed quaenam affectiones, non aliunde patet quam ex sensu interno; quod per boves significetur bonum naturalis, videatur in locis supra citatis, et quod per vaccas vera naturalis, constare potest ab illis locis ubi nominantur, ut apud Esaiam Cap: XI: 7. Hosch: Cap: IV: 16. Amos Cap: IV: 1: tum quoque ex aqua separationis qua mundarentur, quae parata fuit ex *vacca rufa* combusta in cinerem extra castra, cui admiscebatur lignum cedri, hyssopus et dibaphum coccineum, Num: XIX: 2 ad 11; is processus cum recluditur per sensum internum, indicat quod per vaccam rufam significetur verum naturalis immundum, quod mundum factum per combustionem, tum quoque per talia quae significantur per lignum cedri, hyssopum et dibaphum coccineum; aqua inde repraesentabat medium purificationis.

5199. Pulchrae aspectu, quod significet quae fidei, constat ex significatione pulchritudinis et aspectus, pulchritudo spiritualis est affectio veri interioris, et aspectus spiritualis est fides, inde per pulchras aspectu significatur affectio veri fidei, videatur n: 553. 3080. 3821. 4985: quod pulchritudo spiritualis sit affectio veri interioris, est inde, quia verum est forma boni, ipsum bonum quod a Divino in coelo, est, a quo vita est angelis, sed forma vitae illorum est per vera quae a bono illo; ast verum fidei non facit pulchritudinem, sed ipsa affectio quae inest veris fidei quae est a bono; pulchritudo ex solo vero fidei, se habet sicut pulchritudo faciei pictae vel sculptae, sed pulchritudo ex affectione veri quae ex bono, se habet sicut pulchritudo faciei vivae animatae ab amore coelesti, nam qualis amor seu qualis affectio elucet ex forma faciei, talis est pulchritudo: inde est, quod angeli appareant pulchritudine ineffabili; ex faciebus illorum elucet bonum amoris per verum fidei, quae non solum coram visu apparent, sed etiam percipiuntur a sphaeris quae ex illis, causa quod inde pulchritudo, est quia universum coelum est Maximus Homo, et correspondet omnibus et singulis apud hominem, qui itaque in bono amoris et inde in vero fidei est, in forma coeli est, consequenter in pulchritudine, in qua coelum

ubi Divinum a Domino est omne in omnibus: inde quoque est, quod qui in inferno sunt, quia contra bonum et verum, sint deformitate horrenda, et quod in luce coeli non appareant sicut homines, sed sicut monstra. Quod aspectus spiritualis sit fides, est quia aspicere et videre in sensu interno est intelligere, ac in sensu adhuc interiori fidem habere, videatur n: 897. 2150. 2325. 2807. 3863. 3869. 4403 ad 4421.

5200. Et pingues carne, quod significet quae charitatis, constat ex significatione pinguis seu pinguedinis, quod sit coeleste, et praedicetur de bono quod est amoris et charitatis, de qua n: 353; et ex significatione carnis, quod sit voluntarium vivificatum per bonum a Domino, de qua n: 148. 149. 780. 999. 3812. 3813, ita quoque bonum quod amoris et charitatis; inde sequitur, quod per pingues carne significentur quae charitatis, cum per pulchras aspectu quae fidei; ita describuntur vera naturalis, quae significantur per vaccas, per suum formale, et per suum essentiale, formale constituunt illa quae sunt fidei, et essentiale illa quae sunt charitatis; quod ita sit, non apparet ex sensu literae.

5201. Et pascebant in ulva, quod significet instructionem, constat ex significatione pascere, quod sit instrui, de qua sequitur; et ex significatione ulvae seu graminis majusculi quod prope fluvios, quod sint scientifica, quae naturalis hominis; quod gramen seu herba sint scientifica, ex Verbo liquet; pascere itaque in ulva est instrui in scientificis, et per scientifica de veris et bonis; scientifica enim sunt media, et sunt quasi specula, in quibus imago interiorum se sistit, et in hac imagine sicut iterum in speculo, se sistunt et repraesentant vera et bona fidei, proinde illa quae sunt coeli, ac spiritualia vocantur; sed haec imago, quia interior, non aliis apparet, quam qui in fide ex charitate sunt; hoc in genuino sensu significatur per pascere in ulva. Quod pascere sit instrui, patet ab illis locis in Verbo, ubi legitur, ut apud Esaiam, „Tum dabit pluviam seminis tui, quo conseris terram, et panem proventus terrae, et erit pingue et opulentum, *pascent* pecora tua die illo *prato lato*," XXX: 23, pecora pro illis qui in bono et vero sunt, pascere prato lato, pro instrui abunde. Apud Eundem „Dedi Te in foedus populi ad restituendum terram, ad partiendum haereditates devastatas, ad

dicendum vinctis, exite, eis qui in tenebris revelamini, *super viis pascent*, et in omnibus clivis *pascuum* eorum," XLIX: 8. 9, ibi de adventu Domini, super viis pascere pro instrui in veris, quod viae sint vera, videatur n: 627. 2333, pascuum pro ipsa instructione. Apud Jeremiam „Vae *pastoribus* perdentibus et dispergentibus gregem *pascui mei*, propterea dixit Jehovah Deus Israëlis contra *pastores pascentes populum meum*," XXIII: 1. 2; pastores pro illis qui instruunt, et grex pro illis qui instruuntur, n: 343. 3795, ita pascere pro instruere; quia solenne factum docentes vocare pastores, et discentes gregem, ideo quoque inter formulas loquendi receptum est dicere pascere, cum sermo est de praedicatione, seu de instructione ex doctrina aut Verbo; sed hoc fit comparative, non autem significative sicut in Verbo; quod pascere in Verbo dicatur significative, est causa, quia cum sermo est in coelo de instructione, et de doctrina ex Verbo, tunc in mundo spirituum, ubi spiritualia apparent naturaliter, repraesentantur ad visum prata virentia graminibus, herbis, floribus, et quoque greges ibi; et hoc cum omni varietate secundum quale sermonis in coelo de instructione et doctrina. Apud Eundem „Reducam Israëlem ad habitaculum illius, ut *pascat* in Carmele et Baschane, ac in monte Ephraimi, et Gileade saturetur anima illius," L: 19; pascere in Carmele et Baschane pro instrui in bonis fidei et charitatis. Apud Eundem „Exivit e filia Zionis omnis honor illius, facti sunt principes illius sicut cervi, non invenerunt *pascuum*," Thren: I: 6. Apud Ezechielem „*In pascuo bono pascam eos*, et in montibus celsitudinis Israëlis erit *caula* eorum, et cubabunt in *caula bona*, et *pascuum pingue depascent* super montibus Israëlis," XXXIV: 14. Apud Hoscheam „Nunc *pascet* eos Jehovah, sicut ovem in latitudine," IV: 16; pascere in latitudine pro instruere in veris, quod latitudo sit verum, videatur n: 1613. 3433. 3434. 4482. Apud Micham „Tu Bethlechem Ephrataea, ex te Mihi exibit qui erit Dominator in Israële, stabit et *pascet* in robore Jehovae," V: 1. 3. Apud Eundem „*Pasce populum tuum* virga tua, gregem haereditatis tuae habitantem solum, *pascant* Baschane et Gileade juxta dies saeculi," VII: 14. Apud Zephaniam „Reliquiae Israëlis *pascent* et requiescent, nec terrefaciens," III: 13. Apud Davidem „Je-

hovah *Pastor meus*, in *pascuis herbae* cubare faciet me, ad aquas quietum deducet me," Psalm: XXIII: 1. 2. Apud Eundem „Ipse fecit nos, et non nos, populum suum, et *gregem pascui sui*, [vel juxta Keri,] ideo Ipsius nos, populus Ipsius et grex *pascui* Ipsius," Psalm: C: 3. In Apocalypsi „Agnus qui in medio throni, *pascet eos*, et ducet ad vivos fontes aquarum," VII: 17. Apud Johannem „Ego sum ostium, per Me si quis introiverit, salvabitur, et ingredietur et egredietur, et *pascuum inveniet*," X: 9. Apud Eundem „Jesus dixit ad Petrum, *pasce* agnos meos; et secundo, *pasce* oves meas; et tertio, *pasce* oves meas," XXI: 15. 16. 17.

5202. Et ecce septem vaccae aliae ascendentes post eas e fluvio, quod significet falsa quae naturalis etiam in termino, constat ex significatione vaccarum, quod sint vera naturalis, de qua mox supra n: 5198, inde est quod vaccae in opposito sensu sint falsa, pleraque enim in Verbo oppositum sensum habent, qui cognoscitur ex genuino, consequenter quia vaccae in genuino sensu sunt vera naturalis, in opposito sunt ejusdem generis falsa, ita falsa in naturali; et ex significatione fluvii, quod sit terminus, de qua etiam supra n: 5196. 5197; quod in termino, patet etiam ex eo, quod dicatur quod ascenderint e fluvio, ascendere enim praedicatur de progressione ab exteriori versus interiora, n: 3084. 4539. 4969. Quomodo cum hac re se habet, quia in sequentibus de illa agitur, dicendum; in Capite praecedente actum est de exteriore naturali, deque illis ibi quae ad classem intellectualem pertinebant, et de illis quae ad classem voluntariam, et quod illa recepta sint, et haec rejecta, quae ad classem intellectualem pertinebant, repraesentabantur per pincernam, et quae ad voluntariam per pistorem; et quia illa quae ad classem intellectualem pertinebant, recepta sunt, etiam subordinata sunt naturali interiori, de his in Capite praecedente actum est, et hoc erat primum renascentiae naturalis: in hoc autem Capite agitur de influxu Coelestis spiritualis in illa naturalis quae retenta fuerunt, nempe in illa quae partis intellectualis ibi erant, ea sunt quae significantur per vaccas pulchras aspectu et pingues carne; sed quia Naturale quoad intellectualia sola non renasci potest, erant quoque voluntaria, in singulis enim erit ex intellectuali et simul ex voluntario, ut sit

aliquid; et quia prius voluntarium rejectum est, idcirco novum loco ejus influet; hoc novum est ex coelesti spiritualis, de quo et de cujus influxu in Naturale in hoc Capite agitur; quomodo cum naturali in hoc statu se habeat, in sensu interno describitur, quod nempe vera ibi exterminata sint per falsa, et sic naturale relictum coelesti spiritualis, quae significantur per quod vaccae bonae comestae sint a malis, et quod aristae plenae absorptae sint a vacuis, et dein per quod Joseph prospexerit toti Aegypto; sed de his in sequentibus, ex Divina Domini Misericordia, plura dicenda; sunt insuper talia, quae in lucem intellectus humani aegre cadunt, sunt enim arcana regenerationis, quae in se innumerabilia sunt, homo vix aliqua eorum scit; renascitur enim homo qui in bono est unoquovis momento, a prima infantia ad ultimum vitae in mundo, et dein in aeternum, non solum quoad interiora sed etiam quoad exteriora, et hoc per processus stupendos; hi sunt, qui quoad multam partem faciunt sapientiam angelicam, quae quod ineffabilis sit, et contineat talia quae auris non audivit, et oculus non vidit, nec usquam pervenerunt in cogitationem hominis, notum est; sensus internus Verbi de talibus agit, ita adaequatus est sapientiae angelicae, qui cum inde influit in sensum literae, fit adaequatus sapientiae humanae, et afficit inde latenter illos qui ex bono in desiderio sunt sciendi vera ex Verbo.

5203. Malae aspectu, quod significet quae non fidei, constat ex significatione pulchrarum aspectu, quod sint quae fidei, de qua mox supra n: 5199, inde hic malae aspectu sunt quae non fidei.

5204. Et graciles carne, quod significet nec charitatis, constat ex significatione pinguinum carne, quod sint quae charitatis, de qua etiam supra n: 5200, inde hic graciles carne, sunt quae non charitatis; nam in opposito sunt.

5205. Et steterunt juxta vaccas super ripa fluvii, quod significet quod in terminis ubi vera, constat ex significatione stare juxta super ripa fluvii, quod sit in terminis, quod fluvius sit terminus, videatur n: 5196. 5197; et ex significatione vaccarum, quod sint vera naturalis, de qua supra n: 5198. Quomodo cum his se habet, nempe quod falsa steterint in terminis ubi vera, ex sequentibus patebit, in specie ubi explicandum ve-

nit, quid in sensu interno significatur per septem annorum famem in terra Aegypti, quae praedicta et significata fuit per septem vaccas malas aspectu et graciles carne, tum per septem aristas graciles et exustas euro.

5206. Et comederunt vaccae malae aspectu et graciles carne, quod significet quod falsa quae non fidei et non charitatis exterminarent, constat ex significatione comedere, quod sit consumere, de qua n: 5149. 5157, hic autem exterminare, quia vera quae in naturali, antequam vivificata sunt per coeleste spiritualis, proinde regenerata, quasi exterminata sunt per falsa; ex significatione vaccarum malarum aspectu, quod sint quae non fidei, de qua mox supra n: 5203; et ex significatione gracilium carne, quod sint quae non charitatis, de qua etiam supra n: 5204.

5207. Septem vaccas pulchras aspectu et pingues, quod significet vera naturalis quae fidei et charitatis, constat a significatione vaccarum, quod sint vera naturalis, de qua supra n: 5198; ex significatione pulchrarum aspectu, quod sint quae fidei, de qua n: 5199; et ex significatione pinguium, quod sint quae charitatis, de qua n: 5200. Quod ipsam rem attinet, quod nempe vera exterminata sint e naturali per falsa in terminis, sciendum, quod hoc fiat in principio in omni regeneratione, vera enim quae principio insinuantur apud hominem, sunt quidem in se vera, sed non sunt vera apud illum priusquam illis adjunctum est bonum, bonum adjunctum facit quod vera sint vera, bonum est essentiale, et vera sunt ejus formalia, quapropter in principio prope vera sunt falsa, seu in terminis ubi vera etiam sunt falsa; sed sicut bonum conjungitur veris ita aufugiunt falsa; hoc quoque actualiter se ita habet in altera vita, ibi sphaera falsi applicat se veris secundum influxum boni in vera, cum parum boni influit sphaera falsi prope est, cum plus boni influit sphaera falsi removet se, et cum bonum prorsus adjunctum est veris tunc sphaera falsi quoque prorsus dissipatur; cum sphaera falsi prope adest, ut fit in principio, prout dictum, tunc quasi exterminantur vera, sed reconduntur interea in interiori, et ibi implentur bono, ac inde successive remittuntur; haec sunt, quae per septem vaccas et septem aristas, et in sequentibus per septem annos abundantiae annonae et per septem annos famis, si-

gnificantur. Sed qui nihil scit de regeneratione, et qui nihil de statu interno hominis, illa non capit.

5208. Et expergefactus Pharao, quod significet illustrationis statum, constat ex significatione expergisci, quod sit illustrari, de qua n: 3715; et ex repraesentatione Pharaonis, quod sit naturale, de qua prius; exinde patet, quod per expergefactus Pharao, significetur illustrationis status in naturali. Per illustrationem hic intelligitur illustratio communis a coelesti spiritualis, ita ab interiore; illustratio quae venit seu influit ab interiori est communis in inferiore, sed fit successive minus communis, et tandem particularis, sicut insinuantur ibi vera ex bono, unumquodvis enim verum ex bono lucet, et quoque illustrat; inde nunc est, quod mox supra n: 5206, dictum quod vera e naturali exterminata sint, quod fit ob finem, ut naturale communiter illustretur ab interiori, et dein in communi illustratione seu in communi luce reponantur ibi vera in suo ordine, inde naturale illustratur particulariter: correspondentia inter spirituale et naturale apud hominem, seu inter internum et externum ejus, fit eo modo; vera enim primum comparantur: dein illa vera quasi exterminantur, at non exterminantur sed reconduntur, et tunc inferius a superiori seu exterius ab interiori communiter illustratur, et in luce illa reponuntur vera suo ordine, inde omnia ibi vera fiunt imagines sui communis, et correspondent. Etiam in omnibus et singulis quae existunt, non modo in spirituali mundo, sed etiam in naturali, Commune praecedit, et ei dein successive inseruntur minus communia, et denique particularia; absque tali insertione seu inaptatione nihil prorsus inhaeret, nam quicquid non in aliquo communi est, et ab aliquo communi pendet, hoc dissipatur, videatur n: 917. [3] 3057. 4269. 4325 f. 4329 med: 4345. 4383.

5209. Vers: 5. 6. 7. *Et obdormivit et somniavit secundo, et ecce septem aristae ascendentes in calamo uno, pingues et bonae. Et ecce septem aristae graciles et exustae euro, germinantes post illas. Et absorbebant aristae graciles septem aristas pingues et plenas; et expergefactus Pharao, et ecce somnium.* Et obdormivit, significat statum obscurum: et somniavit secundo, significat provisum: et ecce septem aristae ascendentes in calamo uno, significat scientifica quae naturalis conjun-

cta; pingues et bonae, significat quibus illa quae fidei et charitatis inapplicari possent; et ecce septem aristae graciles, significat scientifica nullius usus: et exustae euro, significat plena cupiditatum: germinantes post illas, significat apparentes juxta: et absorbebant aristae graciles septem aristas pingues et plenas, significat quod scientifica nullius usus exterminarent scientifica bona: et expergefactus Pharao, significat communem illustrationis statum: et ecce somnium, significat in obscuro illo.

5210. Et obdormivit, quod significet statum obscurum, constat a significatione dormire, quod sit status obscurus, etiam somnus in spirituali sensu non aliud est, sicut vigilia nec aliud quam status clarus; somnus enim spiritualis est, cum vera in obscuro sunt, et vigilia spiritualis cum vera in claro; tantum etiam vigiliae spiritibus est, et vicissim illis tantum somni; inde patet, quod obdormire sit status obscurus.

5211. Et somniavit secundo, quod significet provisum, constat ex significatione somniare, quod sit provisum, de qua n: 5195.

5212. Et ecce septem aristae ascendentes in calamo uno, quod significet scientifica quae naturalis conjuncta, constat a significatione aristarum seu spicarum, quod sint scientifica naturalis de qua sequitur; et ex significatione in calamo uno, quod sint conjuncta, quae enim in uno calamo sunt, illa quoad originem conjuncta sunt. Quod aristae seu spicae significent scientifica, est quia frumentum significat bonum naturalis, n: 3580, sunt enim scientifica continentia boni naturalis, sicut sunt aristae frumenti, in genere enim omnia vera sunt vasa boni, ita quoque scientifica, nam haec sunt vera infima; vera infima seu vera exterioris naturalis vocantur scientifica, quia sunt in memoria naturali seu externa hominis, et quia participant quoad plurimam partem de luce mundi, et inde sisti et repraesentari possunt coram aliis per formas vocum, seu per ideas formatas in voces per talia quae sunt mundi et ejus lucis: quae autem sunt in memoria interiore, non vocantur scientifica sed vera, quatenus participant de luce coeli, nec nisi quam per illam lucem intelligibilia sunt, et per formas vocum seu per ideas formatas in voces per talia quae sunt coeli et ejus lucis, enuntiabilia. Scientifica quae hic per aristas seu spicas significantur, sunt

scientifica Ecclesiae, de quibus videatur n: 4749. 4844. 4964. 4965. Quod duo somnia essent, unum de septem Vaccis, alterum de septem Aristis, erat quia in sensu interno agitur de utroque Naturali, interiori et exteriori, et in sequentibus de utriusque renascentia; per septem Vaccas significata sunt illa quae interioris naturalis sunt, et appellata sunt vera naturalis, n: 5198, et per septem aristas vera exterioris naturalis et appellantur scientifica. Scientifica interiora et exteriora significantur per spicas fluvii Euphratis usque ad fluvium Aegypti, apud Esaiam „ Erit porro in die illo, excutiet Jehovah *de spica fluvii usque ad fluvium Aegypti*, et vos colligemini alteri unus, filii Israëlis: erit porro in die illo, clangetur buccina magna, et venient pereuntes in terra Aschuris, et expulsi in terra Aegypti, et incurvabunt se Jehovae in monte sanctitatis, in Hierosolyma " XXVII: 12. 13; pereuntes in terra Aschuris pro veris interioribus, et expulsi in terra Aegypti pro veris exterioribus seu scientificis. Comparatio cum gramine, spica, frumento, involvit quoque renascentiam hominis per scientifica, vera fidei, et bona charitatis, apud Marcum „ Jesus dixit, ita se habet Regnum Dei, quemadmodum cum homo projicit semen super terram, dormit dein, et surgit noctu et die, semen vero germinat et crescit, dum nescit ipse; ultronea enim terra fructum fert, primo *gramen*, dein *spicam*, deinde *frumentum in spica;* cum autem productus fuerit fructus, statim immittet falcem, quia institit messis " IV: 26. 27. 28. 29; regnum Dei quod comparatur gramini, spicae, et frumento, est coelum apud hominem per regenerationem, qui enim regeneratus est, in se habet regnum Dei, et fit in imagine regnum Dei seu coelum, gramen est primum scientificum, spica est inde scientificum veri, frumentum est inde bonum. Etiam leges latae *de spicilegiis*, Levit: XIX: 9. Cap: XXIII: 22: tum de libertate „ *avellendi spicas* e segete socii, " Deut: XXIII: 26: et quoque de non edendo pane, *spica tosta*, nec *virente*, antequam munus Dei attulerint, Levit: XXIII: 14, repraesentabant talia quae significantur per spicas.

5213. Pingues et bonae, quod significet quibus illa quae fidei et charitatis inapplicari possent, constat ex significatione pinguium, cum praedicatur de scientificis, quae per aristas si-

gnificantur, quod sint receptibilia boni fidei, proinde quibus illa quae fidei inapplicari possunt, scientifica enim sunt vasa, de quibus cum praedicatur pinguedo, significatur aptitudo recipiendi talia quae sunt fidei ex charitate; et ex significatione bonarum, cum praedicatur de scientificis quae per aristas significantur, quod sint receptibilia boni charitatis, proinde quibus illa quae sunt charitatis inapplicari possunt: quod pingues spectent illa quae sunt fidei, et bonae illa quae sunt charitatis, est ex more ubivis in Verbo, ubi enim bina adjectiva uni rei applicantur, ibi unum involvit illa quae fidei sunt, et alterum illa quae charitatis, et hoc propter conjugium veri et boni in singulis Verbi, n: 683. 793. 801. 2173. 2516. 2712. 4138 f. 5138; quod pingues significent illa quae sunt fidei, et bonae illa quae sunt charitatis, etiam patet a parallelis quae praecedunt de vaccis, n: 5199. 5200. Scientifica, quibus inapplicari possunt illa quae sunt fidei et charitatis, sunt perplura, sicut omnia Scientifica Ecclesiae, quae per Aegyptum in bono sensu significantur, de quibus n: 4749. 4844. 4964. 4966; consequenter omnia scientifica quae vera de Correspondentiis, de Repraesentativis, de Significativis, de Influxu, de Ordine, de intelligentia et sapientia, de affectionibus, imo omnia vera interioris et exterioris naturae, tam visibilia quam invisibilia, quia haec correspondent veris spiritualibus.

5214. Et ecce septem aristae graciles, quod significet scientifica nullius usus, constat ex significatione aristarum, quod sint scientifica, de qua supra n: 5212; et ex significatione gracilium, quod sint quae nullius usus; gracile enim opponitur pleno, et plenum dicitur in quo usus, seu quod idem, in quo bonum, omne enim bonum est usus; quapropter gracile est, quod nullius usus. Scientifica nullius usus sunt, quae non alium finem habent, quam gloriam et voluptatem, illi fines sunt nullius usus, quia non conducunt proximo.

5215. Et exustae euro, quod significet plena cupiditatum, constat ex significatione exuri euro, quod sit consumi ab igne cupiditatum; eurus enim et oriens in genuino sensu est amor in Dominum, et amor erga proximum, n: 101. 1250. 3249. 3708. 3762, [4] inde in opposito est amor sui et amor mundi, proinde concupiscentiae et cupiditates, nam hae sunt amorum illorum;

de his praedicatur ignis, ex causa, de qua n: 5071, consequenter exuri. Sunt enim binae origines caloris, sicut quoque sunt binae origines lucis, una origo caloris est ex sole mundi, altera origo caloris est ex sole coeli, qui est Dominus; quod sol mundi calorem effundat in suum mundum, et in omnia quae ibi sunt, notum est; quod autem Sol coeli calorem infundat in universum coelum, non ita notum est; at usque notum esse potest, si modo reflectatur super calorem qui intrinsecus in homine est, et non commune habet cum calore mundi, hoc est, super calorem, qui vitalis vocatur; inde sciri posset, quod hic calor alius indolis sit, quam calor mundi, quod nempe ille sit vivus, hic autem prorsus non vivus, et quod ille calor quia vivus accendat interiora hominis, nempe ejus voluntatem et intellectum, et quod det desiderare, et amare, tum affici; inde quoque desideria, amores, affectiones sunt calores spirituales, et quoque ita vocantur; quod calores sint, manifeste patet, ex corporibus enim vivis ab undique exspirat calor, etiam in maximo frigore; et quoque cum increscunt desideria et affectiones, hoc est, amores, tunc in eo gradu incalescit corpus: hic calor est, qui in Verbo intelligitur per aestum, ignem, flammam, et est in genuino sensu amor coelestis et spiritualis, ac in opposito sensu amor corporeus et terrestris; inde constare potest, quod hic per exuri euro, significetur consumi igne cupiditatum, et cum praedicatur de scientificis, quae sunt aristae graciles, quod significetur quod plena sint cupiditatum. Quod per Eurum seu Ventum orientis significentur illa quae cupiditatum et inde phantasiarum sunt, constat a locis in Verbo, ubi nominatur, sicut apud Davidem, „Proficisci fecit *Eurum* in coelis, et produxit virtute sua austrum, ac depluere fecit super illos sicut pulverem Carnem, sicut arenam maris avem alae," Psalm: LXXVIII: 26. 27, quod per carnem, quam ventus ille adduxit, significatae sint concupiscentiae, et per avem alae phantasiae inde, patet apud Mosen, Num: XI: 31 ad 35, quod, ubi plaga populi propter esum carnis, vocatum nomen loci illius, sepulchra *concupiscentiae*, quia ibi sepeliverunt populum *concupiscentes*. Apud Ezechielem, „Ecce Vitis plantata num prosperabitur, nonne cum attigerit illam *Ventus orientalis* (Eurus), *exarescet exarescendo*, super areolis germinis illius *exarescet*," XVII: 10:

et apud Eundem, „Vitis evulsa est in ira, in terram projecta est, et *Ventus orientis arefecit* fructum ejus; divulsae sunt et *exaruerunt* unaquaevis virga roboris ejus; *ignis* comedit unamquamque, exivit enim *ignis* e virga ramorum ejus, comedit fructum ejus, ut non sit in ea virga roboris, sceptrum ad dominandum" XIX: 12. 14; ibi ventus orientalis seu eurus pro illis quae sunt cupiditatum. Apud Esaiam „Meditatus est de *vento suo duro*, in die euri" XXVII: 8. Apud Hoscheam „Veniet *Eurus* ventus Jehovae a deserto ascendens, et *exarescet* scaturigo ejus, et *exsiccabitur* fons ejus, ille depraedabitur thesaurum omnis vasis desiderii" XIII: 15, ibi quoque ventus orientis seu eurus pro illis quae sunt cupiditatum. Similiter apud Jeremiam „Sicut *ventus orientalis* dispergam eos coram hoste" XVIII: 17. Apud Davidem „Per *Ventum orientalem* confringes naves Tharschisch" Psalm: XLVIII: 8. Apud Esaiam „Deseruisti populum tuum, domum Jacobi, quia repleti sunt *Euro*, et divinatores sunt Philistaei" II: 6. Apud Hoscheam „Ephraim pascens ventum, et persequitur *Eurum*, omni die mendacium et vastationem multiplicat" XII: 2; ventus hic pro phantasiis, et eurus pro cupiditatibus. Simile etiam per *Ventum orientalem* in sensu interno intelligitur, per quem „productae sunt locustae, et per quem locustae conjectae in mare" Exod: X: 13. 19; et quoque per quem „divisae sunt aquae maris Suph" Exod: XIV: 21.

5216. Germinantes post illas, quod significet apparentes juxta, constat a significatione germinare hic, quod sit apparere; et ex significatione post eas, quod sit juxta, seu in termino, sicut per vaccas malas et graciles ascendentes *post eas*, nempe post vaccas pulchras et pingues, significatur, n: 5202; quod post eas sit juxta, est quia *post* est successivum temporis, et in spirituali mundo, consequenter in spirituali sensu, notio temporis nulla est, sed loco ejus tale status quod correspondet.

5217. Et absorbebant aristae graciles septem aristas pingues et plenas, quod significet quod scientifica nullius usus exterminarent scientifica bona, constat ex significatione aristarum gracilium, quod sint scientifica nullius usus, de qua supra n: 5214; ex significatione aristarum pinguium et plenarum, quod sint scientifica quibus illa quae fidei et charitatis inapplicari pos-

sent, de qua n: 5218, consequenter scientifica bona; et ex significatione absorbere, quod sit exterminare, similiter ac comedere, ut de vaccis dicitur supra n: 5206; quod scientifica bona exterminentur per scientifica nullius usus, seu quod vera per falsa, videatur n: 5207; ita quoque in spirituali mundo se habet, ubi falsa sunt, ibi vera subsistere non possunt, et vice versa, ubi vera ibi non falsa, unum exterminat alterum, sunt enim opposita; causa est, quia falsa sunt ex inferno, et vera sunt ex coelo: apparet quandoque sicut falsa et vera in uno subjecto sint, at non sunt falsa quae opposita sunt veris ibi, sed quae associantur per applicationes; subjectum, ubi vera et simul falsa quae opposita subsistunt, vocatur tepidum, et subjectum in quo falsa et vera commixta sunt, vocatur prophanum.

5218. Et expergefactus Pharao, quod significet communem illustrationis statum, constat ex illis quae supra n: 5208 explicata sunt, ubi eadem verba.

5219. Et ecce somnium, quod significet in obscuro illo, constat ex significatione somnii, quod sit status obscurus, de qua n: 1838. 2514. 2528. 5210. Obscurum dicitur, quia vera exterminata sunt, ubi enim non vera ibi est obscurum, lux enim coeli solum in vera influit, nam Lux coeli est Divinum Verum a Domino, inde vera apud angelos et apud spiritus, et quoque apud homines, sunt luces succenturiatae, sed lucem suam a Divino Vero habent per bonum in veris, nisi enim vera sint ex bono, hoc est, nisi vera bonum in se habeant, non recipere possunt aliquam lucem a Divino, per bonum recipiunt, bonum enim est sicut ignis seu flamma, et vera sunt sicut luces inde. Etiam vera absque bono in altera vita lucent, sed lucent luce hyemali, quae lux fit caligo ad lucem coeli: ex his constare potest, quid per obscurum hic intelligitur, quod nempe status Naturalis cum scientifica bona per scientifica nullius usus exterminata sunt; tale obscurum est, quod communiter illustrari potest, n: 5208. 5218; at obscurum ex falsis, nullatenus potest, falsa enim sunt totidem tenebrositates, quae lucem coeli exstinguunt, et faciunt inde obscurum, quod illustrari nequit priusquam falsa remota sunt.

5220. Vers: 8. *Et factum in matutino agitatus spiritus illius, et misit et vocavit omnes magos Aegypti, et omnes sa-*

pientes illius, et narrabat Pharao illis somnium suum, et nemo interpretans illa Pharaoni. Et factum in matutino, significat [5] in novo illo statu: agitatus spiritus illius, significat turbam: et misit et vocavit omnes magos Aegypti et sapientes illius, significat in consultando scientifica interiora tum exteriora: et narrabat Pharao illis somnium, significat de futuris: et nemo interpretans illa Pharaoni, significat quod nesciretur quid contingeret.

5221. Et factum in matutino, quod significet in novo illo statu, constat a significatione factum seu fuit, quod involvat novum, de qua n: 4979. 4987; et ex significatione matutini seu mane, quod sit illustrationis status, de qua n: 3458. 3723, hic status est ille novus qui intelligitur, de quo videatur mox supra n: 5218; agitur hic de illo statu et ejus quali, quod nempe turba ibi propter obscurum de contingentibus; sed de quali illius status, vix aliquis scire quid potest, nisi sit in sphaera spirituali, et tunc simul in attentione ad illa quae intus peraguntur; alioquin ne quidem sciri potest, quid sit communiter illustrari, et particulariter illustrari, et ne quidem quid sit illustrari, minus quod in communi illustrationis statu principio sit turba, et quod non prius tranquillum, quam cum vera ex bono reposita sunt in suo ordine: quomodo haec se habent, clare percipitur ab angelis, etiam a spiritibus bonis, quia hi in sphaera spirituali sunt; talia sapere et cogitare, illis delitiae sunt, at homini qui in sphaera naturali est, et magis qui in sphaera sensuali, et adhuc magis qui in crasse sensuali ex corporeis et terrestribus, talia taedia sunt.

5222. Agitatus spiritus illius, quod significet turbam, constat ex significatione agitari spiritu, quod sit turbari: per spiritum hic, ut quoque aliquoties alibi in Verbo, intelligitur interior affectio et cogitatio, quae quoque sunt spiritus hominis; antiqui vocarunt illa spiritum, sed per spiritum in specie intellexerunt interiorem hominem, qui victurus post mortem corporis; at hodie per spiritum, ubi in tali sensu legitur, solum intelligitur cogitativum, et hoc absque alio subjecto quam corpore in quo sit, ex causa, quia non amplius creditur, quod interior homo sit ipse homo, sed quod interior homo, qui vulgo anima aut spiritus vocatur, sit modo cogitatio absque subjecto, adaequato, consequenter quia cogitatio absque subjecto in quo, quod

post mortem corporis, sicut aethereum aut flammeum quid, dissipabitur; tale intelligitur hodie per spiritum, ut cum dicitur agitari spiritu, contristari spiritu, laetari spiritu, ovare spiritu, cum tamen est ipse interior homo, qui spiritus vocatur, qui agitatur, contristatur, laetatur, ovat, qui est homo in forma prorsus humana, sed invisibili oculis corporis, apud quem cogitatio.

5223. Et misit et vocavit omnes magos Aegypti et sapientes illius, quod significet in consultando scientifica interiora, tum exteriora, constat ex significatione magorum, quod in bono sensu sint scientifica interiora, de qua sequitur; et a significatione sapientum, quod sint scientifica exteriora, de qua etiam sequitur. Quod per Magos et sapientes Aegypti significentur scientifica, est quia Aegyptus fuerat inter illa regna, ubi Ecclesia Antiqua repraesentativa fuit, n: 1238. 2385; sed in Aegypto scientifica illius Ecclesiae imprimis excolebantur, quae fuerunt de Correspondentiis, Repraesentativis et Significativis, per quae scientifica explicabantur illa quae in Libris Ecclesiae scripta erant, et quae in cultu eorum sancto fiebant, n: 4749. 4964. 4966; inde obtinuit, quod per Aegyptum significata sint in genere scientifica, n: 1164. 1165. 1186. 1462, et quoque per Pharaonem regem ejus: primarii apud illos, qui scientifica illa callebant et docebant, vocabantur magi, et sapientes, qui scientifica mystica magi, qui scientifica non mystica sapientes, consequenter qui scientifica interiora magi, et qui scientifica exteriora sapientes; inde est, quod per illos talia in Verbo significentur: at postquam scientificis Ecclesiae interioribus coeperunt abuti, ac illa in magica vertere, tunc per Aegyptum quoque coeptum significari scientificum quod pervertit, et pariter per magos Aegypti, et sapientes illius. Magi illius temporis noverunt talia quae spiritualis mundi sunt, didicerunt illa ex correspondentiis et repraesentativis Ecclesiae, quapropter etiam multi eorum communicabant cum spiritibus, et inde didicerunt artes illusorias, per quas miracula magica fecerunt; sed qui *Sapientes* dicebantur, non talia curabant, verum aenigmatica solvebant, et causas rerum naturalium docebant, in talibus imprimis constabat illius temporis sapientia, et talia posse vocabatur sapientia; ut constare potest ex illis quae de Schelomone memorantur in Libro Primo Regum „Multiplicata est *Sapientia Sche-*

lomonis prae *sapientia* omnium filiorum orientis, et prae omni *sapientia Aegyptiorum*, adeo ut *sapiens* fuerit prae omnibus hominibus, prae Ethane, Esrachita, et Hemane, et Kalkole, et Dardao, filiis Macholis, loquutus est tria millia *proverbiorum*, et fuit canticum ejus quinque et millia. Insuper loquutus est de lignis, a cedris quae in Libano, usque ad hyssopum quae exiens e pariete; loquutus etiam est de bestia, et de ave, et de reptili, et de piscibus. Ideo venerunt ex omnibus populis ad audiendum *sapientiam* Schelomonis a cum omnibus regibus terrae, qui audiverunt de *sapientia ejus*" V: 10: et quae de Regina Schebae memorantur in eodem Libro „quod venerit ad tentandum eum *Aenigmatibus*, et indicavit ei Schelomo omnia verba ejus, non fuit verbum occultum a rege, quod non indicaret illi" X: 1. seq: inde patet, quid illo tempore dicebatur sapientia, et quinam non solum in Aegypto, sed etiam alibi, ut in Syria, Arabia, [6] Babele, vocabantur sapientes; sed in sensu interno, per sapientiam Aegyptiacam non aliud significatur quam scientia rerum naturalium, et per magiam scientia rerum spiritualium, ita per sapientes scientifica exteriora, et per magos scientifica interiora, et per Aegyptum in genere scientia, n: 1164. 1165. 1186. 1462. 4749. 4964. 4966: per Aegyptum et ejus sapientes non aliud intellectum fuit apud Esaiam „Stulti sunt principes Zoanis, *sapientum consiliariorum Pharaonis* consilium obbrutuit, quomodo dicitur ad Pharaonem, *filius sapientum ego*, filius regum antiquitatis, ubi nunc *sapientes* tui" XIX: 11. 12. Quod *Magi* dicerentur, qui in scientia spiritualium essent, et quoque inde in revelationibus, constat a „*Magis*, qui ab orientalibus venerunt Hierosolymam, quaerentes ubi esset natus Rex Judaeorum, dicentesque quod viderint Ipsius stellam in Oriente, et venerint ad adorandum Ipsum" Matth: II: 1. 2: et quoque constat a Daniele, qui vocatur *princeps magorum*, Dan: IV: 6, et alibi „Regina dixit ad regem Belthschazar, est vir in regno tuo, in quo spiritus deorum sanctorum, et in diebus patris tui lux et intelligentia et sapientia, sicut sapientia deorum, inventa est in eo; ideo rex Nebuchadnezar pater tuus, *principem magorum*, divinatorum, Chaldaeorum, decisorum, constituit eum" Dan: V: 11: et adhuc „Non inventus est de omnibus sicut Daniel, Chanania, Mischaël, et Asariah, cum namque starent co-

ram rege, omne verbum sapientiae intelligentiae quod quaesivit ex iis rex, deprehendit eos decem vicibus *supra omnes magos*, divinatores, qui in regno illius" Dan: I: 19. 20. Quod per Magos in opposito sensu intelligantur, qui perverterunt spiritualia, et inde magica exercuerunt, notum est, sicut qui memorantur Exod: VII: 9. 10. 11. 12. Cap: VIII: 3. 15. [7] Cap: IX: 11: Magia enim non aliud erat quam perversio, et perversa applicatio talium quae sunt ordinis in mundo spirituali, inde magia descendit; sed magia illa hodie naturalis vocatur, ex causa quia non aliquid supra aut ultra naturam amplius agnoscitur, spirituale, nisi per id intelligatur interius naturale, negatur.

5224. Et narrabat Pharaoh illis somnium, [quod significet de futuris] constat ex significatione somnii, quod sit praevidentia, praedictio, eventus, de qua n: 5091. 5092. 5104, ita futura: quomodo haec in sensu interno se habent, constat a serie rerum; agitur in hoc Versu de novo statu Naturalis, cum in obscuro est, propter vera inde exterminata, et quod tunc ibi turba in consultando scientifica de futuris; cum enim tale obscurum contingit, tunc incidit illico cogitatio, quid eventurum, hoc quia commune est in omni tali statu, cum regeneratur homo, ideo hic in sensu interno ille status describitur: sed tales status hodie ignoti sunt, tam quia pauci regenerantur, quam quia illi qui regenerantur, non reflectunt super talia; quae interius apud hominem peraguntur, hodie non curat homo, quia externa occupant totum, et ei apud quem externa occupant totum, hoc est, ubi externa sunt fines vitae, interna nihili sunt; de obscuro illo dicerent, quid mihi illa, cum nihil lucri inde, nec aliquid honoris, quare cogitandum de statu animae, seu de statu interni hominis num is in obscuro sit cum vera exterminata, vel num in claro cum vera ibi reposita, ad quid conducit id scire, num internus aliquis homo sit, et num alius status animae sit, quam qui corporis, in dubio sum, imo num aliqua anima sit quae vivit post mortem, quis redierat ex mortuis, et indicaverat, ita loquitur hodie secum homo Ecclesiae, et ita cogitat cum audit aut legit aliquid de statu Interni hominis; inde patet, unde est, quod illa quae intus apud hominem peraguntur, hodie in occulto sint, et plane nesciantur: tale obscurum intellectus nusquam fuerat apud Antiquos, sapientia eorum fuerat excolere interio-

ra, et sic utramque facultatem tam intellectualem quam voluntariam perficere, et per id prospicere animae suae; quod Antiquis talia curae fuerint, liquet ab eorum scriptis, quae etiam hodie exstant, et quoque ex desiderio omnium audiendi Schelomonem, nam „*ideo venerunt ex Omnibus populis ad audiendum sapientiam Schelomonis, a cum Omnibus regibus terrae, qui audiverunt de sapientia ejus*" I Reg: V: 14; et ideo venit Regina Schebae, et ex beatitudine, in quam venit ex Sapientia Schelomonis, dixit „*Beati viri tui, beati servi tui hi, qui stant coram te jugiter, ac audiunt sapientiam tuam,*" I Reg: X: 8. quis hodie se beatum dicturus ex eo.

5225. Et nemo interpretans illa Pharaoni, quod significet quod nesciretur quid contingeret, constat ex significatione interpretari, quod sit scire quid contingeret, de qua n: 5141, inde nemo interpretans est nescire, *nemo* enim in sensu interno est negativum rei, ita *non*, nam idea personae vertitur in ideam rei in sensu interno, sicut idea viri, mariti, foeminae, uxoris, filii, filiae, pueri, virginis, in ideam veri aut boni, et sicut supra n: 5223, [8] idea magi, et sapientis in ideam scientificorum interiorum et exteriorum; causa est, quia in mundo spirituali seu in coelo, non personae sed res sub intuitionem veniunt, personae enim limitant ideam et concentrant ad finitum quoddam, at res non limitant et concentrant sed extendunt ad Infinitum, ita ad Dominum: inde quoque est, quod nusquam aliqua persona, quae in Verbo nominatur, in coelo percipiatur, sed loco ejus res quae per illam personam repraesentatur, ita quoque nec aliquis populus aut gens, sed quale ejus; imo etiam prorsus nescitur aliquod historicum Verbi de persona, gente ac populo, in coelo, consequenter nec scitur quis Abraham, quis Jischak, quis Jacob, quis populus Israëliticus, et quae Gens Judaica, sed percipitur ibi quid Abraham, quid Jischak, quid Jacob, quid populus Israëliticus, quid Gens Judaica, ita in omnibus reliquis; inde est loquela Angelica illimitata et quoque universalis respective.

5226. Vers: 9. 10. 11. 12. 13. *Et loquutus princeps pincernarum cum Pharaone, dicendo, peccatorum meorum ego recordor hodie. Pharao succensuit super servos suos, et dedit me in custodiam domo principis satellitum, me et principem pi-*

storum. Et somniavimus somnium in nocte una, ego et is, quisque secundum interpretationem somnii sui somniavimus. Et ibi cum nobis puer Hebraeus servus principis satellitum, et narravimus ei, et interpretatus nobis somnia nostra, cuique secundum somnium suum interpretatus. Et factum, quemadmodum interpretatus nobis, ita fuit, me reduxit super stationem meam, et eum suspendit. Et loquutus princeps pincernarum cum Pharaone, significat cogitationem ex sensuali parti intellectuali subjecto: dicendo, significat perceptionem inde: peccatorum meorum recordor hodie, significat de disjunctionis statu: Pharao succensuit super servos suos, significat cum naturale se averteret: et dedit me in custodiam domo principis satellitum, significat rejectionem ab illis quae primaria interpretationi: me et principem pistorum, significat utrumque sensuale: et somniavimus somnium in nocte una, significat praevisum in obscuro: ego et is, significat de utroque sensuali: quisque secundum interpretationem somnii sui somniavimus, significat quid eveniret utrique: et ibi cum nobis puer Hebraeus, significat quod tentationis causa illuc rejectum insons Ecclesiae: servus principis satellitum, significat in quo verum quod primario inserviret interpretationi: et narravimus ei, significat quod inde perceptio: et interpretatus nobis somnia nostra, significat quid inesset praevisis in obscuro: cuique secundum somnium suum interpretatus, significat ex vero: et factum quemadmodum interpretatus nobis, ita fuit, significat quod sic eveniret: me reduxit super stationem meam, significat quod sensuale partis intellectualis reciperetur: et eum suspendit, significat quod sensuale partis voluntariae rejiceretur.

5227. Et loquutus princeps pincernarum cum Pharaone, quod significet cogitationem ex sensuali parti intellectuali subjecto, constat ex significatione loqui quod cogitare, de qua n: 2271. 2287. 2619; et ex repraesentatione principis pincernarum, quod sit sensuale parti intellectuali subjectum, de qua n: 5077. 5082: quid cogitatio ex sensuali, videatur n: 5141.

5228. Dicendo, quod significet perceptionem inde, constat ex significatione dicere, quod sit percipere, de qua n: 1791. 1815. 1819. 1822. 1898. 1919. 2080. 2619. 2862. 3509. 3395: quid perceptio inde, seu perceptio ex cogitatione, non

ad captum explicari potest, quia hodie prorsus ignotum est quid perceptio spiritualis, et quod ignotum est, hoc non intrat in sensum, utcunque describitur: perceptio enim non aliud est, quam loquela aut cogitatio angelorum qui apud hominem, illa loquela aut cogitatio cum influit, fit perceptio quod ita sit vel non ita sit, sed non apud alios, quam qui in bono amoris et charitatis sunt, nam per bonum influit; apud illos perceptio illa producit cogitationes, nam perceptivum illis est commune cogitationis: at perceptio ex cogitatione actualiter non datur, sed apparenter: verum de hoc arcano non plus dici potest, quia, ut dictum, hodie ignotum est, quid perceptio.

5229. Peccatorum meorum recordor hodie, quod significet de disjunctionis statu, constat a significatione peccatorum, quod sint quae inversi ordinis, de qua n: 5076; et ex significatione recordari, quod sit conjunctio, de qua n: 5169, ita peccatorum recordari est conjungi cum illis quae inversi ordinis sunt, consequenter disjungi a Naturali quod [per] Pharaonem repraesentatur, quod enim conjungitur cum illis quae in inverso ordine sunt, disjungitur ab illis quae in ordine: quod recordari sit conjunctio, est quia recordatio alicujus in altera vita conjungit, ut primum enim aliquis spiritus recordatur alterius, sistitur is praesens, et quoque ita praesens ut colloquantur; inde est, quod angeli et spiritus, omnes quos cognoverunt, et de quibus audiverunt, possint offendere, eos praesentes videre, et cum iis loqui, cum Dominus concedit ut illorum recordentur, n: 1114.

5230. Pharao succensuit super servos suos, quod significet cum naturale se averteret, constat ex illis quae supra n: 5080. 5081, explicata sunt, ubi similia verba.

5231. Et dedit me in custodiam domo principis satellitum, quod significet rejectionem ab illis quae primaria interpretationi, constat etiam ab illis quae supra n: 5083. 5084, explicata sunt, ubi similia verba.

5232. Me et principem pistorum, quod significet utrumque sensuale, constat a repraesentatione principis pincernarum, qui hic intelligitur per me, quod sit sensuale parti intellectuali subjectum in genere, de qua n: 5077. 5082; et ex repraesentatione principis pistorum, quod sit sensuale parti voluntariae subjectum in genere, de qua n: 5078. 5082; ita per me et prin-

cipem pistorum significatur utrumque sensuale: dicitur utrumque sensuale, quia in homine, quae vitam ejus faciunt, sunt binae facultates, nempe voluntas et intellectus, ad quas se referunt omnia et singula quae in homine: quod binae facultates in homine sint, quae constituunt vitam ejus, est quia duo sunt quae faciunt vitam in coelo, nempe bonum et verum, bonum se refert ad voluntatem, verum ad intellectum; inde patet, quod duo sint quae faciunt hominem spiritualem, et consequenter illum beatum in altera vita, nempe charitas et fides, charitas enim est bonum, et fides est verum; et charitas se refert ad voluntatem, et fides ad intellectum: ad illa bina, nempe ad bonum et verum, etiam se referunt omnia et singula in natura, inde existunt et inde subsistunt; quod ad illa bina se referant, patet manifeste ex calore et luce, calor se refert ad bonum, et lux ad verum, quapropter etiam calor spiritualis est bonum amoris, et lux spiritualis est verum fidei: cum omnia et singula in universa natura ad illa bina, nempe ad bonum et verum, se referunt, et bonum repraesentatur in calore, et fides in luce, judicet quisque qualis homo est ex sola fide absque charitate, seu quod idem, ex solo intelligere verum absque velle bonum, annon similis est statui hyemis, quando lux splendet, et usque omnia et singula torpent, quia absque calore; talis status est hominis qui in sola fide est, et non in bono amoris, est in gelu et in tenebris, in gelu quia est contra bonum, in tenebris quia ex eo est contra verum, qui enim est contra bonum is quoque contra verum est, utcunque videatur sibi quod non sit, nam unum trahit in suam partem alterum; talis fit ejus status post mortem.

5233. Et somniavimus somnium in nocte una, quod significet praevisum in obscuro constat a significatione somnii, quod sit praevisum, de qua n: 3698. 5091; et ex significatione noctis, quod sit status umbrae, de qua n: 1712, ita obscurum.

5234. Ego et is, quod significet de utroque sensuali, constat ex repraesentatione pincernae, qui hic est ego, quod sit unum sensuale, et ex repraesentatione pistoris, qui hic est is, quod sit alterum sensuale, de quibus mox supra n: 5232.

5235. Quisque secundum interpretationem somnii sui somniavimus, quod significet quid eveniret utrique, constat ex si-

gnificatione interpretationis, quod sit quid in se haberet, et quid contingeret, de qua n: 5093. 5105. 5107. 5141, [9] ita quid eveniret, nempe ex praeviso, quod significatur per somnium, n: 5233.

5236. Et ibi cum nobis puer Hebraeus, quod significet quod tentationis causa illuc rejectum insons Ecclesiae, constat ex significatione pueri, quod sit insons, de qua sequitur; et ex significatione Hebraei, quod sit qui ab Ecclesia, de qua n: 5136, ita quod est Ecclesiae; quod tentationis causa illuc rejectus, significatur per quod ibi esset, nempe in custodia, nam per custodiam, in quam missus Josephus, significatur status tentationis, n: 5036. 5037. 5039. 5044. 5045, de quo statu in Cap: XXXIX et XL, actum est. Quod puer sit insons, est quia infans in sensu interno est innocens; in Verbo enim memoratur, lactens, infans, puer, et per illos significantur tres gradus innocentiae, primus gradus per lactentem, alter per infantem, et tertius per puerum; sed quia apud puerum exui incipit innocentia, ideo per puerum significatur id innocens quod vocatur insons: quia innocentiae tres gradus per illos, etiam amoris et charitatis tres gradus per eosdem significantur, ex causa, quia amor coelestis et spiritualis, hoc est, amor in Dominum et charitas erga proximum, non dari possunt nisi quam in innocentia: sed sciendum, quod Innocentia lactentium, infantum et puerorum, sit modo externa, et quod non detur apud hominem innocentia interna, quam postquam is e novo natus est, hoc est, e novo quasi factus lactens, infans, et puer; hi status sunt qui per illos significantur in Verbo, nam in sensu interno Verbi non nisi quam spirituale intelligitur, proinde spiritualis nascentia, quae renascentia et quoque regeneratio vocatur. Quod innocens, quod insons dicitur, significetur per puerum, constat apud Lucam „Jesus dixit, quicunque non recipit regnum Dei, ut *Puer*, non ingredietur in illud" XVIII: 17; recipere regnum Dei, ut *puer*, est charitatem et fidem ex innocentia. Apud Marcum „Jesus accepit *puerum*, statuit illum in medio eorum, inque ulnas suscepit illum; dixit illis, quisquis unum ex talibus *pueris* suscipit in Nomine meo, Me suscipit" IX: 36. 37. Luc: IX: 47. 48; per puerum hic repraesentata est innocentia, quam qui suscipit, Dominum suscipit, quia Ipse est ex quo omne In-

nocentiae; quod suscipere puerum in Nomine Domini, non sit puerum suscipere, quisque videre potest, ita quod coeleste per id repraesentatum sit. Apud Matthaeum „ *Pueri* in templo clamarunt, Osanna filio Davidis: indignati sunt, quare Jesus dixit illis, anne legistis, quod ex ore *infantum* et *lactentium* perfecisti laudem" XXI: 15. 16. Psalm: VIII: 3; quod pueri clamarent Osanna filio Davidis, erat ut repraesentaretur quod innocentia solum agnoscat et recipiat Dominum, hoc est, illi quibus innocentia est; per quod ex ore infantum et lactentium perfecisti laudem, significatur quod non per aliam viam laus ad Dominum venire queat, quam per innocentiam, per hanc solam fit omnis communicatio, et omnis influxus, proinde accessus; inde est, quod Dominus dicat, apud Eundem „ Nisi conversi fueritis, et fiatis sicut *pueri*, non ingrediemini in Regnum coelorum" XVIII: 3. Etiam in sequentibus his locis per puerum significatur innocentia, apud Sachariam „ Implebuntur plateae urbis *pueris* et *puellis*, ludentibus in plateis ejus" VIII: 5, ibi de nova Hierosolyma, seu Regno Domini. Apud Davidem „ Laudate Jehovam juvenes et etiam virgines, Senes cum *pueris*" Psalm: CXLVIII: 12. Apud Eundem „ Jehovah renovat e fovea vitam tuam, saturat bono os tuum, ut renoveris sicut aquila *pueritia tua*" Psalm: CIII: 4. 5. Apud Joëlem „ Super populum meum jecerunt sortem, quia dederunt *puerum* pro scorto, et *puellam* vendiderunt vino quod biberunt" IV: 3. Apud Jeremiam „ Dispergam per te virum et foeminam, et dispergam per te senem et *puerum*, et dispergam per te juvenem et virginem" LI: 22. Apud Esaiam „ *Puer natus est nobis*, filius datus est nobis, super cujus humero principatus, et vocabit Nomen Ipsius, Mirabilis, Consiliarius, Deus, Heros, Pater aeternitatis, Princeps pacis" IX: 5.

5237. Servus principis satellitum, quod significet in quo verum quod primario inserviret interpretationi, constat a praedicatione servi, quod sit de vero, de qua n: 2567. 3409; et ex significatione principis satellitum, quod sint primaria interpretationi, de qua n: 4790. 4966. 5084; et quia verum inservit interpretationi nempe Verbi, per servum principis satellitum, significatur hic verum inserviens.

5238. Et narravimus ei, quod significet quod inde perce-

ptio, constat a significatione narrare, quod sit perceptio, de qua n: 3209.

5239. Et interpretatus nobis somnia nostra, quod significet quid inesset praevisis in obscuro, constat a significatione interpretari, quod sit quid inesset, de qua n: 5093. 5105. 5107; et ex significatione somniorum, quod sint praevisa in obscuro, de qua supra n: 5233.

5240. Cuique secundum somnium suum interpretatus, quod significet ex vero; et factum quemadmodum interpretatus nobis, ita fuit, quod significet quod sic eveniret, constare potest ex eo, quod per illa verba significetur eventus rei, qui ex vero talis fuit, sicut praedixit.

5241. Me reduxit super stationem meam, quod significet quod sensuale partis intellectualis reciperetur, constat ex significatione pincernae, qui hic intelligitur per me, quod sit sensuale partis intellectualis, de qua supra; et ex significatione reducere super stationem, quod sit redigere in ordinem et subordinare, de qua n: 5125. 5165, ita quoque recipere.

5242. Et eum suspendit, quod significet quod sensuale partis voluntariae rejiceretur, constat ex significatione pistoris, qui hic intelligitur per *eum*, quod sit sensuale partis voluntariae, de qua supra; et ex significatione suspendere, quod sit rejicere, de qua n: 5156. 5167. Haec ulterius explicare non opus est, quia prius explicata sunt, sunt enim talia, quae iterum dicta sunt propter seriem.

5243. Vers: 14. *Et misit Pharao, et vocavit Josephum, et acceleraverunt eum e fovea, et totondit, et mutavit vestes suas, et venit ad Pharaonem.* Et misit Pharao, significat naturalis novi propensionem: et vocavit Josephum, significat ad recipiendum coeleste spiritualis: et acceleraverunt eum e fovea, significat festinam rejectionem talium quae impediverunt ex statu tentationis, et inde mutationem: et totondit, significat rejectionem et mutationem quoad illa quae sunt exterioris naturalis: et mutavit vestes suas, significat quoad illa quae sunt interioris naturalis, induendo convenientia: et venit ad Pharaonem, significat sic communicationem cum novo Naturali.

5244. Et misit Pharao, quod significet Naturalis novi propensionem, constat ex repraesentatione Pharaonis, quod sit

Naturalis homo novus, de qua n: 5079. 5080; propensio ad recipiendum coeleste spiritualis, significatur per quod miserit et vocaverit Josephum; ipsa propensio patet a sequentibus, quod dederit eum super domum suam, et super omnem terram Aegypti, et dixerit quod super ore ejus oscularetur omnis populus ejus, Vers: 40. 41. 42. 43. Cum his ita se habet; cum status plenus est, hoc est, cum omnia parata sunt in naturali ad recipiendum influxum ab interiori seu superiori, et ad sibi applicandum illa quae influunt, tunc quoque naturale in propensione est, hoc est, in affectione recipiendi, ita accommodatur unum alteri, cum homo renovatur a Domino.

5245. Et vocavit Josephum, quod significet ad recipiendum coeleste spiritualis, constat ex repraesentatione Josephi, quod sit coeleste spiritualis, de qua n: 4286. 4585. 4592. 4594. 4963; quod ad recipiendum illud significetur per quod vocaverit, videatur mox supra n: 5244.

5246. Et acceleraverunt eum e fovea, quod significet festinam rejectionem talium quae impediverunt ex statu tentationis, et inde mutationem, constat ex significatione foveae, quod sit status vastationis, et quoque tentationis, de qua n: 4728. 4744. 5038; et ex significatione accelerare eum ex illa, quod sit festina rejectio talium quae inde, nempe ex statu tentationis; cum enim fovea est status tentationis, tunc accelerare aliquem ex illa, est removere talia quae ex illo statu, consequenter rejicere; ut quoque a nunc sequentibus patet, illa enim quae erant foveae rejecit, totondit enim se, et mutavit vestes: status tentationis respective ad statum post illum, est quoque sicut status foveae seu carceris, squallidus et immundus, cum enim tentatur homo, tunc immundi spiritus prope illum sunt, et circumcingunt, et excitant mala et falsa quae apud illum, et quoque detinent illum in illis, et exaggerant, usque ad desperationem, inde est quod homo tunc in immundo et squallido sit: etiam status ille, cum sistitur videndus in altera vita, (status omnes spirituales ad visum ibi exhiberi possunt) tunc apparet ille sicut nimbus exhalatus e locis sordidis, et quoque foetor inde percipitur; talis apparet sphaera, qua circumcingitur is qui in tentatione est, et quoque qui in vastatione, hoc est, qui in fovea in terra inferiore, de qua n: 4728. At cum status tentationis cessat,

tunc dissipatur ille nimbus, et fit serenum; causa est, quia falsa et mala apud hominem per tentationes aperiuntur, et removentur, cum aperiuntur apparet illud nimbosum, et cum removentur apparet serenum: status illius mutatio etiam significatur per quod Josephus totonderit, et quod mutaverit vestes. Comparari etiam status tentationis potest cum illo statu, in quo homo est cum inter latrones, a quo cum venit est horridus quoad comas, asper quoad faciem, et ruptus quoad vestes, si in tentatione succumbit, manet in tali statu, at si in tentatione vincit, tunc postquam reposuit faciem, pectinavit comas, et mutavit vestes, in statum hilarem et serenum venit; sunt quoque spiritus et genii infernales, qui instar latronum tunc circumdant et aggrediuntur, et inducunt tentationes. Ex his nunc patet, quod per acceleraverunt eum e fovea, significetur festina rejectio talium quae impediverunt ex statu tentationis, et inde mutatio.

5247. Et totondit, quod significet rejectionem et mutationem quoad illa quae sunt exterioris naturalis, constat ex significatione tondere, nempe caput et barbam, quod sit rejicere talia quae sunt exterioris naturalis; capillus enim seu pilus, qui tondebatur, significat id naturale, videatur n: 3301: etiam pilus tam capitis quam barbae correspondet in Maximo Homine exteriori naturali, quapropter etiam sensuales homines, hoc est, illi qui nihil nisi quam naturale crediderant, nec intelligere voluerunt aliquid interius seu purius dari quam quod sensibus capere possent, illi in altera vita in luce coeli apparent pilosi, adeo ut facies vix aliud sit quam pilus barbae; pilosae tales facies multoties mihi visae sunt: qui autem rationales homines fuerunt, hoc est, spirituales, apud quos Naturale rite subordinatum fuerat, illi apparent decenter comati; imo ex coma in altera vita cognosci potest, quales sunt quoad naturale; quod spiritus in coma appareant, est quia in altera vita spiritus prorsus apparent sicut homines in terra; inde etiam est, quod visi angeli in Verbo describantur etiam quandoque quoad comas. Ex his constare potest, quid tondere significat; ut apud Ezechielem „Sacerdotes Levitae, filii Zadoki, exuent *vestes suas* in quibus ministrantes, et reponent illas in cubiculis sanctitatis, et *induent vestes alias*, nec sanctificabunt populum *vestibus suis;* et

caput suum non radent, et *comam non demittent*, TONDENDO *tondebunt capita sua* " XLIV: 19. 20; ibi de Novo Templo, et de novo Sacerdotio agitur, hoc est, de nova Ecclesia, ubi induere vestes alias significat sancta vera, caput non radere, comam non demittere, sed tondendo tondere capita, significat non rejicere naturale, sed accommodare ut concordet, ita subordinare; quisque qui sanctum credit Verbum, videre potest, quod haec et reliqua de nova Terra, nova Civitate, ac de novo Templo et novo Sacerdotio, apud Prophetam, prorsus se non habitura sint, sicut ibi in litera memorantur, ut quod Sacerdotes Levitae, filii Zadoki, ministrabunt ibi, et quod tunc exuent vestes ministerii et induent alias, quodque tondebunt capita, sed quod omnia et singula ibi significent talia quae sunt novae Ecclesiae. Quae de Sacerdote magno, filiis Aharonis, et de Levitis, statuta sunt, apud Mosen „ Sacerdos magnus ex fratribus suis, super cujus est effusum caput oleum unctionis et implevit manum suam *ad induendum vestes*, *caput suum non radet*, et *vestes suas non dissuet* " Levit: XXI: 10. Filii Aharonis „ *non inducent calvitiem capiti suo, nec angulum barbae suae radent;* sancti erunt Deo suo, nec prophanabunt nomen Dei sui " Levit: XXI: 5. 6. „ Purifices ita Levitas; asperge super illos aquas expiationis, *et transire facient novaculam super carnem suam*, et lavabunt *vestes suas*, et puri erunt " Num: VIII: 7, nec mandata fuissent, nisi sancta in se habuissent; quod sacerdos magnus non caput suum raderet, et non vestes suas dissueret; quod filii Aharonis non capiti suo calvitiem inducerent, nec angulum barbae raderent; et quod Levitae, cum purificarentur, raderentur novacula super carnem, quid sancti in his, et quid Ecclesiae in his; sed habere externum seu naturalem hominem subordinatum interno seu spirituali, et sic utrumque subordinatum Divino, hoc sanctum est, quod etiam percipiunt Angeli cum illa Verbi leguntur ab homine. Similiter quod „ Naziraeus, qui sanctus esset Jehovae, si mortuus fuerit juxta illum forte subito, et polluerit caput Naziraeatus sui, quod *tonderet caput suum* in die munditiae suae, in die septimo *tonderet illud*. Tum quod Naziraeus in die quo implentur dies naziraeatus ejus, *tonderet* ad ostium tentorii conventus *caput Naziraeatus sui*, et acciperet *crinem Capitis sui*, et daret super ignem qui sub sa-

crificio pacificorum " Num: VI: [8. 9.] 13 [. 18]; quid Naziraeus, et quid sancti repraesentabat, videatur n: 3301; quod sanctum in crinibus ejus constaret, nusquam comprehendi potest, nisi sciatur quid crinis est per correspondentiam, ita cui sancto crinis Naziraei correspondebat: pariter nec comprehendi potest, unde robur Simsoni ex crinibus, de quibus ille ita ad Delilam „ *Novacula non ascendit super caput meum*, quia Naziraeus Dei [10] ego ab utero matris meae, *si radar* recedet a me robur, et reddar infirmus, et ero sicut quivis homo: et Delila vocavit virum, *qui rasit septem cincinnos capitis ejus*, et recessit robur ejus a super eo. Et dein *cum incepit capillus capitis ejus crescere, sicut abrasus erat*, rediit robur ei " Judic: XVI: 17. 19; quis absque cognitione ex correspondentia nosse potest, quod Dominus quoad Divinum Naturale repraesentaretur per Naziraeum, et quod Naziraeatus non aliud fuerit, et quod robur Simsoni ex repraesentativo illo: qui non scit, et magis qui non credit, quod sensus internus Verbi sit, et quod sensus literae sit repraesentativus rerum quae in sensu interno, vix aliquid sancti in his agnoscet, cum tamen sanctissimum inest. Qui non scit, et magis qui non credit, quod sensus internus Verbi sit, qui sanctus, nec scire potest, quid sequentia haec in sinu gerunt; ut quae apud Jeremiam „ Periit veritas, et excisa est ex ore eorum, *abscinde crines tui Naziraeatus*, et abjice " VII: 28. 29. Apud Esaiam „ In die illo *detondebit* Dominus *per novaculam mercenariam* in transitibus fluvii, per regem Aschuris, *caput* et *pilos pedum*, et etiam *barbam* consumet " VII: 20. [11] Apud Micham „ *Calvitiem induc*, et *tonde te* propter filios delitiarum tuarum, *dilata calvitiem tuam*, sicut aquila quia migrarunt a te " I: 16: et praeterea nec sciet quid sancti involvit quod memoratur de Elia, quod esset „ *vir pilosus*, et cingulo corii cinctus circa lumbos suos " II Reg: I: 8; et cur „ pueri qui vocabant Elisaeum *Calvum*, discerpti essent ab ursis e sylva " II Reg: II: 23. 24; [12] per Eliam et per Elisaeum repraesentabatur Dominus quoad Verbum: ita per eos repraesentabatur Verbum, in specie Propheticum, videatur Praef: ad Cap: XVIII: Genes: et n: 2762; pilosum et cingulum corii significabat sensum literalem, vir pilosus, illum quoad vera, cingulum corii circa lumbos illum quoad bona; sensus enim literalis est sensus naturalis ejus, nam est ex illis quae

in mundo, et sensus internus est sensus spiritualis, quia est ex illis quae in coelo; hi bini sensus se habent sicut internum et externum apud hominem, et quia internum non est absque externo, [13] nam externum est ultimum ordinis in quo subsistit internum, ideo ignominiosum contra Verbum erat vocare Elisaeum Calvum, quasi esset absque externo, ita Verbum absque sensu adaequato captui hominis. Ex his constare potest, quod singula Verbi sancta sint; at, sanctitas, quae inibi, non apparet ad intellectum, nisi ei qui novit sensum ejus internum, usque tamen ad apperceptionem per influxum e coelo ei, qui Verbum sanctum credit, influxus ille fit per sensum internum in quo sunt angeli, qui sensus quamvis non intelligitur ab homine, usque afficit, quia affectio angelorum, qui in illo sunt, communicatur; inde quoque patet, quod Verbum datum sit homini, ut communicatio ei sit cum coelo, utque Divinum Verum, quod in Coelo, per influxum afficiat.

5248. Et mutavit vestes, quod significet quoad illa quae sunt interioris naturalis, induendo convenientia, constat a significatione mutare, quod sit removere et rejicere; et ex significatione vestium, quod sint illa quae sunt interioris naturalis, de qua sequitur; quod induerit convenientia, quae per novas vestes significantur, inde fluit. Vestes memorantur saepius in Verbo, et per illas intelliguntur ea quae infra seu extra sunt, ac tegunt ea quae supra seu intra sunt; quapropter per vestes significatur externum hominis, proinde naturale, nam hoc tegit internum ejus et spirituale; in specie per vestes significantur vera quae fidei, quia haec tegunt bona quae charitatis: hoc significativum habet originem suam ex vestibus, quibus spiritus et angeli apparent induti; spiritus apparent in vestibus absque splendore, angeli autem in vestibus cum splendore, et quasi a splendore, nam ipse splendor circum illos apparet sicut vestis, ad instar sicut vestimenta Domini cum transformatus, quae fuerunt sicut Lux, Matth: XVII: 2, et sicut album fulgurans, Luc: IX: 29; ex vestibus etiam spiritus et angeli cognosci possunt, quales sunt quoad vera fidei, quia haec per vestes repraesentantur, sed vera fidei qualia sunt in naturali, qualia autem in rationali, apparet ex facie et ejus pulchritudine; splendor qui vestibus eorum, est ex bono amoris et charitatis, hoc bonum

per translucentiam dat splendorem; ex his constare potest, quid per vestes repraesentatur in spirituali mundo, consequenter quid vestes sunt in spirituali sensu. Vestes autem, quas Josephus mutavit, nempe quas exuit, fuerunt vestes foveae seu carceris, per quas significantur fallacia et falsa, quae in tentationum statu a malis geniis et spiritibus excitantur, quapropter per mutavit vestes, significatur rejectio et mutatio quoad illa quae interioris naturalis, et vestes quas induit, fuerunt talia quae convenirent, quapropter etiam significatur induitio convenientium. Videantur quae prius de vestibus dicta et ostensa sunt, nempe, quod coelestia non vestiantur, sed spiritualia et naturalia, n: 297. Quod vestes sint vera inferiora respective, n: 1073. 2576. Quod mutare vestes fuerit repraesentativum, quod induerentur sancta vera, inde quoque vestes mutatoriae, n: 4545. Quod discindere vestes fuerit repraesentativum luctus super verum amissum et deperditum, n: 4763. Quid significatur per illum qui intravit non veste nuptiali indutus, n: 2132.

5249. Et venit ad Pharaonem, quod significet communicationem cum novo Naturali, constat a significatione venire, quod sit communicatio hic per influxum; et ex repraesentatione Pharaonis, quod sit novum naturale, de qua n: 5079. 5080. 5244. Quid haec, quae in hoc Versu, involvunt, patet ab illis quae explicata sunt; agitur enim de Josepho, quomodo is ex fovea liberatus est, et ad Pharaonem venit; per Josephum in sensu interno repraesentatur Dominus quoad coeleste spiritualis, et per Pharaonem repraesentatur Naturalis seu externus homo, per foveam in qua Josephus, repraesentatur status tentationis Domini quoad coeleste spiritualis, et per vocationem e fovea a Pharaone, significatur status liberationis a tentationibus, et porro status influxus et communicationis dein cum Novo Naturali; ex his patet, quod in sensu interno describatur hic quomodo Dominus Naturale suum novum fecit, et tandem Divinum: haec sunt, quae Angeli coelestes cogitant cum historica haec leguntur ab homine; talia cogitare etiam illis jucundissimum est, nam sunt in sphaera Divina Domini, ita quasi in Domino, et tunc in perceptione intimi gaudii sunt, cum in cogitatione de Domino, et de salvatione Generis humani per quod Dominus Humanum in se Divinum fecerit; utque angeli in coelestissimo illo gaudio

detinerentur, et simul in sapientia, ideo Divinus ille processus in sensu interno Verbi plene descriptus est; et simul in illo processus regenerationis hominis, regeneratio enim hominis, est imago glorificationis Domini, n: 3138. [14] 3212. 3296. 3490. 4402. Plures fortassis miraturi sunt, quid inter se loquuntur angeli, consequenter quid inter se homines post mortem qui fiunt angeli; sed sciant, quod talia sint quae in sensu interno Verbi continentur, nempe de Glorificatione Domini, de Regno Ipsius, de Ecclesia, de regeneratione hominis per bonum amoris et verum fidei, sed de his per arcana, quae quoad perplurimam partem ineffabilia sunt.

5250. Vers: 15. 16. *Et dixit Pharao ad Josephum, somnium somniavi, et interpretans nemo illud, et ego audivi super te, dicendo, audias somnium ad interpretandum illud. Et respondit Joseph Pharaoni, dicendo, non ad me, Deus respondebit pacem Pharao.* Et dixit Pharao ad Josephum, significat perceptionem coelestis spiritualis e naturali: somnium somniavi, significat praedictionem: et interpretans nemo illud, significat ignorationem quid inesset: et ego audivi super te, significat facultatem coelestis spiritualis: dicendo, audias somnium ad interpretandum illud, significat appercipiendi quid praevisis inest: et respondit Joseph Pharaoni, significat cognitionem: dicendo, non ad me, significat quod non ex Humano solo: Deus respondebit pacem Pharao, significat ex Divino Humano per conjunctionem.

5251. Et dixit Pharao ad Josephum, quod significet perceptionem coelestis spiritualis e naturali, constat ex significatione dicere in historicis Verbi, quod sit percipere, de qua saepius prius; ex repraesentatione Pharaonis, quod sit Naturale, de qua n: 5079. 5080. 5095. 5160; et ex repraesentatione Josephi, quod sit coeleste spiritualis, de qua n: 4286. 4592. 4594. 4963. 5086. 5087. 5106. 5249: quod perceptio coelestis spiritualis e naturali significetur, est quia Dominus per utrumque, nempe per Josephum et per Pharaonem repraesentatur, per Josephum quoad coeleste spiritualis, et per Pharaonem quoad naturale, inde per dixit Pharao ad Josephum, significatur perceptio Domini ex coelesti spiritualis in naturali: sed quid et qualis perceptio illa est, non ad captum dici potest, nisi prius forma-

tum sit aliquid ideae de perceptione spirituali, deque coelesti spiritualis, et quoque de naturali qualiter distinctum est a spirituali: de illis quidem aliqua prius dicta sunt, sed revocanda forent.

5252. Somnium somniavi, quod significet praedictionem, constat ex significatione somnii, quod sit praevidentia, et inde praedictio, de qua n: 3698. 5091. 5092. 5104. 5233; quod somnium hic praedictio [15] sit, etiam a sequentibus patet, in somnio enim praedictum est de septem annis abundantiae annonae, et de septem annis famis.

5253. Et interpretans nemo illud, quod significet ignorationem quid inesset, constat ex significatione interpretari, quod sit quid inesset, de qua n: 5093. 5105. 5107. 5141, inde ignoratio quid inesset significatur per quod nemo interpretans illud. *Nemo* in sensu interno non est nemo aut nullus, sed est mere negativum, hic ideo *non*, ita quod non sciatur seu quod ignoretur; causa est, quia in sensu interno non aliqua persona, et ne quidem aliquid determinatum ad personam spectatur, videatur n: 5225, et in voce nemo aut nullus aliquid personae in communi involvitur: sunt tria in genere, quae ex sensu literae Verbi pereunt, dum fit sensus internus, nempe id quod est temporis, id quod est spatii, et id quod est personae; causa est, quia in mundo spirituali non est tempus, nec est spatium, haec bina sunt propria naturae, quapropter etiam de morientibus dicitur, quod e tempore excedant, et quod relinquant illa quae temporis sunt; quod in mundo spirituali non spectatur aliquid determinatum ad personam, est causa, quia intuitio personae in loquela contrahit ideam et limitat, non autem extendit et illimitatam reddit; extensum et illimitatum in loquela facit quod universalis sit, et quod innumerabilia et quoque ineffabilia comprehendat, et exprimere possit; loquela angelorum inde talis est, imprimis loquela angelorum coelestium, quae est illimitata respective, inde omne sermonis eorum influit in Infinitum et in Aeternum, consequenter in Divinum Domini.

5254. Et ego audivi super te, quod significet facultatem coelestis spiritualis; dicendo, audias somnium ad interpretandum illud, quod significet appercipiendi quid praevisis inest, constat ex significatione audire super te, quod sit appercipere

et nosse quod talis sit, proinde quod facultas; ex repraesentatione Josephi, ad quem illa dicuntur, quod sit coeleste spirituatlis, de qua n: 4286. 4592. 4594. 4963. 5086. 5087. 5106; ex significatione audire, quod sit appercipere, de qua n: 5017; ex significatione somnii, quod sit praevisum, de qua mox supra n: 5252; et ex significatione interpretari, quod sit quid inesset, de qua etiam supra n: 5253; inde patet, quod per ego audivi super te, dicendo, audias somnium ad interpretandum illud, significetur facultas coelestis spiritualis appercipiendi quid praevisis inest.

5255. Et respondit Joseph Pharaoni, quod significet cognitionem, constat ex significatione respondere ad aliquid cum interrogatur, quod sit dare novisse quomodo se habet, proinde cognitio.

5256. Dicendo, non ad me, quod significet quod non ex humano solo, constare potest ex significatione non ad me, seu non pertinens ad se, cum agitur de Domino, qui repraesentatur per Josephum, quod sit non ex humano solo, sed ex Divino, nam Divinum praevidet, proinde novit quid inest: Domino enim Praevidentia et Providentia fuit, cum in mundo, quidem in humano, sed ex Divino, at dein, cum glorificatus, est ex solo Divino, nam Humanum glorificatum est Divinum; humanum in se spectatum non est nisi quam forma recipiens vitae a Divino, at Humanum glorificatum Domini, seu Divinum Humanum Ipsius, non est forma recipiens vitae a Divino, sed est ipsum esse vitae, et quod inde procedit, est vita; talem ideam de Domino habent angeli; at qui ab Ecclesia Christiana hodie in alteram vitam veniunt, paene omnes ideam de Domino sicut de alio homine habent, non modo separatam a Divino, tametsi Ipsi Divinum quoque adjungunt, sed etiam separatam a Jehovah, et quod magis separatam etiam a sancto quod procedit ab Ipso; unum quidem Deum dicunt, sed usque cogitant tres, et actualiter Divinum inter tres partiuntur, distinguunt enim in personas, et quamlibet Deum vocant, et cuique proprium distinctum tribuunt; inde de Christianis dicitur in altera vita, quod tres Deos colant, quia tres cogitant, utcunque unum dicunt. Qui autem Gentiles fuerunt, et conversi ad Christianismum, illi in altera vita Dominum solum adorant; et hoc ex causa, quia credi-

derunt, quod non potuerit aliud esse quam quod Supremus Deus se manifestaverit in terra sicut homo, et quod supremus Deus sit Divinus Homo; et si de supremo Deo non illam ideam haberent, quod nullam possent habere, sic nec cogitare de Deo, consequenter non cognoscere Illum, minus amare Illum.

5257. Deus respondebit pacem, Pharao, quod significet ex Divino Humano per conjunctionem, constare potest ab illis quae mox supra n: 5256, dicta sunt; et ex significatione pacis quam Deus respondebit, quod sit ex Divino Humano Domini; quod Deus sit Divinum, constat absque explicatione, et quod pax in supremo sensu sit Dominus, videatur n: 3780. 4681; quod per conjunctionem, nempe cum coelesti spiritualis, et per id cum naturali, est quia de conjunctione illa hic agitur.

5258. Vers: 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. *Et loquutus Pharao ad Josephum, in somnio meo, ecce me stantem juxta ripam fluvii. Et ecce e fluvio ascendentes septem vaccae pingues carne et pulchrae forma, et pascebant in ulva. Et ecce septem vaccae aliae ascendentes post eas, tenues et malae forma valde, et macilentae carne, non vidi sicut eas in omni terra Aegypti quoad malignitatem. Et comederunt vaccae macilentae et malae septem vaccas priores pingues. Et venerunt ad viscera earum, et non cognitum quod venerint ad viscera earum, et aspectus earum malignus quemadmodum in initio: et expergefactus sum. Et vidi in somnio meo, et ecce septem aristae ascendentes in calamo uno, plenae et bonae. Et ecce septem aristae aridae, graciles et exustae euro germinantes post illas. Et absorpserunt aristae graciles septem aristas bonas: et dixi ad magos, et nemo indicans mihi.* Et loquutus Pharao ad Josephum, significat cogitationem [16] coelestis spiritualis e naturali: in somnio meo, significat praevisum in obscuro: ecce me stantem juxta ripam fluvii, significat a termino ad terminum: et ecce e fluvio, significat quod in termino: ascendentes septem vaccae, significat vera naturalis: pingues carne, significat quae charitatis: et pulchrae forma, significat quae fidei inde: et pascebant in ulva, significat instructionem: et ecce septem vaccae aliae ascendentes post eas, significat falsa, quae naturalis, juxta: tenues et malae forma valde, significat quae vana et nullius fidei: et macilentae carne, significat quae nec charitatis:

non vidi sicut eas in omni terra Aegypti quoad malignitatem, significat talia quae nullo modo cum veris et bonis conjungi possent: et comederunt vaccae macilentae et malae, significat quod falsa quae non charitatis et non fidei exterminarent: septem vaccas priores pingues, significat vera quae fidei ex charitate: et venerunt ad viscera earum, significat exterminationem interiorem: et non cognitum quod venerint ad viscera earum, significat quod vera boni non amplius appercepta: et aspectus earum malignus quemadmodum in initio, significat quod nihil communicationis et conjunctionis: et expergefactus sum, significat illustrationis statum: et vidi in somnio meo, significat adhuc praevisum in obscuro: et ecce septem aristae ascendentes in calamo uno, significat scientifica, quae naturalis, conjuncta: plenae et bonae, significat quibus illa quae fidei et charitatis inapplicari possent: et ecce septem aristae aridae, graciles et exustae euro, significat scientifica nullius usus et plena cupiditatum: germinantes post illas, significat apparentes juxta: et absorpserunt aristae graciles septem aristas bonas, significat quod scientifica nullius usus exterminarent scientifica usus: et dixi ad magos, significat consultationem cum scientificis interioribus: et nemo indicans mihi, significat quod ex illis nihil appperceptum.

5259. Et loquutus Pharao ad Josephum, quod significet cogitationem coelestis spiritualis e naturali, constat ex illis quae supra n: 5251 dicta sunt, ubi similia, praeter solum quod ibi dicatur, *dixit* Pharao ad Josephum, hic autem *loquutus* ad illum, dixit enim significat perceptionem, loquutus autem cogitationem, n: 2271. [17] 2287. 2619. Quod per loquutus Pharao ad Josephum, significetur cogitatio coelestis spiritualis e naturali, et non vicissim, est quia id quod exterius est, nusquam cogitet ex se, sed ex interiori, seu quod idem, id quod inferius est, non nisi quam a superiori, tametsi dum interius seu superius cogitat in exteriori seu inferiori, apparet sicut exterius seu inferius ex se cogitaret, sed est fallacia; se habet hoc, sicut qui videt aliquid in speculo, et non scit quod ibi speculum sit, is putat quod ibi sit, ubi apparet, cum tamen non ibi sit; quia nunc coeleste spiritualis est interius seu superius, et naturale est exterius seu inferius, inde per loquutus Pharao ad Josephum in

sensu interno significatur cogitatio coelestis spiritualis e naturali. Verbo, nihil quod infra est, potest quicquam ex se, sed quod potest hoc habet a superiori, et quia ita, sequitur evidenter, quod a Supremo sit omne, hoc est, a Divino; consequenter, quod homo ex intellectu cogitet, et ex voluntate agat, id a Supremo seu a Divino habeat, at quod false cogitet et male agat, est ex forma quam sibi ipsi impressit; sed quod vere cogitet et bene agat, est ex forma quam receperat a Domino; notum enim est, quod una eademque potentia et vis producat motus diversos secundum constructiones in mediis et extremis, ita in homine vita ex Divino diversas cogitationes et diversas actiones, secundum formas.

5260. Sequentia in hoc serie sunt paene eadem, quae prius in hoc Capite a n: 5195 ad 5217, explicata sunt, quapropter supersedetur illa ulterius explicare.

5261. Vers: 25. 26. 27. *Et dixit Joseph [ad] Pharaonem, somnium Pharaonis unum illud, quod Deus faciens, indicavit Pharaoni. Septem vaccae bonae septem anni eae, et septem aristae bonae septem anni illae; somnium unum illud. Et septem vaccae graciles et malae ascendentes post eas, septem anni eae; et septem aristae vacuae, exustae euro, erunt septem anni famis.* Et dixit Joseph ad Pharaonem, significat perceptionem naturalis e coelesti spiritualis: [18] somnium Pharaonis unum illud, significat simile in utroque quod praevisum: quod Deus faciens indicavit Pharaoni, significat quid provisum [19] quod appercipere datum Naturali: septem vaccae bonae septem anni eae, significat status multiplicationis veri in interiori naturali: et septem aristae bonae septem anni illae, significat status multiplicationis veri in exteriori naturali: somnium unum illud, significat quod utrumque erit per conjunctionem: et septem vaccae graciles et malae ascendentes post eas, septem anni eae, significat status multiplicationis falsi infestantis, interius naturale: et septem aristae vacuae, exustae euro, significat status multiplicationis falsi infestantis exterius naturale: erunt septem anni famis, significat inde defectum et privationem veri apparentem.

5262. Dixit Joseph ad Pharaonem, quod significet perceptionem Naturalis e coelesti spiritualis, constat ex significatione dicere in historicis Verbi, quod sit percipere; ex repraesenta-

tione Josephi, quod sit coeleste spiritualis; et ex repraesentatione Pharaonis, quod sit Naturale, de quibus singulis saepe prius.

5263. Somnium Pharaonis unum illud, quod significet simile in utroque quod praevisum, constat ex significatione somnii, quod sit praevisum, de qua n: 3698. 5091. 5092. 5104. 5233; ex repraesentatione Pharaonis, quod sit Naturale, de qua n: 5079. 5080. 5095. 5160; et ex significatione unum illud, quod hic sit simile in utroque, nempe naturali, interiore et exteriore; quod naturale binum sit, videatur n: 5118. 5126; nam quod Pharaoh somniavit de vaccis, praevisum fuit de interiore Naturali, et quod somniavit de aristis, praevisum fuit de exteriore; et quia utrumque naturale unum agent per conjunctionem, significatur simile in utroque.

5264. Quod Deus faciens indicavit Pharaoni, quod significet quid provisum, quod appercipere datum Naturali, constat ex significatione quod Deus faciens, quod sit provisum, de qua sequitur; ex significatione indicare, quod sit communicare et dare appercipere, de qua n: 3608. 4856; et ex repraesentatione Pharaonis, quod sit Naturale, de qua supra n: 5263; inde patet, quod per quod Deus faciens indicavit Pharaoni, significetur quid provisum quod appercipere datum Naturali. Quod Deus faciens, quod sit provisum, est quia omne, quod Deus, hoc est, Dominus facit, est Providentia, quae quia est ex Divino, in se habet Aeternum [20] et Infinitum, Aeternum quia non spectat aliquem terminum a quo nec terminum ad quem; Infinitum quia spectat simul in omni singulari universale, et in universali omne singulare; hoc vocatur Providentia: et quia in omnibus et singulis, quae Dominus facit, tale inest, ideo Ipsius facere non per aliam vocem, quam per vocem Providentiae, exprimi potest. Quod in omnibus et singulis, quae Dominus facit, insit infinitum et aeternum, per exempla alibi, ex Divina Domini Misericordia, illustrabitur.

5265. Septem vaccae bonae septem anni [21] eae, quod significet status multiplicationis veri in interiori naturali, constat ex significatione vaccarum, quod in bono sensu sint vera interioris naturalis, de qua n: 5198; et ex significatione annorum, quod sint status, de qua n: 482. 487. 488. 493. 893:

quod septem fuerint, est quia septem significant sanctum, et inde adjiciunt sanctitatem rei de qua agitur, n: 395. 433. 716. 881; et quoque involvunt integram periodum a principio ad finem, n: 728; inde est, quod septem vaccae, et septem aristae in somnio visae sint, et dein quod septem anni abundantiae annonae, et septem anni famis fuerint; inde quoque est, quod septimus dies sanctificatus sit; et quod septimus annus in Ecclesia repraesentativa fuerit Annus sabbatharius, et quod post septies septem annos Jubilaeum: quod septem significent sancta, est ex significatione Numerorum in mundo spirituum; unusquisque numerus ibi aliquam rem involvit; aliquoties mihi ad visum apparuerunt Numeri, simplices et compositi, semel etiam in longa serie, et miratus quid significarent, et dictum quod existerent ex loquela Angelica, et quod res quoque per numeros quandoque soleant exprimi; qui numeri non apparent in coelo, sed in mundo spirituum, ubi talia ad visum sistuntur: hoc Antiquissimi, qui coelestes homines fuerunt, et cum angelis loquuti sunt, norunt, et inde computum Ecclesiasticum per numeros formarunt, per quos exprimebant universaliter illa, quae per voces singulariter; sed quid unusquisque numerus involverat, non mansit apud posteros, solum quid significarent numeri simplices, nempe duo, tria, sex, septem, octo, duodecim, et inde viginti quatuor, septuaginta duo, et septuaginta septem, imprimis quod per septem significaretur sanctissimum, nempe in supremo sensu ipsum Divinum, et in sensu repraesentativo coeleste amoris; inde est, quod status hominis coelestis significatus sit per diem septimum, n: 84. 85. 86. 87. Quod numeri significant res, patet manifeste a numeris quamplurimis in Verbo, ut ab his apud Johannem „Qui habet intelligentiam, computato numerum bestiae, numerus enim hominis est, nempe, numerus ejus est sexcenta sexaginta sex" Apoc: XIII: 18; et alibi apud Eundem „Angelus mensus est murum sanctae Hierosolymae centum quadraginta quatuor cubitorum, quae est mensura hominis, hoc est, angeli" Apoc: XXI: 17; numerus 144 est ex 12 in se multiplicatis, et ex his 72.

5266. Et septem aristae bonae septem anni illae, quod significet status multiplicationis veri in exteriori naturali, constat ex significatione aristarum, quod in bono sensu sint scientifica,

de qua n: 5212, proinde vera exterioris naturalis, nam haec vocantur scientifica; et ex significatione annorum, quod sint status, de qua mox supra n: 5265: quid septem, etiam ibi videatur.

5267. Somnium unum illud, quod significet quod utrumque erit per conjunctionem, constat ex illis quae supra n: 5263, dicta sunt.

5268. Et septem vaccae graciles et malae ascendentes post eas septem anni eae, quod significet status multiplicationis falsi infestantis interius naturale, constat ex significatione vaccarum, quod in genuino sensu sint vera in interiori naturali, de qua n: 5198. 5265, in opposito autem falsa ibi, de qua n: 5202, quapropter illae vocantur vaccae bonae, hae autem graciles et malae; ex significatione ascendere, quod sit progressivum versus interiora, de qua n: 5202; et ex significatione annorum, quod sint status, de qua mox supra n: 5265. Sicut septem significant sanctum, ita quoque in opposito sensu significant prophanum; pleraque enim in Verbo, etiam oppositum sensum habent, et hoc ex causa, quia eadem, quae in coelo fiunt, cum defluunt versus infernum, vertuntur in opposita, et fiunt actualiter opposita, inde sancta, quae per septem significantur, fiunt ibi prophana: quod per septem significentur et sancta et prophana, licet ex septem solum nominatis in Apocalypsi confirmare; quod sancta ibi „ Johannes *septem Ecclesiis;* gratia et pax ab Illo, qui est, et qui erat, et qui venturus est, et a septem *spiritibus* qui sunt coram throno Ipsius " I: 4. „ Haec dicit, qui habet *septem spiritus*, et *septem stellas* " III. 1: „ E throno exibant *septem lampades* ignis ardentes coram throno, quae sunt *septem spiritus* Dei " IV: 5. „ Vidi super dextra sedentis super throno librum scriptum intus et a tergo, obsignatum *septem sigillis* " V: 1. „ Vidi cum ecce in medio throni Agnus stans tanquam mactatus, habens *cornua septem*, et *oculos septem*, qui sunt *septem Dei spiritus* emissi in omnem terram " V: 6. „ *Septem Angelis* datae sunt *septem tubae* " VIII: 2. „ In diebus vocis *Septimi angeli* consummandum erat mysterium Dei " X: 7. „ Exiverunt *septem Angeli* habentes *septem plagas* e templo, induti linteo albo et splendido, et circumcincti circa pectora cingulis aureis: tunc unum ex quatuor animalibus dedit *septem angelis septem phialas aureas* "

XV: 6. 7. Quod septem in opposito sensu significent prophana, patet ab his etiam in Apocalypsi „ Ecce *draco* magnus rufus, habens *capita septem*, et cornua decem, et super capitibus ejus *diademata septem* " XII: 3. „ Vidi e mari bestiam ascendentem, quae habebat *Capita septem*, et cornua decem, et super cornibus suis decem diademata, super capitibus autem suis nomen blasphemiae " XIII: 1. „ Vidi mulierem sedentem super bestia coccinea, plenam nominibus blasphemiae, et habebat *Capita septem*, et cornua decem. Hic intelligentia, si quis habet sapientiam, *septem capita* sunt *montes septem*, ubi mulier sedet super illis, et *reges septem* sunt. Bestia quae erat, et non est, ille rex octavus est, et *ex septem*, et in perditionem abit " XVII: 3. 7. 9 11.

5269. Et septem aristae vacuae, exustae euro, quod significet status multiplicationis falsi infestantis exterius naturale, constat ex significatione aristarum, quod sint scientifica, quae sunt vera exterioris naturalis, de qua supra n: 5266, ita in opposito sensu falsa ibi, n: 5202. 5203. 5204; quid vacuae et exustae euro, videatur supra.

5270. Erunt septem anni famis, quod significet defectum et privationem veri apparentem, constat ex significatione famis, quod sit defectus cognitionum, de qua n: 1460. 3364, ita quoque privatio veri; quod enim falsa exterminarent vera, sic ut appareret quasi non amplius essent, significatur per quod comederunt vaccae macilentae et malae septem vaccas pingues, et venerunt ad viscera earum, et non cognitum quod venerint ad viscera earum; tum per quod aristae graciles absorpserint septem aristas bonas, Vers: 4. 7. 20. 21. 24. n: 5206. 5207. 5217. Quomodo haec se habent, quod nempe in initio multiplicabitur Verum in utroque naturali, et quod postea deficiet ita, ut vix appareat, est arcanum quod nemo scire potest, nisi cui datum scire quomodo cum reformatione et regeneratione hominis se habet: quia in sequentibus de hac re in sensu interno agitur, hic in antecessum paucis de illa dicendum; homo, cum reformatur, primum addiscit vera ex Verbo seu doctrina, et reponit illa in memoria; qui non reformari potest, credit, cum didicerat vera et reposuerat in memoria, quod satis sit, sed multum fallitur; vera, quae hauserat, initianda et conjungenda sunt bono, nec pos-

sunt initiari et conjungi bono, quamdiu in naturali homine manent mala amoris sui et mundi, hi amores fuerunt primi introductores, cum quibus nequaquam vera conjungi possunt; quapropter ut fiat conjunctio, exterminanda prius sunt vera per amores illos introducta et retenta, tametsi non exterminantur, sed intrahuntur ut non appareant, quapropter dicitur privatio veri apparens; cum hoc factum est, tunc naturale illuminatur ab interiori, et tunc mala amorum sui et mundi cedunt, et ad gradum quo cedunt reponuntur vera, et conjunguntur bono. Status, cum homo apparenter privatur veris, in Verbo vocatur desolatio, et quoque comparatur vesperae, in qua homo est antequam venit in mane; quapropter in Ecclesia repraesentativa dies inchoabantur a vespera.

5271. Vers: 28. 29. 30. 31. 32. *Hoc verbum quod loquutus sum ad Pharaonem, quod Deus faciens, videre fecit Pharaonem. Ecce septem anni veniunt, abundantia annonae magna in omni terra Aegypti. Et surgent septem anni famis post eos, et oblivioni dabitur omnis abundantia annonae in terra Aegypti, et consumet fames terram. Et non cognoscetur abundantia annonae in terra a coram fame illa post hoc, quia gravis ea valde. Et super iterari somnium ad Pharaonem duabus vicibus, quia stabilitum verbum a cum Deo, et festinans Deus facere illud.* Hoc verbum, quod loquutus sum ad Pharaonem, significat quod cogitavit naturale e coelesti spiritualis: quod Deus faciens, significat de proviso: videre fecit Pharaonem, significat apperceptionem Naturalis: ecce septem anni veniunt, significat status providentiae: abundantia annonae magna in omni terra Aegypti, significat multiplicationem veri in utroque naturali: et surgent septem anni famis post eos, significat status sequentes cum defectus veri: et oblivioni dabitur omnis abundantia annonae in terra Aegypti, significat remotionem veri et privationem ejus apparentem in utroque naturali: et consumet fames terram, significat usque ad desperationem: et non cognoscetur abundantia annonae in terra, significat quod nihil de vero, quod prius, appercipietur ibi: a coram fame illa posthac, quia gravis ea valde, significat ob defectum talem: et super iterari somnium ad Pharaonem duabus vicibus, significat quia praevisum [22] de utroque naturali: quia stabilitum verbum a

cum Deo, significat quod sit Divinum: et festinans Deus facere illud, significat cum omni eventu.

5272. Hoc verbum quod loquutus sum ad Pharaonem, quod significet quod cogitavit naturale e coelesti spiritualis, constat ex significatione verbi, quod sit res, de qua sequitur; ex significatione loqui, quod sit cogitare, de qua n: 2271. [17] 2287. 2619. 5259; ex repraesentatione Josephi, qui hic loquitur, quod sit coeleste spiritualis; et ex repraesentatione Pharaonis, quod sit naturale, de quibus supra: ex his patet, quod per hoc verbum quod loquutus sum ad Pharaonem, significetur illa res, vel illud quod cogitavit naturale e coelesti spiritualis; videatur etiam n: 5262. Quod verbum attinet, in Lingua originali res per Verbum exprimitur, inde quoque revelatio Divina vocatur Verbum, et quoque Dominus in supremo sensu; et per Verbum, cum praedicatur de Domino, et quoque de revelatione ab Ipso, in proximo sensu significatur Divinum Verum, ex quo omnia quae res sunt existunt: quod omnia quae res sunt per Divinum Verum quod a Domino, ita per Verbum, exstiterint et existant, est arcanum quod nondum est detectum; creditur, quod per id intelligatur, quod omnia creata fuerint, per quod Deus dixerit et mandaverit, sicut Rex in suo regno; sed hoc non intelligitur per quod omnia per Verbum facta et creata sint, sed est Divinum Verum, quod procedit ex Divino Bono, hoc est, quod procedit a Domino, a quo omnia exstiterunt et existunt; Divinum Verum procedens a Divino Bono, est ipsissimum reale, et ipsissimum essentiale quod in universo, hoc facit et creat; de Divino Vero vix aliquis aliam ideam habet, quam sicut de verbo quod fluit ex ore loquentis, et dissipatur in aëre, haec idea de Divino Vero produxit eam opinionem quod per Verbum intelligatur modo mandatum, et sic quod solum ex mandato omnia facta sint, ita non ex aliquo reali quod processit ex Divino Domini; sed ut dictum, est Divinum Verum procedens a Domino, ipsissimum reale et essentiale, ex quo omnia, formae boni et veri sunt ex illo; at de hoc arcano plura, ex Divina Domini Misericordia, in sequentibus.

5273. Quod Deus faciens, quod significet de proviso, constat ex significatione quod Deus faciens, quod sit provisum, de qua supra n: 5264.

5274. Videre fecit Pharaonem, quod significet apperceptionem naturalis, constat ex significatione videre, quod sit intelligere, et appercipere, de qua n: 2150. 2325. 2807. 3764. 4567. 4723; et a repraesentatione Pharaonis, quod sit naturale, de qua prius.

5275. Ecce septem anni veniunt, quod significet status providentiae, constat ex significatione annorum, quod sint status, de qua n: 487. 488. 493. 893; et ex significatione venire, quod sit providentiae, venire enim ac fieri, cum praedicatur de Divino, seu de eo quod Deus facit, est id quod evenit ex Providentia, proinde est Providentiae; quod id quod Deus facit, sit Providentia, videatur supra n: 5264. 5273. De septem annis abundantiae annonae, et septem annis famis, agitur in sequentibus, et ibi per annos significantur status, per annos abundantiae annonae status multiplicationis veri in naturali, et per annos famis status defectus et privationis veri in naturali; in genere per septem annos abundantiae annonae et septem annos famis in terra Aegypti, in sensu interno describuntur status reformationis et regenerationis hominis, et in sensu supremo status glorificationis Humani Domini; ut illa repraesentarentur, evenerunt talia in terra Aegypti; quod ibi erat quia per terram Aegypti et per Pharaonem in sensu interno intelligitur Naturale, de cujus glorificatione in Domino ibi agitur. Sciendum, quod illa quae eo tempore fiebant, et in Verbo descripta sunt, repraesentativa fuerint Ipsius Domini, Humani Ipsius glorificationis, et in sensu repraesentativo Ipsius Regni, consequenter Ecclesiae in Communi, et Ecclesiae in singulari, ita regenerationis hominis, nam per regenerationem fit homo Ecclesia in singulari: quod repraesentativa talium essent quae eo tempore fiebant, erat imprimis propter Verbum, ut hoc conscriberetur, et sic Verbum contineret talia quae repraesentarent Divina, coelestia, et spiritualia, in continua serie, et ita inserviret non solum homini Ecclesiae sed etiam angelis in coelo, Angeli enim inde Divina percipiunt, et sic afficiuntur sanctis, quae communicantur homini qui ex affectione legit Verbum, unde ei quoque sanctum: haec causa est, quod talia evenerint in terra Aegypti.

5276. Abundantia annonae magna in omni terra Aegypti, quod significet multiplicationem veri in utroque naturali, con-

stat ex significatione abundantiae annonae: quod sit multiplicatio veri, de qua sequitur; et ex significatione terrae Aegypti, quod sit utrumque naturale, per Aegyptum enim significatur scientia, videatur n: 1164. 1165. 1186. 1462. 4749. 4964. 4966, et quia scientia, etiam significatur naturale, ex causa quia scientificum dicitur id quod in naturali, est itaque terra Aegypti mens naturalis in qua scientificum; inde per omnem terram Aegypti significatur utrumque naturale, nempe interius et exterius, quod naturale interius et exterius sit, videatur n: 5118. 5126. Quod abundantia annonae significet multiplicationem veri, est quia opponitur fami, quae significat defectum veri; vox, per quam in Lingua originali exprimitur abundantia annonae, est cui opponitur fames, et significat in sensu interno plenam copiam et sufficientiam cognitionum, quia fames defectum earum. Cognitiones non aliud sunt, quam vera naturalis hominis, sed quae nondum ei appropriata sunt, talium verorum multiplicatio hic intelligitur; cognitiones non fiunt vera apud hominem, priusquam agnoscuntur intellectu, quod fit cum ab ipso confirmantur, et haec vera non appropriantur ei, priusquam is vivit secundum illa, nihil enim appropriatur homini, quam quod fit vitae, sic enim ipse, quia vita ejus, illis inest.

5277. Et surgent septem anni famis post eos, quod significet status sequentes cum defectus veri, constat ex significatione annorum, quod sint status, de qua n: 482. 487. 488. 493. 893; ex significatione famis, quod sit defectus cognitionum, de qua n: 1460. 3364; et ex significatione post eos, quod sint sequentes.

5278. Et oblivioni dabitur omnis abundantia annonae in terra Aegypti, quod significet remotionem veri et privationem ejus apparentem in utroque naturali, constat ex significatione oblivisci seu oblivioni dari, quod sit remotio et inde privatio apparens; ex significatione abundantiae annonae, quod sit multiplicatio veri seu multiplicatum verum, de qua mox supra n: 5276; et ex significatione terrae Aegypti, quod sit mens naturalis seu naturale hominis, hic utrumque, ut mox supra n: 5276. Quod oblivisci seu oblivioni dari sit remotio et privatio apparens, est quia ita se habet cum memoria et inde cogitatione; illa de quibus homo cogitat, sunt immediate sub ejus intuitu, et

quae ei rei affinia sunt, se sistunt ordine circum, usque ad non affinia quae sunt remotissima, et tunc in oblivione; quae opposita sunt, inde separantur, et pendent deorsum, et se sistunt subter, et aequilibrant illa quae supra sunt; ordinatio haec fit per bonum quod influit; ita se habet cum omni cogitatione hominis; quod ita se habeat, ex cogitationibus in altera vita apparet, cogitationes enim ibi in luce coeli solent quandoque visibiles sisti, et tunc apparet talis earum dispositionis forma: inde constare potest, quod oblivisci in sensu interno, non aliud sit quam remotio, et privatio apparens.

5279. Et consumet fames terram, quod significet usque ad desperationem, constat ex significatione famis, quod sit defectus cognitionum, et inde privatio veri, de qua supra n: 5277. 5278; et ex significatione terrae, hic Aegypti, quod sit mens naturalis, de qua etiam supra n: 5276. 5278; quod usque ad desperationem, est quia dicitur, consumet fames terram; cum enim per terram significatur mens naturalis, et per famem privatio veri, non aliud significatur quam desperatio, nam tunc spirituali modo fit consumtio. Describitur hic desolationis status per privationem veri, ultimum illius status est desperatio: quod desperatio sit ultimum illius status, est quia per illam removetur jucundum amoris sui et mundi, et loco ejus insinuatur jucundum amoris boni et veri; desperatio enim apud regenerandos est de vita spirituali, proinde de privatione veri et boni, nam cum ii privantur vero et bono, desperant de vita spirituali; inde eis jucundum et beatum cum ex desperatione emergunt.

5280. Et non cognoscetur abundantia annonae in terra, quod significet quod nihil de vero, quod prius, appercipietur ibi, constat ex significatione cognosci, quod sit appercipi; ex significatione abundantiae annonae, quod sit verum multiplicatum, de qua supra n: 5276. 5278; et ex significatione terrae, hic terrae Aegypti, quod sit mens naturalis, de qua etiam supra n: 5276. 5278. 5279; inde patet, quod per non cognoscetur abundantia annonae in terra, significetur quod nihil de vero, quod prius, appercipietur in naturali. In hoc Versu agitur de statu desolationis ultimo, cum desperatio, quae proxime praecedit ante regenerationem, et quia de hac re in hoc Versu agitur, dicendum quomodo se habet; omnis homo reformari debet,

stat ex significatione abundantiae annonae: quod sit multiplicatio veri, de qua sequitur; et ex significatione terrae Aegypti, quod sit utrumque naturale, per Aegyptum enim significatur scientia, videatur n: 1164. 1165. 1186. 1462. 4749. 4964. 4966, et quia scientia, etiam significatur naturale, ex causa quia scientificum dicitur id quod in naturali, est itaque terra Aegypti mens naturalis in qua scientificum; inde per omnem terram Aegypti significatur utrumque naturale, nempe interius et exterius, quod naturale interius et exterius sit, videatur n: 5118. 5126. Quod abundantia annonae significet multiplicationem veri, est quia opponitur fami, quae significat defectum veri; vox, per quam in Lingua originali exprimitur abundantia annonae, est cui opponitur fames, et significat in sensu interno plenam copiam et sufficientiam cognitionum, quia fames defectum earum. Cognitiones non aliud sunt, quam vera naturalis hominis, sed quae nondum ei appropriata sunt, talium verorum multiplicatio hic intelligitur; cognitiones non fiunt vera apud hominem, priusquam agnoscuntur intellectu, quod fit cum ab ipso confirmantur, et haec vera non appropriantur ei, priusquam is vivit secundum illa, nihil enim appropriatur homini, quam quod fit vitae, sic enim ipse, quia vita ejus, illis inest.

5277. Et surgent septem anni famis post eos, quod significet status sequentes cum defectus veri, constat ex significatione annorum, quod sint status, de qua n: 482. 487. 488. 493. 893; ex significatione famis, quod sit defectus cognitionum, de qua n: 1460. 3364; et ex significatione post eos, quod sint sequentes.

5278. Et oblivioni dabitur omnis abundantia annonae in terra Aegypti, quod significet remotionem veri et privationem ejus apparentem in utroque naturali, constat ex significatione oblivisci seu oblivioni dari, quod sit remotio et inde privatio apparens; ex significatione abundantiae annonae, quod sit multiplicatio veri seu multiplicatum verum, de qua mox supra n: 5276; et ex significatione terrae Aegypti, quod sit mens naturalis seu naturale hominis, hic utrumque, ut mox supra n: 5276. Quod oblivisci seu oblivioni dari sit remotio et privatio apparens, est quia ita se habet cum memoria et inde cogitatione; illa de quibus homo cogitat, sunt immediate sub ejus intuitu, et

quae ei rei affinia sunt, se sistunt ordine circum, usque ad non affinia quae sunt remotissima, et tunc in oblivione; quae opposita sunt, inde separantur, et pendent deorsum, et se sistunt subter, et aequilibrant illa quae supra sunt; ordinatio haec fit per bonum quod influit; ita se habet cum omni cogitatione hominis; quod ita se habeat, ex cogitationibus in altera vita apparet, cogitationes enim ibi in luce coeli solent quandoque visibiles sisti, et tunc apparet talis earum dispositionis forma: inde constare potest, quod oblivisci in sensu interno, non aliud sit quam remotio, et privatio apparens.

5279. Et consumet fames terram, quod significet usque ad desperationem, constat ex significatione famis, quod sit defectus cognitionum, et inde privatio veri, de qua supra n: 5277. 5278; et ex significatione terrae, hic Aegypti, quod sit mens naturalis, de qua etiam supra n: 5276. 5278; quod usque ad desperationem, est quia dicitur, consumet fames terram; cum enim per terram significatur mens naturalis, et per famem privatio veri, non aliud significatur quam desperatio, nam tunc spirituali modo fit consumtio. Describitur hic desolationis status per privationem veri, ultimum illius status est desperatio: quod desperatio sit ultimum illius status, est quia per illam removetur jucundum amoris sui et mundi, et loco ejus insinuatur jucundum amoris boni et veri; desperatio enim apud regenerandos est de vita spirituali, proinde de privatione veri et boni, nam cum ii privantur vero et bono, desperant de vita spirituali; inde eis jucundum et beatum cum ex desperatione emergunt.

5280. Et non cognoscetur abundantia annonae in terra, quod significet quod nihil de vero, quod prius, appercipietur ibi, constat ex significatione cognosci, quod sit appercipi; ex significatione abundantiae annonae, quod sit verum multiplicatum, de qua supra n: 5276. 5278; et ex significatione terrae, hic terrae Aegypti, quod sit mens naturalis, de qua etiam supra n: 5276. 5278. 5279; inde patet, quod per non cognoscetur abundantia annonae in terra, significetur quod nihil de vero, quod prius, appercipietur in naturali. In hoc Versu agitur de statu desolationis ultimo, cum desperatio, quae proxime praecedit ante regenerationem, et quia de hac re in hoc Versu agitur, dicendum quomodo se habet; omnis homo reformari debet,

ac e novo nasci seu regenerari, ut possit venire in coelum, „*nemo* enim *nisi generetur denuo potest videre Regnum Dei*" Joh: III: 3. 5. 6; homo natus est in peccatum, quod auctum est longa serie a parentibus, avis et atavis, et haereditarium factum, et sic translatum in proles, homo qui nascitur, in tot mala haereditaria quae successive ita succreverunt, nascitur, inde est quod non sit nisi peccatum; quapropter nisi regeneretur, in peccato totus quantus manet: ut autem regeneretur, primo debet reformari, et hoc per vera fidei; addiscet enim ex Verbo, et ex doctrina inde, quid bonum, cognitiones boni ex Verbo seu doctrina inde vocantur vera fidei, nam omnia vera fidei scaturiunt ex bono, et fluunt ad bonum, spectant enim bonum ut finem; hic status est primus et vocatur status reformationis; in hunc statum introducuntur plerique qui in Ecclesia ab infantia usque ad adolescentiam, at usque pauci regenerantur, vera enim fidei seu cognitiones boni discunt plerique in Ecclesia ob finem famae et honoris, et ob finem lucri, cum itaque vera fidei per illos amores introducta sunt, non potest homo e novo nasci seu regenerari, priusquam illi amores remoti fuerint; ut itaque removeantur, mittitur homo in statum tentationis; quod fit hoc modo, excitantur amores illi a turba infernali, nam haec turba in illis vivere vult, at tunc ab angelis excitantur affectiones veri et boni, quae ab infantia in statu innocentiae insinuatae sunt, et dein interius reconditae et ad hunc usum conservatae; inde pugna inter spiritus malos et angelos, quae pugna apud hominem sentitur ut tentatio; et quia tunc agitur de veris et bonis, ipsa vera quae prius insinuata sunt, per falsa a malis spiritibus injecta quasi exterminantur, ita ut non appareant, de qua re supra n: 5268. 5269. 5270; et sicut tunc homo patitur se regenerari, insinuatur a Domino per viam internam lux veri a bono in naturale, in quam lucem remittuntur ordine vera. Ita se habet cum homine, qui regeneratur, sed pauci hodie in illum statum admittuntur, omnes quidem, quantum sinunt, incipiunt reformari per instructionem in veris et bonis vitae spiritualis, sed ut primum ad aetatem adolescentiae veniunt, auferri se a mundo patiuntur, ac ita ad partes spirituum infernalium abeunt, per quos abalienantur a coelo per gradus ita, ut vix credant amplius quod coelum sit, inde nec in aliquam tentationem spiritua-

lem mitti possunt, nam si mitterentur, illico succumberent, et tunc status eorum posterior fieret pejor statu priori, Matth: XII: 45. Ex his constare potest, quomodo se habet cum his quae hic in sensu interno continentur, nempe cum statu reformationis et cum statu regenerationis; in hoc autem Versu describitur status tentationis ultimus, qui est status desperationis; de quo mox supra n: 5279.

5281. A coram fame illa post hoc, quia gravis ea valde, quod significet ob defectum talem, constat a significatione famis, quod sit defectus cognitionum boni, proinde defectus veri, de qua supra n: 5277. 5278, et ob defectum talem ultimo desperatio, n: 5279; et a significatione gravis valde, quod sit ingens. Continuatur hic de statu desolationis ultimo, qui est desperationis, et de ejus accrescente gravitate, de qua supra n: 5279.

5282. Et super iterari somnium ad Pharaonem duabus vicibus, quod significet quia praevisum de utroque naturali, constat ex significatione somnii, quod sit praevisum, de qua n: 3698. 5091. 5092. 5104; ex repraesentatione Pharaonis, quod sit naturale, de qua n: 5079. 5080. 5095. 5160; et ex significatione iterari duabus vicibus, quod sit de utroque naturali, nempe interiori et exteriori; quod naturale sit binum, interius et exterius, videatur n: 5118. 5126; de interiori naturali praevisum est in primo somnio ubi de vaccis, n: 5198. 5202, de exteriori in altero somnio, ubi de aristis, n: 5212; inde est, quod iterari duabus vicibus, sit de utroque.

5283. Quia stabilitum Verbum a cum Deo, quod significet quod sit Divinum, constare potest absque explicatione, nam Verbum cum praedicatur de Deo, est Divinum Verum, hoc cum stabilitum esse a Deo dicitur, significat quod omnino eventurum.

5284. Et festinans Deus facere illud, quod significet cum omni eventu, constat ex significatione facere, cum praedicatur de Deo, quod sit providentia, de qua n: 5264, inde etiam est eventus, nam quod Providentiae Divinae est, hoc certo evenit; et ex significatione festinare facere, quod sit omnis eventus: festinare seu festinum in sensu interno non est cito, sed est certum, et quoque plenum, ita cum omni eventu, festinum enim

involvit tempus, et in mundo spirituali non est tempus, sed pro tempore est status, ita festinum temporis se refert ibi ad tale status quod correspondet, quale status quod correspondet, est, quod simul plura sint quae efficiunt, a quibus certus et plenus eventus.

5285. Vers: 33. 34. 35. 36. *Et nunc videat Pharao virum intelligentem et sapientem, et constituat illum super terram Aegypti. Faciat Pharao, et praeficiat praefectos super terram, et quintet terram Aegypti in septem annis abundantiae annonae. Et congregent omnem cibum annorum bonorum venientium illorum, et congerant frumentum sub manum Pharaonis, cibum in urbibus, et custodiant. Et sit cibus ad depositum terrae, ad septem annos famis, qui erunt in terra Aegypti, et non exscindetur terra in fame.* Et nunc videat Pharao, significat prospectionem naturalis: virum intelligentem et sapientem, significat de influente vero et bono: et constituat illum super terram Aegypti, significat quae ordinabunt in mente naturali omnia: faciat Pharao, significat ulteriorem prospectionem: et praeficiat praefectos super terram, significat ordinationem communium in naturali: et quintet terram Aegypti, significat quae conservanda et dein recondenda: in septem annis abundantiae annonae, significat quae insinuata sunt illis temporibus cum multiplicata vera cum bonis: et congregent omnem cibum, significat omnia quae usus: annorum bonorum venientium illorum, significat quae haurienda temporibus illis: et congerant frumentum, significat omne bonum veri simul: sub manum Pharaonis, significat ad necessitatem et inde dispositionem in naturali: cibum in urbibus, significat talia in interioribus [23] mentis naturalis: et custodiant, significat ibi recondenda: et sit cibus ad depositum terrae, significat quod ibi ad omnem usum naturalis: ad septem annos famis, significat secundum necessitatem in defectibus: qui erunt in terra Aegypti, significat qui in naturali: et non exscindetur terra in fame, significat ne pereat homo.

5286. Et nunc videat Pharao, quod significet prospectionem naturalis, constat a significatione videre, quod sit prospicere, nam videre hic activum involvit, nempe ut faciat, cum autem videre non involvit faciendum, significat intelligere et ap-

percipere, ut n: 2150. 2325. 2807. 3764. 3863. 4403 ad 4421. 4567. 4723. 5114, ostensum est. Cum prospectione Naturalis ita se habet, Naturale hominis, seu mens ejus naturalis, quae infra mentem ejus rationalem est, non quicquam prospicit ex se, apparet tamen usque sicut a se, sed prospectio ejus est ab interiori, hoc prospicit in exteriori, paene sicut homo semet in speculo, in quo imago apparet tanquam ibi, hoc quoque sistitur in sensu interno per id quod Josephus id loquatur ad Pharaonem, et per Josephum repraesentatur coeleste spiritualis quod est interius, et per Pharaonem Naturale, quod est exterius, et Josephus visus est Pharaoni ille ipse vir intelligens et sapiens, de quo.

5287. Virum intelligentem et sapientem, quod significet de influente vero et bono, constat ex significatione viri intelligentis, quod sit verum, et viri sapientis quod sit bonum ejus; sciendum quod in sensu interno per virum intelligentem et sapientem non intelligatur aliquis vir talis, sed abstracte a persona id quod est intelligentis et sapientis, inde verum et bonum; in altera vita, imprimis in coelis, omnis cogitatio, et inde omnis loquela fit per abstracta a personis, ideo cogitatio et loquela ibi est universalis, et respective illimitata; quantum enim cogitatio et loquela determinatur ad personas, ad earum qualitates in specie, et quantum ad nomina, ut et ad voces, tantum fit minus universalis, et tantum quoque determinatur in rem, et inibi manet; at quantum non ad illa, sed ad res abstracte ab illis, tantum determinatur a re, et extenditur extra se, et fit intuitio superior, proinde universalior; hoc apparet manifeste a cogitatione hominis, quantum illa spectat voces loquentis, tantum non spectat sensum ejus, et quantum apud se spectat particularia memoriae, et inibi manet, tantum non percipit qualia rerum; et adhuc magis, quantum in singulis spectat semet, tantum contrahit cogitationes, et se removet ab intuitione rei in universali; inde est, quod, quantum quis se amat prae aliis, tantum minus sapiens sit: inde nunc patet, cur abstracta a personis significentur in sensu interno per illa quae determinata sunt ad personas in sensu literae, videatur etiam n: 5225. In Verbo passim distinguitur inter sapientiam, intelligentiam, et scientiam, et per sapientiam intelligitur id quod ex bono, per intelligentiam id

quod ex vero, et per scientiam utrumque id in naturali hominis; sicut apud Mosen „Implevi Bazaleelem spiritu Dei quoad *sapientiam*, et quoad *intelligentiam*, et quoad *scientiam*, et quoad omne opus" Exod: XXXI: 2. 3. Cap: XXXV: 30. 31: et apud Eundem „Date vobis *viros sapientes*, et *intelligentes* et *scientes*, juxta tribus vestras, ut ponam illos in Capita vestra" Deut: I: 13.

5288. Et constituat illum super terram Aegypti, quod significet quae ordinabunt in mente naturali omnia, constat ex significatione constituere super aliquid, quod sit praeficere qui ordinet, ita quoque ordinare; et ex significatione terrae Aegypti, quod sit mens naturalis, ut supra n: 5276. 5278. 5279; per *illum* hic intelligitur vir intelligens et sapiens, per quem significatur verum et bonum; inde patet, quod per illa verba significetur, quod verum et bonum ordinabunt in naturali omnia: est etiam bonum et verum, quae ordinant omnia et singula in mente naturali, influunt enim illa ab interiori, et sic disponunt: qui non novit, quomodo se habet cum facultate hominis intellectuali, et quomodo homo intueri res queat, percipere illas, [24] analytice cogitare, inde concludere, et demum referre ad voluntatem, et per voluntatem in actum, is nihil in his miratur, putat quod omnia sic naturaliter fluant, prorsus non sciens, quod omnia et singula sint ex influxu per coelum a Domino, et quod homo absque influxu illo ne hilum possit cogitare, et quod cessante influxu, cesset omne cogitationis; inde nec scit, quod bonum per coelum influens a Domino ordinet omnia, et formet ad instar coeli quantum sinit homo, et quod inde cogitatio fluat formae coelesti convenienter; forma coelestis est illa forma, in quam societates coelestes sunt ordinatae, et societates coelestes ordinatae sunt secundum formam, quam inducit bonum et verum quod a Domino procedit.

5289. Faciat Pharao, quod significet ulteriorem prospectionem, constat ex illis quae supra n: 5286 explicata sunt.

5290. Et praeficiat praefectos super terram, quod significet ordinationem communium in naturali, constat ex significatione praeficere, quod sit ordinare; ex significatione praefectorum, quod sint communia, de qua sequitur; et ex significatione terrae, hic terrae Aegypti, quod sit mens naturalis, ut mox

supra n: 5288: quod praefecti sint communia, est quia communia sunt in quibus et sub quibus sunt particularia, videatur n: 917. [25] 4269. 4325 f. 4329. 4345. 4383. 5208; per principes autem significantur primaria, n: 1482. 2089. 5044.

5291. Et quintet terram, quod significet quae conservanda et dein recondenda, constat a significatione quintare, quod simile hic involvat quod decimare, decimare in Verbo significat reliquias facere, et reliquias facere est vera et bona colligere et dein recondere; quod reliquiae sint bona et vera recondita a Domino in interiori homine, videatur n: 468. 530. 560. 561. 661. 1050. 1906. 2284. 5135; et quod per decimas in Verbo significentur reliquiae, n: 576. 1738. 2280; similiter per decem, n: 1906. 2284; inde quoque per quinque, qui numerus est dimidius numeri decem; dimidium et duplum, quoad numeros in Verbo, simile involvunt, sicut viginti simile cum decem, et quatuor simile cum duobus, sex cum tribus, viginti quatuor cum duodecim, et sic porro; et quoque simile numeri adhuc multiplicati, sicut centum et quoque mille cum decem, septuaginta duo, et quoque centum quadraginta quatuor simile cum duodecim; quid itaque numeri compositi involvunt, sciri potest a numeris simplicibus a quibus et cum quibus multiplicati sunt; quid etiam numeri magis simplices involvunt, sciri potest ab integris, sicut quid quinque a decem et quid duo cum dimidio a quinque et sic porro; in genere sciendum, quod numeri multiplicati involvant simile sed plenius, et quod numeri divisi involvant simile, sed non ita plenum. Quod quinque in specie attinet, is numerus duplicem significationem habet, significat parum et inde aliquid, et significat reliquias; quod significet parum, est ex relatione ad illos numeros qui significant multum, nempe ad mille et ad centum, et inde quoque ad decem, quod mille et centum significent multum, videatur n: 2575. 2636; quod inde quoque decem, n: 3107. 4638; ex eo est, quod quinque significent parum et quoque aliquid, n: 649. 4638; quod quinque significent reliquias, est cum se refert ad decem, et decem significant reliquias, ut supra dictum: quod omnes numeri in Verbo significent res, videatur n: 575. 647. 648. 755. 813. 1963. 1988. 2075. 2252. 3252. 4264. 4495. 4670. 5265. Qui non novit, quod aliquis sensus internus Verbi sit,

qui non apparet in litera, is omnino mirabitur, quod numeri in Verbo etiam significent res, ex causa imprimis, quia non aliquam ideam spiritualem ex numeris formare potest, sed quod usque numeri ex spirituali idea, quae Angelis, fluant, videatur n: 5265; verum quaenam ideae sunt, seu quaenam res sunt, quibus numeri correspondent, quidem sciri potest, at unde correspondentia illa, adhuc latet; sicut unde correspondentia duodecim cum omnibus fidei, et correspondentia septem cum sanctis, tum correspondentia decem, ut et quinque, cum bonis et veris in interiori homine a Domino reconditis, et sic porro: sed usque satis est scire, quod correspondentia sit, et quod ex correspondentia illa omnes numeri in Verbo significent aliquid in spirituali mundo, consequenter quod Divinum etiam in illis inspiratum lateat reconditum; sicut pro exemplo, in his sequentibus locis, ubi quinque nominantur; ut in parabola Domini de „homine qui peregre abiit, et tradidit servis suis facultates suas, uni *quinque talenta*, alteri *duo*, et tertio *unum*; et qui *quinque talenta* accepit, negotiatus est cum illis, et lucratus alia *quinque talenta*; similiter qui *duo*, lucratus est *alia duo:* at qui *unum* accepit, abscondidit argentum Domini sui in terra" Matth: XXV: 14 seq: qui non ultra sensum literalem cogitat, is non aliter scire potest, quam quod numeri hi, nempe quinque, duo, et unum, sint modo assumti ad concinnandum parabolae historicum, et quod praeterea non amplius quid involvant, cum tamen ipsis his numeris etiam inest arcanum, per servum enim qui quinque talenta accepit, significantur qui bona et vera a Domino admiserunt, ita qui reliquias acceperunt; per illum qui duo accepit, significantur qui in aetate provecta charitatem fidei adjunxerunt; et per illum qui unum, qui solam fidem absque charitate, de hoc dicitur quod argentum Domini sui abscondiderit in terra, per argentum enim quod de illo praedicatur, in sensu interno significatur verum quod fidei, n: 1551. 2954, nam lucrum facere seu ferre fructum nequit fides absque charitate; talia numeris illis insunt. Similiter in aliis parabolis, sicut de „homine in regionem longinquam profecto ad accipiendum sibi regnum, quod dederit servis suis *decem minas*, et dixit illis, ut negotiarentur cum illis usque dum venerit; cum rediit, dixit primus, Domine, mina tua lucrata est *decem minas*, cui dixit,

euge bone serve, quia super minimo fidelis fuisti, esto super *decem urbes:* dixit secundus, Domine, mina tua fecit *quinque minas*, cui etiam dixit, tu quoque esto super *quinque urbes:* tertius reposuerat minam in sudario, sed dixit Dominus, tollite ab illo minam, et date ei qui *decem minas* habet» Luc: XIX: 12 seq: hic similiter decem et quinque significant reliquias, decem plures, quinque pauciores; qui reposuit minam in sudario, sunt qui fidei vera sibi comparant, nec illa bonis charitatis conjungunt, quibus sic nihil lucri vel fructus: pariter ubi numeri illi alibi a Domino nominantur; ut de uno qui vocatus ad coenam, quod dixerit, „*juga boum quinque emi*, et abeo ad probandum ea» Luc: XIV: 19. De divite, quod dixerit ad Abrahamum, „habeo *quinque fratres*, ut mittatur qui dicat illis, ne veniant in locum hunc cruciatus» Luc: XVI: 28. De „*decem* virginibus, quarum *quinque* prudentes, et *quinque* stultae» Matth: XXV: 1 ad 13: similiter in his Domini verbis „Num putatis quod ad pacem venerim dandam in terra, non, dico vobis, sed divisionem, erunt namque ex nunc *quinque* in domo una divisi, tres contra *duos*, et *duo* contra *tres*» Luc: XII: 51; et quoque in ipsis his historicis, quod Dominus „cibaverit *quinque mille homines*, *quinque panibus et duobus piscibus;* quodque tunc jusserit, ut discumberent *centeni* et *quinquageni;* et postquam comederunt, quod collegerint fragmentorum *duodecim* cophinos» Matth: XIV: 15 ad 21. [26] Marc: VI: 38 seq: Luc: IX: 12 ad 17. Joh: VI: 5 ad 13; in his, quia historica sunt, vix potest credi, quod numeri significent, sicut quod numerus quinque mille, qui fuit hominum, tum numerus quinque qui fuit panum, et duo qui fuit piscium, ut et numerus centum, ut et quinquaginta, qui fuit discubituum, et denique duodecim, qui fuit cophinorum, in quibus fragmenta, cum tamen in singulis arcanum sit: singula enim contigerunt ex Providentia, ob finem ut Divina repraesentarentur. In sequentibus his locis etiam quinque significant talia in spirituali mundo, quibus correspondent, in utroque sensu, genuino et opposito: apud Esaiam „Relinquentur in eo racemationes sicut in decussione olivae, [27] *duae tres* baccae in capite rami, *quatuor quinque* in ramis fructiferae» XVII: 6. 7. Apud Eundem „In die illo erunt *quinque urbes* in terra Aegypti loquentes labiis Canaanis, et juran-

tes Jehovae Zebaoth" XIX: 18. Apud Eundem „*Unum mille* coram increpatione *unius*, coram increpatione *quinorum* fugietis, [28] donec supereritis sicut malus in capite montis, et sicut signum super colle" XXX: 17. Apud Johannem „*Quintus* angelus clanxit, tunc vidi stellam e coelo lapsam in terram, cui data est clavis putei abyssi; locustis, quae inde exibant, dictum ut non occiderent homines, qui non haberent sigillum Dei super frontibus, sed torquerentur *menses quinque*" Apoc: IX: [1.] 5. 10. Apud Eundem „Hic intelligentia, si quis habet sapientiam, *septem* capita sunt montes *septem*, ubi mulier sedet super illis, et reges *septem* sunt, *quinque* ceciderunt, et *unus* est, alter nondum venit, et quando veniat, brevi oportet illum manere" Apoc: XVII: 9. 10. Similiter repraesentativum fuit in numero quinque in his, quod nempe aestimatio viri et foeminae esset secundum annos „a mense ad *quinque annos*, et *a quinque annis ad viginti*" Levit: XXVII: 1 ad 9. Tum, si „redimeretur ager, quod adderetur *quinta*" Levit: XXVII: 19: si „redimerentur decimae, quod etiam adderetur *quinta*" Levit: XXVII: 31: superflui primogeniti quod „redimerentur, *quinque siclis*" Num: III: 46 ad fin. Primogenitum bestiae immundae quod „redimeretur *adjecta quinta*" Levit: XXVII: 27: quod in quibusdam praevaricationibus pro mulcta „adderetur *quinta*" Lev: XXII: 14. Cap: XXVII: 13. 15. Num: V: 6. 7. 8: et quod „qui furatus bovem aut pecudem, et id mactaverit vel vendiderit, *quinque boves* restituet pro bove, et *quatuor pecudes* pro pecude" Exod: XXI: 37. Quod numerus quinque in se contineat arcanum coeleste, et simile cum decem, patet a Cherubis, de quibus in Libro Primo Regum „Salomo fecit in adyto duos Cherubos ex ligno olei, *decem cubiti* altitudo cujusque; *quinque cubiti* ala Cherubi unius, et *quinque cubiti* ala Cherubi alterius; *decem cubiti* a finibus alarum illius usque ad fines alarum illius; sic *decem cubiti* Cherubus, mensura una et proportio una ambobus Cherubis" VI: 23 [ad] 27; et patet quoque a labris circa templum, tum a candelabris, de quibus in eodem Libro „quod positae fuerint bases labrorum *quinque* juxta humerum domus ad dextrum, et *quinque* juxta humerum domus ad sinistrum. Tum quod posita Candelabra *quinque* a dextra, et *quinque* a sinistra coram adyto" VII: 39. 49. Quod Mare Aeneum fuerit

„*decem ulnarum* a labro ad labrum, et *quinque ulnarum* altitudine, et *triginta ulnarum* circumferentia" Cap: VII: 23, erat, ut significarentur sancta tam per numeros decem et quinque, quam per triginta, qui numerus circumferentiae quidem non geometrice respondet diametro, sed usque spiritualiter involvit id quod per ambitum illius vasis significatur. Quod omnes numeri significent res in spirituali mundo, patet manifeste a numeris apud Ezechielem, ubi agitur de nova Terra, de nova Civitate, et de novo Templo, quae Angelus quoad singula mensus, videantur Capita ibi XL. XLI. XLII. XLIII. XLV. XLVI. XLVII. XLVIII. XLIX; descriptio sanctorum ibi paene omnium exhibetur per numeros, quare qui non scit quid numeri illi involvunt, vix aliquid de arcanis quae ibi scire potest; numerus decem et numerus quinque, ibi occurrunt Cap: XL: 7. 11. 48. Cap: XLI: 2. 9. 11. 12. Cap: XLII: 4. Cap: XLV: 11. 14, praeter numeros multiplicatos, nempe Viginti quinque, quinquaginta, quingenta, quinque millia; quod nova terra, nova civitas, et novum templum ibi, significent Regnum Domini in coelis, et inde Ecclesiam Ipsius in terris, ex singulis ibi constat. Haec de Quinque collata sunt, ob causam, quia hic et in sequentibus agitur de terra Aegypti, quod ibi in septem annis abundantiae quinta pars annonae colligenda sit, et conservanda in usum annorum famis sequentium; inde ostensum est, quod per quintam partem significentur bona et vera a Domino apud hominem recondita, et reservata ad usum, quando fames erit, hoc est, quando defectus et privatio boni et veri; nam nisi talia a Domino apud hominem reconduntur, nihil foret quod illum in statu tentationis et vastationis elevaret, consequenter per quod regenerari posset, ita foret is absque medio salutis in altera vita.

5292. In septem annis abundantiae annonae, quod significet quae insinuata sunt illis temporibus cum multiplicata vera cum bonis, constat ex significatione annorum, quod sint status, et inde quoque tempora, de qua sequitur; et ex significatione abundantiae annonae, quod sit multiplicatio veri, seu multiplicatum verum, de qua supra n: 5276. 5278. 5280; hic itaque multiplicata vera cum bonis, quia vera non sunt aliquid nisi cum bonis, et vera non reconduntur in interiori homine, de qua re mox supra n: 5291, nisi quae conjuncta bonis. Quod anni si-

gnificent non solum status, sed etiam tempora, est quia anni in sensu interno significant integros status, hoc est, integros periodos a status principio ad finem; hae periodi non aliter exprimi possunt quam per tempora, nec aliter capi ab illis qui in tempore sunt, quam sicut tempora; quod anni et dies sint et status et tempora, videatur n: 23. 487. 488. 493. 893. 2906.

5293. Et congregent [29] omnem cibum, quod significet omnia quae usus, constat ex significatione congregare, quod sit conferre et conservare; et ex significatione cibi, quod sint illa quae usus: cibus in sensu interno proprie significat illa quae nutriunt animam hominis, hoc est, quae nutriunt illum post vitam corporis, nam is tunc vivit anima seu spiritus et non amplius opus habet cibo materiali, sicut in mundo, sed cibo spirituali, qui cibus est omne id quod est usus, et omne id quod conducit ad usum; quod conducit ad usum, est scire quid bonum et verum, quod est usus, est velle et facere illa; haec sunt quibus nutriuntur angeli, et quae ideo dicuntur cibi spirituales et coelestes: mens hominis, ubi ejus interior intellectus et interior voluntas, seu ubi intentiones aut fines, nec nutritur alio cibo etiam cum vivit in corpore, cibus materialis non illuc penetrat, sed solum ad illa quae corporis sunt, quae cibus ille sustentat, ob finem ut mens illa suo cibo frui queat cum corpus suo, hoc est, ut mens illa sana sit in corpore sano: quod cibus in spirituali sensu sit omne quod usus, est quia omne scire hominis, ac omne ejus intelligere ac sapere, et sic omne ejus velle, pro fine habebit usum, inde secundum quale usus est quale vitae ejus. Quod cibus in sensu interno sit omne quod est usus, patet ab his Domini verbis „Jesus dixit discipulis, Ego *Cibum* habeo *quem edam*, quem vos nescitis: dicebant discipuli ad se invicem, num quis attulit Ipsi quod comederet: dicit illis Jesus, *cibus meus est ut faciam voluntatem Ipsius qui misit Me, et perficiam Ipsius opus*" Joh: IV: 32. 33. 34: et alibi „Operamini *cibum qui non perit*, sed *cibum* qui manet in vitam aeternam, quem Filius hominis vobis dabit, hunc Pater obsignavit Deus" Joh: VI: 27.

5294. Annorum bonorum venientium illorum, quod significet quae haurienda temporibus illis, constat ex significatione annorum, quod sint status, et quoque tempora, de qua mox

supra n: 5292; anni boni venientes sunt itaque illa tempora, quando multiplicantur vera cum bonis, quae significantur per septem annos abundantiae annonae.

5295. Et congerant frumentum, quod significet omne bonum veri simul, constat ex significatione congerere, quod sit colligere simul et conservare; et ex significatione frumenti, quod sit bonum naturalis, de qua n: 3580, hic bonum veri quod in naturali; bonum veri est verum voluntate et actu. Quod frumentum sit bonum, est quia ager in spirituali sensu est Ecclesia, inde quae sunt agri, sicut semen, sementis, messis, seges, frumentum, et quoque spica seu arista, praeter in specie triticum, hordeum, et plura, sunt talia quae sunt Ecclesiae; et quae sunt Ecclesiae se referunt omnia ad bonum et verum.

5296. Sub manum Pharaonis, quod significet necessitatem et inde dispositionem in naturali, constat ex significatione manus, quod sit potentia, de qua n: 878. 3387. 4931 ad 4937, inde sub manum est ad dispositionem in omni necessitate, nam quod est in alicujus potentia, hoc est ad dispositionem; et ex repraesentatione Pharaonis, quod sit naturale, de qua prius.

5297. Cibum in urbibus, quod significet talia in interioribus mentis naturalis, constat ex significatione cibi, quod sint omnia quae usus, ita vera et bona, de qua mox supra n: 5293: et ex significatione urbium, quod sint interiora mentis naturalis; urbes in universali sensu significant doctrinalia Ecclesiae, videatur n: 402. 2268. 2449. 2451. [30] 2712. 2943. 3216. 4492. 4493, in singulari autem significant interiora hominis, ubi doctrinalia sunt, seu potius ubi vera conjuncta bono; quod vera et bona apud hominem forment quasi civitatem, videatur n: 3584, inde ipse homo, in quo Ecclesia, vocatur civitas Dei; significatio urbis se habet sicut significatio domus, domus in universali sensu significat bonum, in singulari autem hominem, n: 3128, et in specie mentem ejus quoad bonum et verum ibi conjunctum, n: 3538. 4973. 5023, et domus cum suis conclavibus, aedificiis circum, et atriis, est civitas in minima forma. Interiora mentis naturalis significantur per urbes apud Esaiam „In die illo erunt *quinque urbes in terra Aegypti,* loquentes labiis Canaanis, et jurantes Jehovae Zebaoth" XIX: 18; et bona et vera quae in interioribus, significantur per urbes in para-

bola Domini apud Lucam „Dixit ei qui per minam lucratus est decem minas, euge bone serve, quia super minimo fidelis fuisti, *esto super decem urbes;* et dixit alteri qui quinque minas lucratus, tu quoque *esto super quinque urbes*" XIX: 12 seq: Hic itaque per quod congerant cibum in urbibus et custodiant, significantur vera conjuncta bono, quod recondenda in interioribus mentis naturalis, quae vera et bona cum ibi recondita sunt, vocantur reliquiae, in quibus ipsissima vita spiritualis hominis consistit, et ex quibus homo spiritualiter nutritur in omni necessitate et indigentia, hoc est, in omni fame spirituali.

5298. Et custodiant, quod significet ibi recondenda, constat a significatione custodire, quod sit recondere, nempe in interioribus mentis naturalis, quae significantur per urbes, de quibus mox supra n: 5297. [31]

5299. Sit cibus ad depositum terrae, quod significet quod ibi ad omnem usum naturalis, constat ex significatione cibi, quod sint bona et vera, de qua supra n: 5293; ex significatione ad depositum, quod sit reconditum ad omnem usum, quia ad usum annorum famis sequentium; et ex significatione terrae, hic terrae Aegypti, quod sit mens naturalis, de qua etiam supra n: 5276. 5278. 5279. 5288.

5300. Ad septem annos famis, quod significet secundum necessitatem in defectibus, constat ex significatione famis, quod sit defectus veri, de qua supra n: 5277. 5278; quod tunc ad necessitatem, patet, nam anni in sensu interno sunt status, ut supra aliquoties ostensum, hic itaque ad illos annos, est ad illos status cum necessitas.

5301. Qui erunt in terra Aegypti, quod significet qui in naturali, constat ex significatione terrae Aegypti, quod sit mens naturalis, de qua n: 5276. 5278. 5279. 5288. Dicitur hic et alibi *Naturale*, et intelligitur mens naturalis; sunt enim binae mentes apud hominem, nempe mens rationalis, et mens naturalis, mens rationalis est Interni hominis, mens autem naturalis est Externi hominis; haec mens seu hic homo est qui intelligitur per naturale simpliciter dictum: quod mens sit ipse homo, videbitur in his, quae nunc sequuntur.

5302. Et non exscindetur terra in fame, quod significet ne pereat homo, nempe per defectum veri, constat ex significatio-

ne exscindi, quod sit perire; et a significatione terrae, hic terrae Aegypti, quod sit mens naturalis, de qua mox supra n: 5301, et quia est mens naturalis, est ipse homo, nam homo est homo ex sua mente, ipsa enim mens constituit hominem, et qualis illa est talis est homo; per mentem significatur hominis intellectuale et voluntarium, consequenter ipsissima vita ejus: qui stupidi sunt, putant quod homo sit homo ex forma externa, quod nempe facies ei sit qualis hominis: qui minus stupidi sunt, dicunt quod homo sit homo ex eo quod loqui possit; et qui adhuc minus stupidi, quod homo sit homo ex eo quod cogitare possit, sed homo non est homo ex illis, sed ex eo quod cogitare verum et velle bonum queat, et quod tunc cum cogitat verum et vult bonum possit intueri Divinum, et illud perceptibiliter recipere; in hoc distinguitur homo a brutis animalibus; alioquin quod appareat sicut homo, quod loqui queat, et quod cogitare, hoc non facit quod sit homo, nam si cogitat falsum et vult malum, facit ut sit non solum sicut animal brutum, sed etiam pejus illo, nam per ipsas illas facultates destruit humanum apud se, et se facit feram; quod imprimis constare potest a talibus in altera vita, tales enim cum apparent in luce coeli, ut et cum inspiciuntur ab angelis, apparent eo momento sicut monstra, et quidam sicut ferae, dolosi sicut serpentes, et alii aliter; at cum removentur a luce illa, et remittuntur in lumen suum quod habent in inferno, apparent inter se sicut homines. Quomodo autem cum hoc se habet, nempe quod periturus homo in defectibus veri, si non habuerit bona et vera in interioribus a Domino recondita, quae significantur per cibum ad depositum terrae, ad septem annos famis, ne exscindatur terra in fame, in sequentibus hujus Capitis dicetur.

5303. Vers: 37. 38. 39. 40. *Et bonum fuit verbum in oculis Pharaonis, et in oculis omnium servorum illius. Et dixit Pharao ad servos suos, num inveniemus sicut hunc virum, in quo spiritus Dei. Et dixit Pharao ad Josephum, postquam cognoscere fecit Deus tibimet omne hoc, nemo intelligens et sapiens sicut tu. Tu eris super domo mea, et super ore tuo osculabitur omnis populus meus, tantum solio magnus ero prae te.* Et bonum fuit verbum in oculis Pharaonis, significat complacentiam naturalis: in oculis omnium servorum illius, significat

complacentiam omnibus in naturali: et dixit Pharao ad servos suos, significat perceptionem naturalis cum omnibus ibi: num inveniemus sicut hunc virum in quo spiritus Dei, significat de influxu veri in quo bonum ab interiori, ita coeleste spiritualis: et dixit Pharao ad Josephum, significat perceptionem naturalis e coelesti spiritualis: postquam cognoscere fecit Deus tibimet omne hoc, significat quia Praevidentia et Providentia illi: nemo intelligens et sapiens sicut tu, significat quod inde solum verum et bonum: tu eris super domo mea, significat quod ei mens naturalis subordinata et submissa erit: et super ore tuo osculabitur omnis populus meus, significat quod omne ibi sub obedientia illius erit: tantum solio magnus ero prae te, significat quod apparebit usque sicut e naturali, quia a coelesti spiritualis per illud.

5304. Et bonum fuit verbum in oculis Pharaonis, quod significet complacentiam Naturalis, constat ex significatione bonum esse verbum, quod sit placere; in oculis dicitur ex solemni loquendi formula, quia oculus significat visum interiorem, ita intellectum, perceptionem, advertentiam, et plura quae illius visus sunt, n: 2701. 2789. 2829. 3198. 3202. 3820. 4083. 4086. 4339. 4403 ad 4421. 4523 ad 4534; inde per bonum fuit verbum in oculis, significatur complacentia; et ex repraesentatione Pharaonis, quod sit naturale, de qua saepe prius.

5305. Et in oculis omnium servorum illius, quod significet complacentiam omnibus in naturali, constat ex significatione bonum esse verbum in oculis, quod sit complacentia, de qua mox supra n: 5304; et ex significatione servorum, quod sint illa quae in naturali sunt, imprimis quae in naturali exteriori: in Verbo passim dicitur servus, et per illum in sensu interno intelligitur id quod inservit alteri, in genere omne quod infra est respective ad illud quod supra, nam ex ordine est, ut inferius inserviat superiori, et quatenus inservit vocatur servus: hic autem sunt illa quae in naturali quae vocantur servi; est enim naturale in communi quod repraesentatur per Pharaonem, ipsum commune est cui singula inservitura sunt, sicut communi bono in regnis; quod Pharao sit Naturale in communi, videatur n: 5160.

5306. Et dixit Pharao ad servos suos, quod significet per-

ceptionem Naturalis cum omnibus ibi, constat ex significatione dicere in historicis Verbi, quod sit percipere, de qua n: 1791. 1815. 1819. 1822. 1898. 1919. 2080. 2061. 2238. 2619. 2862. 3395. 3509; ex repraesentatione Pharaonis, quod sit naturale, de qua n: 5079. 5080. 5095. 5160; et ex significatione servorum illius, quod sint omnia in naturali, de qua mox supra n: 5305.

5307. Num inveniemus sicut hunc virum in quo spiritus Dei, quod significet de influxu veri in quo bonum ab interiori, ita coeleste spiritualis, constat ex significatione viri, quod sit verum, de qua n: 3134. 3309. 3459; et ex significatione spiritus Dei, quod sit bonum ab interiori, ita a Divino; spiritus enim Dei est, quod procedit a Divino, ita ab Ipso Bono, nam Divinum est Ipsum Bonum, quod ex eo procedit, est verum in quo bonum, et hoc est quod per spiritum Dei in Verbo significatur, ipse enim spiritus non procedit, sed ipsum verum in quo bonum, seu sanctum verum, spiritus est instrumentale per quod producitur. Hoc verum in quo bonum, est hic coeleste spiritualis, quod per Josephum repraesentatur. In Ecclesia notum est, quod Josephus in spirituali sensu sit Dominus, quare etiam Dominus vocatur coelestis Josephus, sed non scitur quid Domini Josephus repraesentat; Dominus enim repraesentatur per Abrahamum, et quoque per Jischakum, ut et per Jacobum, repraesentatur etiam per Mosen et Eliam, perque Aharonem, et quoque per Davidem, praeter per plures alios in Verbo, sed usque dissimiliter per unum quam per alterum, per Abrahamum repraesentatur Dominus quoad Ipsum Divinum, per Jischakum quoad Divinum Rationale, per Jacobum quoad Divinum Naturale, per Mosen quoad Legem seu Verbum historicum, per Eliam quoad Verbum Propheticum, per Aharonem quoad sacerdotium, et per Davidem quoad Regium; quid autem per Josephum repraesentatur, videatur n: 3969. 4286. 4585. 4592. 4594. 4669. 4723. 4727. 4963. 5249, hoc, quod Josephus repraesentat, vocatur coeleste spiritualis e naturali, non alia voce id dari potest, coeleste enim est bonum ex Divino, spirituale est verum ex illo bono, ita est verum boni ex Divino Humano Ipsius. Hoc fuit Dominus cum vixit in mundo, at cum se glorificavit, tunc transcendit supra illud, et factus est ipsum Divinum Bonum seu

Jehovah etiam quoad Humanum; non plura dici possunt in specie de hoc arcano: solum, quod Josephus ideo [in] Aegyptum venerit, ac primum serviverit in domo Potipharis principis satellitum, et dein in custodia detentus, ac postea factus dominator super Aegyptum, ut repraesentaret quomodo Dominus in Se Humanum progressive Divinum fecit, de quo conscriberetur Verbum, quod Divina contineret in sensu interno, qui sensus imprimis inserviret angelis, quorum sapientia, quae incomprehensibilis et ineffabilis est respective ad sapientiam humanam, in talibus est, et simul inserviret hominibus, qui historica amant prae reliquis, et talia tunc mente volvunt in quibus angeli Divina per influxum a Domino percipiunt.

5308. Et dixit Pharao ad Josephum, quod significet perceptionem naturalis e coelesti spiritualis, constat a significatione dicere in historicis Verbi, quod sit perceptio, de qua mox supra n: 5306; ex repraesentatione Pharaonis, quod sit naturale, et ex repraesentatione Josephi, quod sit coeleste spiritualis, de quibus saepius prius.

5309. Postquam cognoscere fecit Deus tibimet omne hoc, quod significet quia Praevidentia et Providentia illi, constat ex significatione cognoscere, cum praedicatur de Deo, quod sit praevidentia et providentia, de Deo enim non dici potest quod cognoscat, nam ex Se novit omnia, et facultas cognoscendi apud hominem est ex Ipso, quare cognoscere est in Deo praevidere et providere, praevidere est cognoscere ab aeterno in aeternum, et providere est facere illud: quod praevidentia et providentia sit illi, nempe coelesti spiritualis, est quia in sensu interno hic de Domino agitur, Qui est coeleste spiritualis quod per Josephum repraesentatur.

5310. Nemo intelligens et sapiens sicut tu, quod significet quod inde solum verum et bonum, constat ex significatione intelligentis, quod sit verum, et ex significatione sapientis, quod sit bonum, de quibus supra n: 5287; quod non ex alio quam ex illo solo, significatur per nemo, quia nemo seu nullus in sensu interno est negativum, ita exclusivum ab omni alio, videatur n: 5225. 5253.

5311. Tu eris super domo mea, quod significet quod ei mens naturalis subordinata et submissa erit, constat ex signifi-

catione domus, quod sit mens, de qua n: 3538. 4973. 5023, hic mens naturalis, quia dicitur domus mea a Pharaone, per quem repraesentatur naturale; quod subordinata et submissa erit, significatur per quod erit super illa, qui super alicujus domo est, reipsa dominatur, et omnes qui ibi, subordinati et submissi sunt, domino domus usque retinente nomen, et dignitatem quoad apparentiam.

5312. Et super ore tuo osculabitur omnis populus meus, quod significet quod omne ibi sub obedientia illius erit, constat a significatione super ore osculari, quod sit agnoscere et facere quod jubet, ita obedire; et ex significatione omnis populi mei, quod sit omne in naturali; per populum significantur vera, videatur n: 1259. 1260. 3581. 4619, ita in naturali cognitiones boni et veri, ac scientifica, nam haec sunt vera naturalis, n: 5276.

5313. Tantum solio magnus ero prae te, quod significet quod apparebit usque sicut e naturali, quia a coelesti spiritualis per illud, constat ex significatione magnus esse prae altero, quod sit major esse, hic quoad apparentiam seu quoad conspectum; et ex significatione solii seu throni, quod hic sit naturale; Naturale enim intelligitur per solium, quando coeleste spiritualis per sedentem super illo, naturale enim instar solii est spirituali, hic coelesti spiritualis; in genere id quod inferius est instar solii superiori, superius enim inibi est et agit, et quidem per inferius, et quod agitur apparet sicut ab inferiori, quia, ut dictum, per id; hoc intelligitur per quod Pharao dixit ad Josephum, „tantum solio magnus ero prae te." In Verbo pluries nominatur solium, ubi agitur de Divino Vero et de Judicio ex illo, et per solium ibi in sensu interno significatur id quod est Divini Regii, et per sedentem super illo Ipse Dominus sicut Rex aut sicut Judex; sed significatio solii sicut significatio plurium aliarum rerum se habet respective; cum Ipsum Divinum et Divinum Humanum Domini intelligitur per sedentem super solio, tunc Divinum Verum quod procedit ab Ipso, intelligitur per solium; cum autem Divinum Verum quod procedit a Domino, intelligitur per sedentem super solio, tunc universum coelum, quod Divinum Verum implet, intelligitur per solium; cum autem Dominus quoad Divinum Verum in superioribus coelis intelligitur per se-

dentem super solio, tunc Divinum Verum quod in infimo coelo, et quoque quod est in Ecclesia, intelligitur per solium; ita significationes solii se habent respective. Quod per solium significetur id quod est Divini Veri, est causa quia per Regem in Verbo significatur Verum, et quoque per Regnum; quod per Regem, videatur n: 1672. 1728. 2015. 2069. 3009. 3670. 4581. 4966. 5044. 5068; et quod per Regnum, n: 1672. 2547. 4691: quid autem per solium seu thronum in Verbo intelligitur in specie, patet ibi ex serie: ut apud Matthaeum „Ego dico vobis, non jurabitis omnino, neque per *Coelum*, quia *Thronus Dei* est, neque per terram, quia *scabellum pedum Ipsius*; neque per Hierosolymam, quia urbs magni Regis" V: 34. 35: et alibi apud Eundem „Qui juraverit per *Coelum*, jurat per *Thronum Dei*, et per Ipsum Qui sedet super illo" XXIII: 22; ibi aperte dicitur, quod coelum sit thronus Dei, per terram quae vocatur scabellum pedum, significatur id quod infra coelum est, ita Ecclesia, quod terra sit Ecclesia, videatur n: 566. 662. 1066. 1067. 1262. 1413. 1607. 1733. [32] 1850. 2117. 2118. 2928. 3355. 4535. 4447. Similiter apud Esaiam „Sic dixit Jehovah, *Coeli Thronus meus*, et terra scabellum pedum meorum" LXVI: 1: et apud Davidem „Jehovah in *coelis* firmavit *Thronum suum*" Ps: CIII: 19. [33] Apud Matthaeum „Quando venerit Filius hominis in gloria sua, et omnes sancti Angeli cum Ipso, tunc sedebit *super throno gloriae suae*" XXV: 31; ibi agitur de ultimo Judicio, et sedens super throno vocatur Rex, ibi Vers: 34. 40; thronus gloriae in sensu interno ibi est Divinum Verum quod ex Divino Bono in coelo, sedens super throno illo est Dominus, qui quatenus Judex ex Divino Vero, vocatur ibi Rex. Apud Lucam „Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur, et dabit Illi Dominus Deus *Thronum Davidis* patris Ipsius" I: 32; haec Angelus ad Mariam; quod ibi thronus Davidis non sit regnum quod habuit David, seu Regnum in terra, sed regnum in coelo, cuivis constat, quare nec per Davidem significatur David, sed Regium Divinum Domini, et per Thronum significatur Divinum Verum quod procedit, et quod facit Regnum Domini. Apud Johannem „Fui in spiritu, cum ecce *Thronus positus in coelo*, et *super throno sedens*, et qui sedens erat similis aspectu lapidi Jaspidi et Sardio: Iris autem

circa thronum similis aspectu smaragdino: *circa thronum throni viginti quatuor*, et *super thronis* vidi viginti et quatuor seniores sedentes: e *throno* exibant fulmina, et tonitrua, et voces, item septem lampades ignis ardentes *coram throno*, quae sunt septem spiritus Dei. Insuper *ante Thronum* mare vitreum simile crystallo; in *medio* tandem *throni*, et *circa thronum* quatuor animalia plena oculis ante et retro. Caeterum quando dederunt animalia gloriam, et honorem, et gratiarum actionem *sedenti super throno* viventi in saecula saeculorum, cadent viginti quatuor seniores *ante sedentem super throno*, et adorabunt viventem in saecula saeculorum, et projicient coronas suas *ante Thronum*" Apoc: IV: 2 ad fin: ibi describitur Thronus gloriae Domini, et per illum Divinum Verum quod procedit ab Ipso, at per repraesentativa, quae quid significant si quis non novit, vix scire poterit quicquam, quid his propheticis inest, sed credet omnia talia esse absque altiori Divino; qui non aliud novit, non potest aliter quam de Regno coelesti similem Regno mundano capere ideam; cum tamen per thronum positum in coelo significatur Divinum Verum ibi, ita coelum quoad Divinum Verum; per sedentem super throno intelligitur Dominus; quod Is apparuit similis aspectu lapidi jaspidi et sardio, est quia per lapides illos, ut per omnes lapides pretiosos in Verbo, significatur Divinum Verum, n: 114. 3858. 3862, et per lapides in genere vera fidei, n: 643. 1298. 3720. 3769. 3771. 3773. 3789. 3798; per iridem circa thronum, significantur vera pellucentia a bono, et hoc quia colores in altera vita sunt ex luce coeli, et lux coeli est Divinum Verum, de iridibus in altera vita, videatur n: 1042. 1043. 1053. 1623. 1624. 1625; de coloribus ibi, n: 1053. 1624. 3993. 4530. 4922. 4677. 4741. 4742; per thronos viginti quatuor circa thronos, significantur omnia veri in uno complexu, similia quae significantur per duodecim; quod duodecim sint omnia veri in uno complexu, videatur n: 577. 2089. 2129. 2130. 3272. 3858. 3913; fulmina, tonitrua, et voces, quae exibant ex throno, significant terrores qui ex Divino Vero illis qui non in bono sunt; septem lampades ignis ardentes, sunt affectiones veri ex bono, quae etiam illis qui non in bono damna inferunt, quapropter vocantur septem spiritus Dei, qui quod damna intulerint, patet a sequentibus ibi; Mare

vitreum ante thronum, est omne verum in naturali, ita sunt cognitiones et scientifica, quod mare illa sint, videatur n: 28. 2850; [34] quatuor animalia in medio throni et circa thronum plena oculis ante et retro, sunt intellectualia a Divino in Coelis, quatuor significant conjunctionem eorum cum voluntariis, vera enim sunt partis intellectualis, et bona sunt partis voluntariae hominis, inde dicitur, quod plena essent oculis ante et retro, quia oculi significant intellectualia, et inde in sensu superiori illa quae sunt fidei, n: 2701. 3820. 4403 ad 4421. 4523 ad 4534; quod quatuor sint conjunctio, simile ac duo, n: 1686. 3519. 5194; sanctitas Divini Veri procedentis a Domino in sequentibus describitur. Quia per viginti quatuor thronos et viginti quatuor seniores significantur omnia veri seu omnia fidei in uno complexu, et per duodecim similia, ut mox dictum, inde patet quid per duodecim thronos, super quibus sedebunt duodecim Apostoli, in sensu interno intelligitur, quod nempe omnia veri, ex quibus et secundum quae fit judicium; de quibus ita apud Matthaeum „Jesus dixit discipulis, amen dico vobis, quod vos qui sequuti estis Me, in regeneratione, quando sedebit Filius hominis *super Throno gloriae* suae, sedebitis etiam vos *super duodecim thronis*, judicantes duodecim tribus Israëlis" XIX: 28; et apud Lucam „Ego dispono vobis, sicut disposuit Mihi Pater Regnum, ut comedatis et bibatis super mensa mea in Regno meo, et *sedeatis super thronis*, judicantes duodecim Tribus Israëlis" XXII: 29. 30, quod duodecim Apostoli sint omnia veri, videatur n: 2129. 2553. 3354. 3488. 3858; quodque duodecim filii Jacobi, et inde duodecim tribus Israëlis, n: 3858. 3921. 3926. 3939. 4060. 4603, [35] et quod apostoli ne quidem unum judicare queant, n: 2129. 2553. Similiter apud Johannem „Vidi *Thronos*, et consederunt super illis, et judicium datum est illis" Apoc: XX: 4: per thronos ibi etiam significantur omnia veri, ex quibus et secundum quae judicium; simile etiam per Angelos intelligitur, cum quibus venturus Dominus ad judicium, Matth: XXV: 31; quod per Angelos in Verbo significetur aliquid Domini, videatur n: 1705. 1925. 2321. 2821. 3039. 4085, ibi vera quae ex Divino; quae vera etiam in Verbo judicia vocantur, n: 2235. Alibi etiam plurimis in locis tribuitur Jehovae seu Domino Thronus, et hoc quia in Thronis

est repraesentativum Regni; cum in superiori coelo sermo est de Divino Vero, et de Judicio, tunc in ultimo coelo apparet Thronus, inde est, quod, ut dictum, thronus repraesentativum sit, et quod ideo toties in Verbo prophetico thronus nominetur, et quoque quod ab antiquissimis temporibus thronus factus sit insigne Regis, et quod sicut insigne significet regium; ut quoque in sequentibus locis; apud Mosen „Aedificavit Moses altare, et vocavit nomen ejus Jehovah Nissi: praeterea dixit quia manus super *Throno Jah*, bellum erit Jehovae contra Amalekum a generatione in generationem" Exod: XVII: 15, 16; quid manus super throno Jah, et quid Jehovae bellum contra Amalekum a generatione in generationem, nemo scire potest nisi ex sensu interno, ita nisi sciatur quid thronus, et quid Amalek; per Amalekum in Verbo significantur falsa quae oppugnant vera, n: 1679, et per thronum ipsum Divinum Verum quod oppugnatur. Apud Davidem „Jehovah fecisti *judicium meum*, et causam meam, *sedisti super throno judex justitiae*, Jehovah in aeternum manebit, praeparavit ad *judicium thronum suum*," Psalm: IX: 5. 8. Apud Eundem „*Thronus tuus* Deus in saeculum et aeternum, sceptrum rectitudinis sceptrum regni tui" Psalm: XLV: 7. Apud Eundem „Nubes et caligo circum Ipsum, justitia et judicium *fulcrum throni Ipsius*" Ps: XCVII: 2. Apud Jeremiam „In tempore illo vocabunt Hierosolymam *Thronum Jehovae*, et congregabuntur ad illam omnes gentes" III: 17; Hierosolyma pro Regno spirituali Domini, hoc Regnum etiam per Novam Hierosolymam apud Ezechielem intelligitur, et quoque per sanctam Hierosolymam descendentem e coelo in Apocalypsi: Regnum spirituale Domini est ubi principale est Divinum Verum in quo Bonum, at Regnum coeleste, ubi principale est Divinum Bonum a quo Divinum Verum: inde patet cur Hierosolyma dicitur Thronus Jehovae; et apud Davidem „In Hierosolyma sedent *throni ad judicium*" Psalm: CXXII: 5: Zion autem dicitur Thronus gloriae Jehovae apud Jeremiam „Num reprobando reprobasti Jehudam, num Zionem fastidivit anima tua, ne spernito propter Nomen tuum, ne deturpes *Thronum gloriae tuae*" XIV: 21; per Zionem intelligitur Regnum coeleste Domini. Quomodo repraesentatur Dominus quoad judicium in coelo, ubi ad oculos sistuntur videnda

talia, quae passim apud prophetas memorantur, patet apud Danielem „Videns fui usque *dum throni projecti sunt*, et Antiquus dierum sedit; [36] vestis Ipsius sicut nix alba, et crinis capitis Ipsius sicut lana munda, *Thronus Ipsius* flamma ignis, rotae ejus ignis ardens; flumen ignis emanans et exiens coram Ipso, mille millia ministrabant Ipsi, et myrias myriadum coram Ipso stabant, judicium consedit, et libri aperti sunt" VII: 9. 10; [37] talia visa perpetua sunt in coelo, omnia repraesentativa, apparent ex sermone angelorum in superioribus coelis, qui delapsus sistit talia videnda; spiritus angelici, quibus datur perceptio, a Domino, sciunt quid significant, sicut quid Antiquus dierum, quid vestis quae sicut nix alba, crinis capitis qui sicut lana munda, thronus qui sicut flamma ignis, rotae quae ignis ardens, flumen ignis ab Ipso emanans; per flammam ignis et per flumen ignis repraesentatur ibi Bonum Divini Amoris, n: 934. 4906. 5071. 5215: similiter quae apud Ezechielem „Supra expansum, quod super capite Cheruborum, quasi aspectus lapidis Sapphiri, *similitudo throni*, et super *similitudine throni* similitudo quasi aspectus hominis super illo superius" I: 26. Cap: X: 1: pariter quae in Libro Primo Regum „Vidi, dixit Michah propheta, *Jehovam sedentem super Throno suo*, et universum exercitum coelorum stantem juxta Ipsum, a dextra Ipsius, et a sinistra Ipsius" XXII: 19; qui non scit quid singula repraesentant, et inde significant, non aliter credere potest, quam quod thronus sit Domino, sicut regibus in terra, et quod talia quae ibi memorantur, sed non sunt talia in coelis, verum sistuntur ita videnda coram illis qui in ultimo coelo sunt, ex quibus sicut ex imaginibus vident arcana Divina. Regium Domini, per quod significatur Divinum Verum quod procedit ab Ipso, repraesentatum quoque fuit per solium a Salomone constructum, de quo ita in Libro Primo Regum „Fecit Schelomo *Solium eboris magnum*, et obtexit illud auro depurato; sex gradus *ad solium*, et caput rotundum *Solio* a post illud; manus hinc et illinc ad locum sedis, et bini leones stantes juxta manus, et duodecim leones stantes ibi supra sex gradus hinc et illinc" X: 18. 19. 20. 21; fuit thronus gloriae ita repraesentatus; leones sunt Divina vera pugnantia et vincentia, duodecim leones sunt omnia illa vera in uno complexu. Quia paene omnia in Verbo etiam oppo-

situm sensum habent, ita quoque solium seu thronus, et in eo sensu significat Regnum falsi, ut apud Johannem „Angelo [38] Ecclesiae quae in Pergamo, novi opera tua, et ubi habitas, ubi *thronus Satanae* est" Apoc: II: 13. Apud Eundem „Draco dedit bestiae ascendenti ex mari virtutem suam, et *thronum suum*, et potestatem magnam" Apoc: XIII: 2. Apud Eundem „Quintus Angelus effudit phialam suam *super thronum bestiae*, et factum est Regnum ejus obscuratum" Apoc: XVI: 10. Apud Esaiam „Tu dixisti in corde tuo, in coelos ascendam, supra stellas Dei [39] exaltabo *thronum meum*" XIV: 13, ibi de Babele.

5314. Vers: 41. 42. 43. 44. *Et dixit Pharao ad Josephum, vide, dedi te super omnem terram Aegypti. Et removit Pharao annulum suum a super manu sua, et dedit illum super manum Josephi, et vestivit eum vestibus byssi, et posuit torquem auri super collum ejus. Et vehi fecit eum in curru secundario qui sibi, et clamaverunt ante eum Abrech, et dando eum super omnem terram Aegypti. Et dixit Pharao ad Josephum, ego Pharao, et praeter te non extollet vir manum suam et pedem suum in omni terra Aegypti.* Et dixit Pharao ad Josephum, significat ulteriorem perceptionem Naturalis e coelesti spiritualis: vide, dedi te super omnem terram Aegypti, significat dominium super utrumque naturale: et removit Pharao annulum suum a super manu sua, significat confirmativum de potentia quae prius ei: et dedit illum super manum Josephi, significat quod illam cesserit omnem coelesti spiritualis: et vestivit eum vestibus byssi, significat significativum externum coelestis spiritualis, vestes byssi sunt vera ex Divino: et posuit torquem auri super collum ejus, significat significativum conjunctionis interiorum cum exterioribus, efficiente bono: et vehi fecit eum in curru secundario, significat significativum quod ab illo omnis doctrina boni et veri: qui sibi, significat quae per naturale: et clamaverunt ante eum abrech, significat agnitionem per fidem et adorationem: et dando eum super omnem terram Aegypti, significat potestatem illius quod talis: et dixit Pharao ad Josephum, significat perceptionem adhuc ulteriorem: ego Pharao, significat quod inde naturale: et praeter te non extollet vir manum suam, significat quod a coelesti spiritualis omne potentiae

in spirituali: et pedem suum, significat quod omne potentiae in naturali: in omni terra Aegypti, significat in utroque naturali.

5315. Et dixit Pharao ad Josephum, quod significet perceptionem naturalis e coelesti spiritualis, constat ex significatione dicere in historicis Verbi, quod sit percipere, de qua saepius prius; ex repraesentatione Pharaonis, quod sit Naturale, et ex repraesentatione Josephi, quod sit coeleste spiritualis, de quibus etiam prius: quod sit perceptio Naturalis e coelesti spiritualis quae significatur, est quia Naturale omnem suam perceptionem habet ex superiori se, hic ex coelesti spiritualis, quod est superius.

5316. Vide, dedi te super omnem terram Aegypti, quod significet dominium super utrumque naturale, constat ex significatione dare aliquem super, quod sit dominium; et ex significatione omnis terrae Aegypti, quod sit utrumque naturale, de qua supra n: 5276. Agitur adhuc amplius de dominio, quod Pharao tradidit Josepho super terram Aegypti, quod nempe Pharao semet potestate sua deprivaverit, et totam Aegyptum Josepho submiserit; quae ita ex Providentia Divina facta sunt, ut Josephus indueret repraesentationem Coelestis spiritualis quod Domino cum in mundo fuit, et per quod Dominus naturale suum et quoque sensuale, disposuit, ut utrumque successive Divinum faceret; hoc factum est ob finem, ut Verbum, quod de Josepho scriberetur, contineret Divina, ita talia quae in coelis sanctissima sunt, et quae angelis qui in coelis conveniunt; sunt enim angeli ibi in Domino, quia in sphaera Divini Veri procedentis a Domino, quapropter Divina quae de Domino et de Ipsius Humani glorificatione, in sensu interno Verbi sunt, illos afficiunt, in tantum ut inde percipiant omne beatum sapientiae et intelligentiae suae.

5317. Et removit Pharao annulum suum a super manu sua, quod significet confirmativum de potentia, quae prius ei, constat ex repraesentatione Pharaonis, quod sit Naturale, de qua prius; ex significatione annuli, quod sit confirmativum, de qua sequitur; et ex significatione manus, quod sit potentia, de qua n: 878. 3091. 3387. 4931 ad 4937. 5296; inde patet, quod per removit annulum a super manu sua, significetur, quod potentiam quae prius sibi, abdicaverit, et quod per dedit illum

super manum Josephi, ut sequitur, significetur quod potentiam cesserit omnem coelesti spiritualis. Quod annulus super manu sit confirmativum potentiae, non ita constare potest ex locis in Verbo parallelis, quia annuli qui super manu, non alibi nominantur, praeter modo apud Lucam „ Ubi pater filii qui prodegerat omnia, dixit ad servos, efferte stolam primariam, et induite illum, et date *annulum super manum ejus*, et calceos super pedes" XV: 22, [40] ubi etiam per annulum significatur confirmativum potentiae in domo, sicut filii, ut prius; at usque patet ex ritualibus, quae ab antiquis temporibus apud nos sunt, ut ex ritualibus desponsationum, et copulationum, ut et inaugurationum, in quibus annuli dantur super manum, per quos etiam confirmativum potentiae significatur: praeterea quod sigilla, quae quoque erant super manu, Jerem: XXII: 24, significent consensum et confirmationem, videatur n: 4874.

5318. Et dedit illum super manum Josephi, quod significet quod illam cesserit omnem coelesti spiritualis, constat ex significatione dare annulum super manum alterius, quod sit confirmativum quod cedat alteri potentiam quae sibi n: 5317; [41] et ex repraesentatione Josephi, quod sit coeleste spiritualis, de qua saepe prius.

5319. Et vestivit eum vestibus byssi, quod significet significativum externum coelestis spiritualis, et quod vestes byssi sint vera ex Divino, constat a significatione vestium, quod sint vera, de qua n: 1073. 2576. 4545. 4763. 5248; quod vestes byssi sint vera ex Divino, est quia vestis ex bysso erat candidissima et simul splendens, et verum ex Divino repraesentatur per vestes talis candoris et talis splendoris, causa est, quia candor et splendor coeli est ex Luce quae a Domino, et Lux quae a Domino est ipsum Divinum Verum, n: 1053. 1521 ad 1533. 1619 ad 1632. 2776. 3195. 3222. [41] 3339. 3485. 3636. 3643. 3862. 4415. 4419. 4526. 5219; quapropter cum Dominus transformatus est coram Petro, Jacobo, et Johanne, „ apparuerunt *vestimenta Ipsius sicut Lux*" Matth: XVII: 2, „*splendentia, candida valde sicut nix, cujusmodi fullo super terra non potest dealbare*" Marc: IX: 3, et „*fulgurantia*" Luc: IX: 29; fuit ipsum Divinum verum, quod a Divino Humano Domini, quod ita repraesentabatur: at sunt vera exteriora, quae

per candorem vestium in coelis repraesentantur; vera autem interiora per candorem et splendorem faciei; inde est, quod vestiri vestibus byssi, sit significativum externum hic, nempe veri procedentis ex coelesti spiritualis, hoc enim fuit in quo tunc Divinum Domini. Per byssum et per vestes byssi, etiam alibi in Verbo significatur Verum quod ex Divino, ut apud Ezechielem „Vestivi te acupicto, et calceavi te taxo, et *accinxi te bysso*, et obtexi te serico. Sic ornata es auro et argento, et Vestes tuae *Byssus* et sericum, et acupictum" XVI: 10. 13; ibi de Hierosolyma, per quam in his versibus intelligitur Ecclesia Antiqua, vera illius Ecclesiae per vestes ex acupicto, bysso, serico, et per ornatum ex auro et argento, describuntur; per acupictum significantur vera scientifica, per byssum vera naturalia, et per sericum vera spiritualia. Apud Eundem „*Byssus in acupictura ex Aegypto fuit expansio tua*, ut esset tibi *in signum*: hyacinthinum et purpura ex insulis Elischa fuit tegumentum tuum" XXVII: 7, ibi de Tyro, per quam etiam Ecclesia Antiqua intelligitur, sed quoad cognitiones boni et veri, et per byssum in acupictura ex Aegypto quae expansio ejus, significatur verum ex scientificis, ut signum seu significativum externum illius Ecclesiae. Apud Johannem „Mercatores terrae flebunt, et plangent super Babylone, quod merces eorum nemo emat amplius; merces auri et argenti, et lapidis pretiosi, et margaritae, et *Byssi*, et purpurae, et serici, et omne vas elephantinum, et omne vas ex ligno pretiosissimo, et aere, et ferro, et marmore" Apoc: XVIII: 11. 12; ibi omnia et singula significant talia quae sunt Ecclesiae, ita quae sunt veri et boni, hic autem in opposito sensu, quia dicuntur de Babylone; quisque videre potest, quod talia nusquam in Verbo, quod de coelo descendit, recenserentur, nisi aliquid coeleste in singulis foret; quid recensio mercium mundanarum ubi agitur de Babylone, per quam significatur Ecclesia [43] prophana: similiter apud Eundem „Vae vae, urbs magna, *quae induta byssino*, et purpura et coccineo, inaurata auro, et lapide pretioso, et margaritis" Apoc: XVIII: 16. [44] Quod singula aliquod coeleste Divinum significent, patet manifeste apud Eundem, ubi dicitur quid Byssinum, quod nempe sint justitiae sanctorum „Venit tempus nuptiarum Agni, et Uxor Illius paravit se: tunc datum est illi, *ut indue-*

retur byssino mundo et splendido; byssinum sunt justitiae sanctorum " XIX: 8; quod byssinum sint justitiae sanctorum, est quia omnes illi qui in Vero sunt ex Divino, Justitiam Domini induunt; vestes enim eorum candidae et splendidae sunt ex luce quae a Domino, ipsum verum ideo in coelo repraesentatur per candidum, n: 3301. 3993. 4007; inde quoque est, quod illi qui ex statu vastationis elevantur in coelum, appareant induti candido, quia tunc exuunt id quod justitiae propriae est, et induunt id quod Justitiae Domini est. Ut repraesentaretur Verum a Divino in Ecclesia Judaica, mandatum est ut xylinum seu byssinum quoque esset in vestibus Aharonis, ut et in aulaeis quae circum arcam, de quibus apud Mosen „Pro Aharone tessellabis *tunicam xylini*, et facies *cidarim xylini* " Exod: XXVIII: 39. „Fecerunt *tunicas xylini*, opus textoris, pro Aharone et filiis ejus " Exod: XXXIX: 27. „Habitaculum facies decem aulaea, *xylinum intertextum*, et hyacinthinum, et purpuram, et coccineum dibaphum " Exod: XXVI: 1. Cap: XXXVI: 8. „Facies atrium habitaculi, tapetes erunt pro atrio *ex xylino intertexto* " Exod: XXVII: 9. 18. Cap: XXXVIII: 9. „Velum portae atrii, opus acupictoris, hyacinthinum, et purpura, et coccineum dibaphum, et *xylinum intertextum* " Exod: XXXVIII: 18; xylinum est byssinum, quod ideo mandatum, quia singula quae in arca, et circum arcam, tum singula quae super vestibus Aharonis, repraesentativa spiritualium et coelestium erant; inde constare potest, quam parum intelligitur Verbum, nisi sciatur quid talia repraesentant, et quod vix aliquid, si credatur, quod sanctum non aliud in Verbo sit, quam quod exstat in litera. Quod Angeli, qui in vero ex Divino sunt, appareant induti quasi byssino, hoc est, in candido splendente, patet apud Johannem ubi agitur de Equo albo „Sedens super *equo albo*, indutus erat vestimento tincto sanguine, et vocatur nomen ejus Verbum: exercitus ejus in coelo sequebantur Ipsum *super equis albis, induti byssinum album et mundum* " Apoc: XIX: 13. 14; ex his manifeste patet, quod byssinum sit significativum externum veri a Divino, nam sedens super equo albo est Dominus quoad Verbum, quod sit Verbum aperte ibi dicitur, Verbum est ipsum Verum a Divino; equus albus quod sit sensus internus Verbi, videatur n: 2760. 2761. 2762, inde equi albi

sunt vera ex Divino, nam omnia sensus interni Verbi sunt vera ex Divino, quapropter visi sunt exercitus Illius super equis albis, et induti byssinum album et mundum.

5320. Et posuit torquem auri super collum ejus, quod significet significativum conjunctionis interiorum cum exterioribus, efficiente bono, constat ex significatione colli, quod sit influxus tum communicatio superiorum cum inferioribus, seu quod idem, interiorum cum exterioribus, de qua n: 3542, inde est torques, quia cingit collum, significativum conjunctionis illorum; torques auri significat conjunctionem per bonum, seu efficiente bono, quia aurum est bonum, n: 113. 1551. 1552: signum conjunctionis veri interioris cum vero exteriori significatur per torquem super guttur, apud Ezechielem „Ornavi te ornatu, et dedi armillas super manus tuas, et *torquem super guttur tuum*" XVI: 11.

5321. Et vehi fecit eum in curru secundario, quod significet significativum quod ab illo omnis doctrina boni et veri, constat ex significatione currus, quod sit doctrina boni et veri, de qua sequitur, inde vehi facere eum in curru, est significativum quod ab illo doctrina illa: haec se referunt ad illa quae prius a Pharaone dicta sunt „Tu eris super domo mea, et super ore tuo osculabitur omnis populus meus, tantum solio magnus ero prae te" Vers: 40. Quod ab Ipso doctrina boni et veri significetur, est quia per Josephum repraesentatur Dominus quoad Divinum spirituale, n: 3971. 4669, ita quoad Divinum Verum ex Divino Humano Domini, n: 4723. 4727, a quo Divino Vero est Coeleste spiritualis: quod omne doctrinae boni et veri sit inde, est quia Dominus est ipsa doctrina, nam omne doctrinae ab Ipso procedit, et omne doctrinae de Ipso agit; omne enim doctrinae agit de bono amoris et vero fidei, a Domino sunt illa, quare Dominus non solum est in illis, sed etiam est utrumque; inde constat, quod doctrina quae agit de bono et vero, agat de solo Domino, et quod procedat ex Divino Humano Ipsius; ex Ipso Divino nequaquam aliquod doctrinae procedere potest, nisi per Divinum Humanum, hoc est, per Verbum, quod in sensu supremo est Divinum Verum a Divino Humano Domini; quod procedit ab Ipso Divino immediate, hoc ne quidem Angeli in intimo coelo possunt capere, causa est,

quia id est infinitum, et sic transcendit omnem captum, etiam angelicum; at quod procedit ex Divino Humano Domini, hoc possunt capere, nam agit de Deo ut de Divino Homine, de quo ex Humano aliqua idea formari potest, et idea quae formata de Humano, acceptatur qualiscunque sit, modo ex bono innocentiae fluat, et in bono charitatis sit; hoc est quod intelligitur per Domini verba apud Johannem „ Deum nemo vidit unquam, Unigenitus Filius, Qui in sinu Patris est, Ipse exposuit " 1: 18: apud Eumdem „ Neque vocem Patris audivistis unquam, neque speciem Ipsius vidistis " V: 37: et apud Matthaeum „ Non Patrem quisquam cognoscit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare " XI: 27. Currus in Verbo plurimis in locis memorantur, et vix aliquis scit, quod per illos ibi significentur doctrinalia boni et veri, ut et scientifica quae sunt doctrinalium, causa est, quia non aliquod spirituale intrat ideam, sed solum naturale historicum, cum nominatur currus, sicut etiam cum equi qui ante currum, cum tamen per equos significantur in Verbo intellectualia, n: 2760. 2761. 2762. 3217, et inde per currum doctrinalia et eorum scientifica. Quod Currus sint Ecclesiae doctrinalia, et quoque scientifica, constare mihi potuit ex curribus toties visis in altera vita; est quoque locus ad dextrum circa terram inferiorem, ubi apparent currus et equi, cum stabulis in ordine positis, ambulant ibi et confabulantur qui in mundo eruditi fuerunt, et pro fine eruditionis habuerunt vitam; talia apparent illis ex angelis in superioribus coelis, quibus cum sermo est de intellectualibus, deque doctrinalibus et scientificis, tunc spiritibus ibi apparent talia. Quod talia per currus et equos significentur, admodum manifeste patet ex eo, quod Elias apparuerit in coelum vectus curru ignis et equis ignis, et quod ille ut et Elischa appellati sint Currus Israëlis et equites ejus, de quibus ita in Libro II Regum „ Ecce *Currus ignis* et *equi ignis* intervenerunt inter illos, et ascendit Elias in turbine in coelum, et Elischa videns et clamans, pater mi, pater mi, *Currus Israëlis et Equites ejus* " II: 11. 12, et de Elischa in eodem Libro „ Cum Elischa aegrotabat morbo suo quo mortuus est, descendit ad eum Joasch, rex Israëlis, et flevit ante facies ejus, et dixit, pater mi, pater mi, *Currus Israëlis* et *Equites ejus* ". XIII: 14; causa quod illi sic appellati sint, est quia per utrum-

que, tam Eliam quam Elischam, repraesentatus est Dominus quoad Verbum, videatur Praefat: ad Cap: XVIII: Genes: et n: 2762. 5247 f; ipsum Verbum principaliter est doctrina boni et veri, nam inde est omne doctrinae; ex eadem causa etiam erat, quod circum Elischam visus sit puero, cujus oculos aperuit Jehovah, „*mons plenus equis et curribus ignis*" II Reg: VI: 17. [45] Quod Currus sit doctrinale, et Equus intellectuale, constat quoque ex aliis locis in Verbo, ut apud Ezechielem „Satiabimini super mensa mea *equo* et *curru*, forti et omni viro belli; sic dabo gloriam meam gentibus" XXXIX: 20, Apoc: XIX: 18, ibi agitur de adventu Domini; quod ibi per equum et currum non significetur equus et currus, cuivis patet, his enim super mensa Domini non satiandi erunt, sed talibus quae per equum et currum significantur, nempe intellectualibus et doctrinalibus boni et veri. Similia per equos et currus significantur in sequentibus his locis; apud Davidem „*Currus Dei* sunt binae myriades, milleni pacificorum, Dominus in illis, Sinai in sanctuario" Psalm: LXVIII: 18. Apud Eundem „Jehovah operit se luce quasi veste, extendit coelos sicut cortinam, contignans aquis triclinia sua, *ponit nubes currus suos*, ambulat super alis venti" Psalm: CIV: 2. 3. Apud Esaiam „Propheticum deserti maris: Sic dixit ad me Dominus, constitue speculatorem qui spectet, nuntiet; *vidit ergo currum, par equitum, currum asini, currum cameli*, et auscultavit auscultationem, magna auscultatio; clamavit enim leo super specula, Domine, ego stans jugiter interdiu, et super custodia mea ego constitutus omnibus noctibus; tum vero ecce *currus viri, par equitum;* et dixit, cecidit, cecidit Babel" XXI: 6. 7. 8. Apud Eundem „Tunc adducent omnes fratres vestros in omnibus gentibus munus Jehovae *super equis*, et *super curru*, et *super rhedis cameratis*, et *super mulis*, et *super veredariis*, ad montem sanctitatis meae, Hierosolymam" LXVI: 20. Apud Eundem „Ecce Jehovah in igne veniet, et sicut procella *Currus Ipsius*" LXVI: 15. Apud Habakuk „Num fluviis succensuit Jehovah, num contra fluvios ira tua, num contra mare excandescentia tua, *quod equitas super equis tuis, currus tui salus*" III: 8. Apud Sachariam „Sustuli oculos meos et vidi, cum ecce *quatuor currus*, exeuntes ab inter duos montes, montes autem montes aeris; *ad cur-*

rum primum equi rufi, *ad currum secundum equi* nigri, *ad currum tertium equi* albi, et *ad currum quartum equi* grandinati " VI: 1. 2. 3. Et apud Jeremiam „ Intrabunt per portas civitatis hujus reges et principes, sedentes super throno Davidis, *equitantes in curru et equis*, ipsi et principes eorum, vir Jehudae, et habitatores Hierosolymae, et habitabitur civitas haec in saeculum " XVII: 25. Cap: XXII: 4, civitas quae habitabitur in saeculum non est Hierosolyma, sed Ecclesia Domini quae per Hierosolymam significatur, n: 402. 2117. 3654; reges qui per portas civitatis illius intrabunt, non sunt reges sed Ecclesiae vera, n: 1672. 1728. 2015. 2069. 3009. 3670. 4575. 4581. 4966. 5044. 5068; ita principes nec sunt principes sed primaria veri, n: 1482. 2089. 5044; sedentes super throno Davidis sunt Divina Vera quae procedunt a Domino, n: 5313; equitantes in curru et equis sunt inde intellectualia et doctrinalia. Currus etiam in historicis Verbi multoties memorantur, et quia historica Verbi omnia repraesentant, et voces significant talia quae in Regno Domini et in Ecclesia, ibi quoque currus similia significant. Quia pleraque in Verbo etiam oppositum sensum habent, ita quoque currus, et in illo sensu significant doctrinalia mali et falsi, tum scientifica illa confirmantia; ut in his locis; apud Esaiam „ Vae descendentibus in Aegyptum pro auxilio, et *super equo innituntur*, et *confidunt super curru* quod multus, et *super equitibus* quod validi sint valde, sed non respiciunt ad sanctum Israëlis " XXXI: 1. Apud Eundem „ Per manum servorum tuorum [46] blasphemasti Dominum, et dixisti, *per multitudinem currus mei* ego ascendi altitudinem montium, latera Libani, ubi exscindam proceritatem cedrorum ejus, electionem abietum ejus " XXXVII: 24, ibi responsum propheticum ad verba elata Rabschakes ducis regis Aschuris. Apud Jeremiam „ Ecce aquae ascendentes a septentrione, quae fient in flumen inundans, et inundabunt terram et plenitudinem ejus, urbem et habitantes in illa; et ejulabit omnis habitator terrae, a *voce plausus equorum* ungularum fortium ejus, *a tumultu currus ejus, strepitu rotarum ejus* " XLVII: 2. 3. Apud Ezechielem „ *Prae abundantia equorum ejus* obteget te pulvis eorum, *prae voce equitis et rotae, et currus*, commovebuntur muri tui, quando venerit in portas [47] tuas, juxta introitus urbis perruptae;

per ungulas equorum suorum conculcabit omnes plateas tuas" XXVI: 10. 11. Apud Haggaeum „Evertam thronum regnorum, et perdam robur regnorum gentium, evertam etiam *currum*, et *equitantes eo*, et descendent *equi* et *equites eorum*" II: 22. Apud Sachariam „Exscindam *currum* ex Ephraimo, et *equum* ex Hierosolyma, exscindam arcum belli; contra loquetur pacem gentibus" IX: 10. [48] Apud Jeremiam „Aegyptus sicut flumen ascendit, et sicut flumina commoventur aquae ejus, dixit enim, ascendam, obtegam terram, perdam urbem, et habitantes in illa; *ascendite equi*, insanite *currus*" XLVI: 8. 9. Per *equos* et *currus*, quibus Aegyptii persequuti filios Israëlis, et cum quibus Pharao intravit mare Suph, ubi rotae curruum dimovebantur, et per plura de equis et curribus, quae maximam partem descriptionis illius faciunt Exod: XIV, versibus 6. 7. 9. 17. 23. 25. 26, et Cap: XV: 4. 19, significantur intellectualia, doctrinalia, et scientifica falsi, et inde ratiocinia, quae pervertunt et exstinguunt vera Ecclesiae, talium pernicies et mors ibi describitur.

5322. Qui sibi, quod significet quae per naturale, nempe doctrina boni et veri, constat ex serie rerum in sensu interno, tum ex illis quae supra n: 5318 explicata sunt.

5323. Et clamaverunt ante eum Abrech, quod significet agnitionem per fidem et adorationem, constat ex significatione clamare, quod sit agnitio per fidem, de qua sequitur; et a significatione abrech, quod sit adoratio, abrech enim in Lingua originali est flecte genua, et flexio genuum est adoratio; omnes enim conatus interni qui sunt voluntatis, ita qui sunt amoris aut affectionis, proinde qui sunt vitae, habent actus seu gestus externos sibi correspondentes, actus hi aut gestus fluunt ex ipsa correspondentia exteriorum cum interioribus; timor sanctus, et inde humiliatio, proinde adoratio, habet actus seu gestus sibi correspondentes, nempe flexionem genuum, procumbentiam super genubus, et quoque prostrationem corporis usque ad terram; in statu illo, si adoratio est ex genuina humiliatione, aut si humiliatio ex genuino timore sancto, est deficientia spirituum, inde concidentia artuum in confinio seu intermedio ubi spirituale conjungitur naturali, ita ubi genua, nam quae infra sunt correspondentiam habent cum naturalibus, et quae supra cum spiri-

tualibus; inde est, quod flexio genuum sit signum repraesentativum adorationis; apud coelestes homines est hic actus spontaneus, sed apud spirituales est voluntarius. Ante reges olim, cum vehebantur curru, flectebantur genua, ob causam quia reges repraesentabant Dominum quoad Divinum Verum, et currus significabat Verbum; ritus hujus adorationis inceptus fuit, cum notum erat quid repraesentaretur, et tunc reges adorationem non sibi, sed ipsi regio a se separato tametsi adjuncto, attribuerunt; Regium illis fuit Lex, quae quia a Divino Vero, adoranda erat in Rege quatenus custos ejus, ita ipse rex nihil sibi de regio tribuebat praeter custodiam legis, a qua quantum recessit, tantum a regio, sciens quod adoratio aliunde quam a Lege, hoc est, alia quam legis in se, esset idololatria; quod regium sit Divinum Verum, videatur n: 1672. 1728. 2015. 2069. 3009. 3670. 4581. 4966. 5044. 5068, proinde Regium est Lex, quae in se est verum Regni, secundum quod victuri qui ibi: ex his constare potest, quod Abrech seu flecte genua, significet adorationem. Quia clamor etiam est actus, qui correspondet confessioni vivae seu agnitioni ex fide, ideo quoque apud Antiquos rituale clamandi receptum fuit, cum tale significaretur; ac ideo in Verbo passim dicitur clamare, cum agitur de confessione et agnitione ex fide, sicut de Johanne Baptista apud Johannem „Quod testatus de Jesu, et *clamaverit* dicens, Hic erat Quem dixi, Qui post me veniens, ante me fuit, quia prior me fuit: ego *vox clamantis* in deserto, rectam facite viam Domini" I: 15. 23. Apud Eundem „Sumserunt termites palmarum, et iverunt obviam Jesu, et *clamaverunt*, Osanna Benedictus qui venit in Nomine Domini, Rex Israëlis" XII: 13. Apud Lucam „Jèsus dixit Pharisaeis, quod si tacuerint, lapides *clamaturi* sint" XIX: 40. Quia clamare significabat agnitionem ex fide, et inde receptionem ex agnitione illa, idcirco aliquoties legitur de Domino, quod clamaverit, ut apud Johan: Cap: VII: 28. 37. Cap: XII: 44. 45; et quoque apud Esaiam „Jehovah sicut heros exibit, sicut vir bellorum excitabit Zelum, *vociferabitur*, etiamque *clamabit*" XLII: 13. Quod clamare in sensu opposito sit non agnitio, ita aversatio, videatur n: 5016. 5018. 5027, et quod praedicetur de falso, n: 2240.

5324. Et dando eum super omnem terram Aegypti, quod

significet potestatem illius quod talis, constat ex significatione dare eum super omnem terram Aegypti, quod sit dominium super utrumque naturale, de qua supra n: 5316, hic autem quod dominium ejus tale sit, sicut in mox praecedentibus descriptum, ita potestas ejus quod talis.

5325. Et dixit Pharao ad Josephum, quod significet perceptionem adhuc ulteriorem, constat ex significatione dicere, ex repraesentatione Pharaonis, et ex repraesentatione Josephi, quod sit perceptio naturalis e coelesti spiritualis, de qua n: 5315, hic ulterior perceptio, quia iterum dicitur.

5326. Ego Pharao, quod significet quod inde naturale, constat a repraesentatione Pharaonis, quod sit naturale, de qua n: 5079. 5080. 5095. 5160; quod per ego Pharao significetur quod inde naturale, ex mox sequentibus patet, dicitur enim „praeter te non extollet vir manum suam et pedem suum in omni terra Aegypti" per quae significatur, quod omne potentiae ab illo in utroque naturali, et quia illa quae in naturali per sequentia illa verba intelliguntur, idcirco primum dicitur „ego Pharao;" per inde naturale intelligitur, quod ex coelesti spiritualis sit naturale; cum hoc ita se habet, Naturale apud hominem qui e novo creatur, hoc est, qui regeneratur, prorsus aliud est, quam apud hominem qui non regeneratur; Naturale apud hominem qui non regeneratur, est omne, inde cogitat homo, et inde desiderat, non autem ex rationali, minus ex spirituali, quia haec occlusa sunt, et quoad maximam partem exstincta; at apud hominem qui regeneratur, fit spirituale omne, hoc non modo disponit Naturale ad cogitandum et ad desiderandum, sed etiam constituit naturale, prorsus sicut causa constituit effectum, in omni enim effectu nihil est quod agit quam causa; ita fit naturale sicut spirituale, naturalia enim quae ibi sunt, sicut scientifica et cognitiones quae ex naturali mundo aliquid trahunt, nihil ex se agunt, modo adstipulantur ut spirituale agat in naturali, et per illud, ac ita naturaliter; similiter ut in effectu, in effectu sunt plura quam in causa, sed talia, quae solum faciunt ut causa agere possit in effectu ipsum effectum, et se in illo gradu actualiter producere: ex his paucis videri potest, quomodo se habet cum naturali apud hominem qui e novo creatus est, hoc

est, qui regeneratus; tale intelligitur per inde naturale, quod significatur per ego Pharao.

5327. Et praeter te non extollet vir manum suam, quod significet quod a coelesti spiritualis omne potentiae in spirituali, constat ex significatione manus, quod sit potentia, de qua n: 878. 3387. 4931 ad 4937. 5296; inde non extollere vir manum suam praeter te, est quod nihil potentiae illis nisi ab eo solo, ita quod ei, nempe coelesti spiritualis, omne potentiae. Quod potentia *in spirituali* per manum significetur, videbitur in nunc [49] sequentibus.

5328. Et pedem suum, quod significet quod omne potentiae in naturali, constat a significatione pedis, quod sit naturale, de qua n: 2162. 3147. 3761. 3986. 4280. 4938 ad 4952, hic potentia in naturali, nam per extollere pedem, sicut per extollere manum, significatur potentia, sed per extollere manum potentia in spirituali, et per extollere pedem potentia in naturali, quae enim supra pedes sunt in corpore, se referunt ad spiritualia: hòc imprimis patet a Maximo homine seu a tribus coelis, cum totum coelum, sicut unus homo, sistitur coram visu, tunc intimum seu tertium coelum refert Caput, medium seu secundum coelum refert corpus, et ultimum seu primum pedes; quod intimum seu tertium coelum referat caput, est quia est coeleste, et quod medium seu secundum referat corpus est quia est spirituale, et quod ultimum seu primum referat pedes est quia est naturale; idcirco per collum, quia intermedium, significatur influxus, et communicatio coelestium cum spiritualibus, et per genua, quia etiam intermedia, influxus, et communicatio spiritualium cum naturalibus: inde patet, quod per extollere manum, significatur potentia in spirituali, et per extollere pedem potentia in naturali: et ideo potentia, quae per manum significatur, praedicatur de spirituali, nempe de vero ex bono, n: 3091. 3563. 4931. Per spirituale intelligitur id in naturali quod est lucis coeli, et per naturale id in naturali quod est lucis mundi, nam omne illud vocatur spirituale, et omne hoc naturale.

5329. In omni terra Aegypti, quod significet in utroque naturali, constat ex significatione omnis terrae Aegypti, quod sit utrumque naturale, de qua supra n: 5276. Talia nunc sunt,

quae Angeli percipiunt cum homo legit, quod Pharao removerit annulum suum a super manu sua, et dederit illum super manum Josephi, et vestiverit eum vestibus byssi, et posuerit torquem auri super collum ejus; et vehi fecerit eum in curru secundario, qui sibi, et clamaverint ante eum abrech, dando eum super omnem terram Aegypti, Angeli enim ipsa historica nequaquam possunt percipere, quia sunt talia quae sunt mundi, non autem quae sunt coeli; quae mundi sunt illis non apparent; at quia correspondentia est omnium quae in mundo cum illis quae in coelo, ideo Angeli coelestia percipiunt cum homo mundana; nisi ita foret, nequaquam aliquis Angelus e coelo apud hominem potuisset esse; ut autem possit, datum est Verbum, in quo Angeli percipiant sanctum Divinum quod possint communicare homini, apud quem adsunt.

5330. Vers: 45. *Et vocavit Pharao nomen Josephi Zaphenath Paëneach; et dedit ei Asenath filiam Potiphaerae sacerdotis On, in mulierem: et exivit Joseph super terram Aegypti.* Et vocavit Pharao nomen Josephi Zaphenath Paëneach, significat quale coelestis spiritualis tunc: et dedit ei Asenath filiam Potiphaerae sacerdotis On in mulierem, significat quale conjugii veri cum bono et boni cum vero: et exivit Joseph super terram Aegypti, significat cum Ipsius fuit utrumque Naturale.

5331. Et vocavit Pharao nomen Josephi Zaphenath Paëneach, quod significet quale coelestis spiritualis tunc, constat ex significatione nominis et vocare nomen, quod sit quale, de qua n: 144. 145. 1754. 1896. 2009. 2628. 2724. 3006. 3237. 3421: Zaphenath Paëneach in Lingua sua originali significat Revelatorem occultorum et aperitorem futurorum, quae in sensu coelesti significant Divinum in illo, nam revelare occulta et aperire futura est solius Dei; hoc quale est, quod nomen illud involvit, et hoc quale est quale coelestis spiritualis, nam coeleste spiritualis est bonum veri in quo Divinum, seu quod immediate a Divino: hoc, nempe coeleste spiritualis, in quo Divinum, fuit soli Domino cum fuit in mundo, et fuit Humanum in quo ipsum Divinum potuit esse, et quod potuit exui cum Dominus omne Humanum in Se Divinum fecit.

5332. Et dedit ei Asenath filiam Potiphaerae sacerdotis On in mulierem, quod significet quale conjugii veri cum bono, ac

boni cum vero, constat ex significatione dare in mulierem, quod sit conjugium; quod sit conjugium boni cum vero et veri cum bono, est quia non aliud per conjugia in sensu spirituali intelligitur, et inde nec aliud per conjugia in Verbo. Per filiam sacerdotis On significatur verum boni, filia enim est affectio veri, et sacerdos est bonum, Josephus autem est bonum veri in quo Divinum, quod idem est cum coelesti spiritualis; inde patet, quod significetur conjugium veri cum bono, ac boni cum vero. Quale hujus conjugii est, quod significatur, sed quale hoc non potest amplius exponi, quia quale quod fuit Domino in mundo, non potest comprehendi, ne quidem ab angelis, solum aliqua idea umbratilis de eo formari ex talibus quae in coelo sunt, ut a Maximo homine, et a coelesti spiritualis quod ibi ex influxu Divini Domini; sed usque idea illa est sicut crassa umbra ad ipsam lucem, nam est communissima, ita vix aliquid respective.

5333. Et exivit Joseph super terram Aegypti, quod significet cum Ipsius fuit utrumque naturale, constat ex significatione exire, quod hic sit influere; et ex significatione terrae Aegypti, quod sit mens naturalis, de qua saepe prius, ita utrumque naturale; et quia exire significat influere, et terra Aegypti utrumque naturale, per illa verba cum praecedentibus significatur quale coelestis spiritualis, et quale conjugii boni cum vero et veri cum bono, cum coeleste spiritualis per influxum, suum faceret utrumque naturale; quid sit suum facere naturale, videatur mox supra n: 5326.

5334. Vers: 46. 47. 48. 49. *Et Joseph filius triginta annorum in stando eo coram Pharaone rege Aegypti. Et exivit Joseph a coram Pharaone et transivit in omnem terram Aegypti. Et fecit terra in septem annis abundantiae annonae collectiones. Et congregavit omnem cibum septem annorum; qui fuerunt in terra Aegypti, et dedit cibum in urbibus, cibum agri urbis, quae circum circa illam, dedit in medio illius. Et congessit Joseph frumentum sicut arenam maris multum valde, usque quod cessavit ad numerandum, quia nullus numerus.* Et Joseph filius triginta annorum, significat statum plenum reliquiarum: in stando eo coram Pharaone rege Aegypti, significat cum praesentia ejus in naturali: et exivit Joseph a coram Pharaone, significat cum ipsius esset naturale in communi: et

transivit in omnem terram Aegypti, significat cum subordinaret et submitteret singula ibi: et fecit terra in septem annis abundantiae annonae collectiones, significat primos status cum multiplicata vera in series: et congregavit omnem cibum septem annorum, significat conservationem veri bono adjuncti multiplicati primis temporibus: qui fuerunt in terra Aegypti, significat quod in naturali: et dedit cibum in urbibus, significat quod reposuerit in interioribus: cibum agri urbis, significat quae propria eis et convenientia: quae circumcirca illam dedit in medio illius, significat quae prius in exteriori naturali fuerunt, recondit in interioribus interioris naturalis: et congessit Joseph frumentum sicut arenam maris multum valde, significat multiplicationem veri a bono: usque quod cessavit ad numerandum, quia nullus numerus, significat tale in quo coeleste a Divino.

5335. Et Joseph filius triginta annorum, quod significet statum plenum reliquiarum, constat ex significatione triginta, quod sit plenum reliquiarum, de qua sequitur; et ex significatione annorum, quod sint status, de qua n: 482. 487. 488. 493. 893; numerus triginta significat in Verbo aliquid pugnae, et quoque significat plenum reliquiarum, quod duplex ei significatio sit, causa est, quia componitur ex quinque et sex in se multiplicatis, et quoque componitur ex tribus et decem in se etiam multiplicatis; ex quinque in sex ductis, significat aliquid pugnae, n: 2276, quia quinque significant aliquid, n: 4638. 5291, et sex pugnam, n: 649. 720. 737. 900. 1709; at ex tribus in decem ductis significat plenum reliquiarum, quia tria significant plenum, n: 2788. 4495, et decem reliquias, n: 576. 1906. 2284; quod numerus compositus simile involvat cum simplicibus, ex quibus, n: 5291: reliquiae quod sint vera juncta bono in [50] interioribus apud hominem a Domino recondita, videatur n: 468. 530. 560. 561. 576. 660. 1050. 1738. 1906. 2284. 5135. Plenitudo reliquiarum etiam significatur per triginta, et quoque per sexaginta, ut et [51] per centum, apud Marcum „Semen quod cecidit in terram bonam, dedit fructum ascendentem et crescentem, et tulit unum *Triginta*, et alterum *sexaginta*, et alterum *centum*" IV: 8. 20; omnes hi tres numeri, quia per multiplicationem assurgunt a decem, significant plenitudinem reliquiarum. Et quia homo non prius regenerari

potest, hoc est, admitti in pugnas spirituales, per quas fit regeneratio, quam cum reliquias ad plenum acceperit, idcirco statutum quod Levitae non prius facerent opus in tentorio conventus quam cum impleverint triginta annos, opus illorum seu functio vocatur quoque Militia; de quibus ita apud Mosen „Tolle summam filiorum Kehati e medio filiorum Levi, a *filio Triginta annorum* et supra, ad filium quinquaginta annorum, *omnem venientem ad militiam*, ad faciendum opus in tentorio conventus" Num: IV: 2. 3; [52] similiter dicitur de filiis Gerschonis, et similiter de filiis Merari, ibid: Vers: 22. 23. 29. 30; ac iterum, Vers: 35. 39. 43. Simile involvit, quod David, cum „*filius triginta annorum* esset, regnare ceperit" II Sam: V: 4. [53] Ex his nunc patet, cur Dominus non prius quam cum esset „*triginta annorum*, se manifestaverit" Luc: III: 23, [54] tunc enim in plenitudine reliquiarum fuit, at Reliquiae, quas Dominus habuit, Ipse sibi comparaverat, et fuerunt Divino, per quas univit Essentiam Humanam Divinae, et illam Divinam fecit, n: 1906; ex Ipso nunc est, quod Triginta anni significent statum plenum quoad reliquias, et quod sacerdotes Levitae functiones suas ingressi cum fuerunt aetate triginta annorum, et quia David repraesentaturus erat Dominum quoad Regium, quod ille nec prius regnare ceperit; omne enim repraesentativum ducitur a Domino, et inde omne repraesentativum spectat Dominum.

5336. In stando eo coram Pharaone rege Aegypti, quod significet cum praesentia ejus in naturali, constat ex significatione stare coram aliquo, quod sit praesentia; et a repraesentatione Pharaonis regis Aegypti, quod sit status naturalis novus, seu naturalis homo novus, de qua n: 5079. 5080, ita naturale, in quo nunc coeleste spiritualis, et quod coeleste spiritualis nunc suum fecit, quod quoque significatur per verba mox sequentia „et exivit Joseph a coram Pharaone."

5337. Et exivit Joseph a coram Pharaone, quod significet cum ipsius esset naturale in communi, constat a significatione exire, quod sit ipsius esse, de qua sequitur; ex repraesentatione Josephi, quod sit coeleste spiritualis, et Pharaonis, quod sit naturale, de quibus supra: quod exire sit ipsius esse, vel suum esse, patet ab illis quae praecedunt et quae sequuntur, et quo-

que a sensu spirituali illius vocis, exire enim seu procedere in illo sensu, est se sistere praesentem coram alio in forma ei accommodata, ita se eundem modo in alia forma; in hoc sensu dicitur exire de Domino, apud Johannem „Jesus dixit de Se, *Ego ex Deo exivi* et venio" VIII: 42. „Pater amat vos, quod vos me amastis, et credidistis *quod Ego a Deo exiverim: exivi a Patre*, et veni in mundum; iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem. Dixerunt discipuli, credimus *quod a Deo exiveris*" XVI: 27. 28. 30. „Illi cognoverunt vere, *quod a Deo exiverim*" XVII: 8: ut illustretur, quid intelligitur per exire, aut procedere, sint exempla: de Vero dicitur quod exeat seu procedat ex bono, quando verum est forma boni, seu quando verum est bonum in forma, quam capere potest intellectus: de Intellectu etiam dici potest, quod exeat seu procedat ex voluntate, quando intellectus est formata voluntas, seu quando est voluntas in forma apperceptibili visui interno: similiter de cogitatione quae intellectus dici potest exire seu procedere, cum fit loquela, et de voluntate cum fit actio; cogitatio se induit alia forma cum fit loquela, sed usque est cogitatio quae ita exit aut procedit, verba enim et soni, quae induuntur, non sunt nisi quam adjecta, quae faciunt ut cogitatio appercipiatur accommodate; similiter voluntas fit alia forma, cum fit actio, sed usque est voluntas quae in tali forma sistitur; gestus et motus, qui induuntur, non sunt nisi quam adjecta, quae faciunt ut voluntas appareat et afficiat accommodate: de Externo etiam homine dici potest, quod exeat seu procedat ab Interno, imo substantialiter, quia Externus homo nihil aliud est, quam Internus formatus ita, ut agat convenienter in mundo in quo est: ex his constare potest, quid exire seu procedere in sensu spirituali sit; quod nempe per exire aut procedere, cum praedicatur de Domino, sit Divinum formatum ut Homo, ita accommodatum ad perceptionem credentium; utrumque tamen unum.

5338. Et transivit in omnem terram Aegypti, quod significet cum subordinaret et submitteret singula ibi, nempe in naturali, constat ex significatione omnis terrae Aegypti, quod sit utrumque naturale, de qua n: 5276. 5278. 5280. 5288. 5301; quod transire illam terram, sit subordinare et submittere singula in naturali, ex illis quae praecedunt, sequitur.

5339. Et fecit terra in septem annis abundantiae annonae collectiones, quod significet primos status cum multiplicata vera in series, constat ex significatione septem annorum, quod sint primi status, septem enim anni praecesserunt in quibus fuit abundantia annonae, et septem anni sequuti in quibus fuit fames, quod anni sint status, videatur n: 482. 487. 488. 493. 893; ex significatione abundantiae annonae, quod sit multiplicatio veri, de qua n: 5276. [55] 5280. 5292; per quod fecit terra, significatur quod haec multiplicatio facta sit in naturali, terra enim hic est naturale, ut mox supra n: 5338; et ex significatione collectionum, quod sint series: cum seriebus, quae significantur per collectiones, ita se habet; apud hominem, qui reformatur, primum insinuantur vera communia, dein communium particularia, et demum particularium singularia; particularia disponuntur sub communibus, et singularia sub particularibus, n: 2384. 3057. 4269. 4325 f. 4329 med: 4345. 4383. 5208, dispositiones seu ordinationes illae in Verbo significantur per fasciculos, hic per manipulos seu collectiones, et non sunt nisi quam series, in quas multiplicata vera disponuntur seu ordinantur. Hae series apud regeneratos se habent secundum ordinationes societatum in coelis, at apud non regeneratos, qui nec regenerari possunt, secundum ordinationes societatum in infernis; inde homo qui in malo est, et inde in falso, est infernum in minima forma, et homo qui in bono est et inde in vero, est coelum in minima forma: sed de his seriebus, alibi, ex Divina Domini Misericordia, plura dicentur.

5340. Et congregavit omnem cibum septem annorum, quod significet conservationem veri bono adjuncti, multiplicati primis temporibus, constat ex significatione congregare, quod hic sit conservare, nam congregavit illum et dedit in urbibus et in medio, per quae significatur quod recondiderit in interioribus, ita quod conservaverit, cessit enim usui in annis famis; ex significatione cibi, quod sit omne id quo internus homo nutritur, quod id sit bonum et verum, constare potest ex correspondentia cibi terrestris, quo nutritur externus homo, cum cibo spirituali quo nutritur internus, [56] hic itaque est verum bono adjunctum, nam hoc est quod conservatur et reconditur in interioribus; per septem annos significantur primi status cum multiplicata vera,

n: 5339; inde patet, quod per congregavit omnem cibum septem annorum significetur conservatio veri bono adjuncti, multiplicati primis temporibus. Dicitur conservatio veri bono adjuncti, sed quia pauci sciunt, quid sit verum bono adjunctum, et minus quomodo et quando verum bono adjungitur, quapropter dicendum; Verum conjungitur bono, quando homo jucundum percipit in benefaciendo proximo propter verum et bonum, non autem propter se aut mundum; cum homo est in illa affectione, vera quae tunc audit, vel legit, vel cogitat, conjunguntur bono; quod etiam appercipi solet ab affectione veri propter illum finem.

5341. Qui fuerunt in terra Aegypti, quod significet quod in naturali, constat ex significatione terrae Aegypti, quod sit mens naturalis, de qua n: 5276. 5278. 5280. 5288. 5301, ita naturale.

5342. Et dedit cibum in urbibus, quod significet quod reposuerit in interioribus nempe vera bono adjuncta, constat ex significatione dare hic, quod sit reponere; a significatione cibi, quod sit verum bono adjunctum, de qua mox supra n: 4340; et a significatione urbium, quod sint interiora mentis naturalis, de qua supra n: 5297. Quod vera bono adjuncta reponantur in interioribus mentis naturalis, et ibi ad usum sequentis vitae conserventur, imprimis ad usum in tentationibus quando regeneratur homo, est arcanum quod pauci hodie sciunt, quare dicendum quomodo se habet, per septem enim annos abundantiae annonae significantur vera primum multiplicata, et per quod in urbibus et in medio repositum sit frumentum significatur quod vera illa bono adjuncta recondita sint in interioribus hominis; et per septem annos famis, ac per sustentationem tunc a collectionibus significatur status regenerationis per vera bono adjuncta in interioribus recondita; arcanum hoc est; homo a prima infantia usque ad primam pueritiam introducitur a Domino in coelum, et quidem inter angelos coelestes, per quos tenetur in statu innocentiae, qui status quod sit infantibus usque ad primum pueritiae, notum est; cum aetas pueritiae incipit, tunc per gradus exuit statum innocentiae, at usque tenetur in statu charitatis per affectionem charitatis mutuae erga similes sui, qui status apud plures perseverat usque ad adolescentiam, est tunc

ille inter angelos spirituales; tunc quia incipit a se cogitare, et secundum id agere, non amplius teneri potest in charitate, ut prius, hereditaria enim mala tunc evocat, a quibus se duci patitur; cum hic status venit, tunc bona charitatis et innocentiae, quae prius acceperat, secundum gradus sicut cogitat mala et actu confirmat illa, exterminantur, at usque non exterminantur sed versus interiora a Domino deducuntur, et ibi reconduntur: sed quia nondum vera novit, ideo bona innocentiae et charitatis, quae acceperat in binis illis statibus, nondum qualificata sunt, vera enim dant qualitatem bono, et bonum dat essentiam veris, idcirco ab illa aetate per instructiones, et imprimis per proprias cogitationes et inde confirmationes, imbuitur veris; quantum itaque tunc in affectione boni est, tantum conjunguntur a Domino vera bono apud illum, n: 4840, et reconduntur ad usus; hic status est qui significatur per septem annos abundantiae annonae; vera illa bono adjuncta sunt quae in proprio sensu vocantur Reliquiae: quantum itaque homo patitur se regenerari, tantum reliquiae inserviunt usui, nam tantum ex illis a Domino depromitur, et in naturale remittitur, ut producatur correspondentia exteriorum cum interioribus, seu naturalium cum spiritualibus, hoc fit in statu qui significatur per septem annos famis; hoc est arcanum. Homo Ecclesiae credit hodie, quod qualiscunque alicui vita sit, usque ex Misericordia in coelum recipi queat, et ibi beatitudine aeterna frui, putat enim quod solum sit admissio; sed multum fallitur, nemo enim in coelum admitti et recipi potest, nisi acceperit vitam spiritualem, et nemo vitam spiritualem accipere potest nisi regeneretur, et nemo regenerari potest nisi per bonum vitae conjunctum vero doctrinae, inde ei vita spiritualis; quod nemo in coelum venire possit, nisi acceperit vitam spiritualem per regenerationem, manifeste dicit Dominus apud Johannem „*Amen, amen dico tibi, nisi quis generetur denuo, non potest videre Regnum Dei*" III: 3; et mox „*Amen, amen dico tibi, nisi quis generatus fuerit ex aqua et spiritu, non potest ingredi in Regnum Dei*" ibid: Vers: 5, aqua est verum doctrinae, n: 2702. 3058. 3424. 4976, et spiritus est bonum vitae: per baptismum nemo ingreditur, sed baptismus est significativum regenerationis, cujus recordari debet homo Ecclesiae.

5343. Cibum agri urbis, quod significet quae propria eis et convenientia, nempe vera bono adjuncta in interioribus, constat ex significatione cibi, quod sint vera bono adjuncta, de qua n: 5340. 5342: [57] vera quae propria interioribus et convenientia significantur per cibum agri urbis, ex causa quia ager pertinebat ad urbem, et ambitum ejus faciebat; quae ambitum faciunt, in sensu interno significant convenientia et propria, idcirco etiam mox dicitur, quae circum circa illam dedit in medio illius. Quod illa quae ambitum faciunt significent propria et convenientia, est quia omnia vera juncta bono sunt in series disposita, ac series tales sunt ut in medio seu in intimo cujusvis: sic [58] verum junctum bono, et circum circa hoc medium seu intimum sunt vera propria ei et convenientia, et sic ordine usque ad extimum, [59] ubi evanescit; ipsae series etiam inter se similiter dispositae sunt, at variantur secundum status mutationes: quod tales dispositiones verorum bono junctorum sint, ad ipsum visum sisti solet in altera vita, in luce enim coeli, in qua est intelligentia et sapientia, talia possunt exhiberi videnda, non autem in luce mundi, nec in luce coeli apud hominem apud quem interiora non aperta sunt, at usque possunt ab illo ex intuitione rationali agnosci, et sic rationaliter ex luce coeli videri: dispositiones hae originem suam trahunt ex dispositionibus societatum angelicarum in coelo, nam sicut hae dispositae sunt, ita quoque dispositae sunt series verorum bono junctorum apud regeneratos, cum illis enim hae correspondent.

5344. Quae circum circa illam, dedit in medio illius, quod significet quae prius in exteriori naturali recondit in interioribus interioris naturalis, constat ex significatione circum circa, quod sint quae extra, ita quae in exteriori naturali; et ex significatione medii, quod sint quae intra, de qua n: 1074. 2940. 2973, ita quae in interiori naturali: quod in medio *illius* seu urbis sit [in] interioribus interioris naturalis, est quia per urbem significantur interiora, n: 5297. 5342. Interiora interioris naturalis, sunt illa ibi quae spiritualia vocantur, et spiritualia ibi sunt quae a luce coeli sunt, ex qua illuminantur illa ibi quae a luce mundi sunt, quae proprie naturalia dicuntur; in spiritualibus ibi recondita sunt vera bono adjuncta: spiritualia ibi sunt, quae correspondent societatibus angelicis quae in secundo coelo; cum

hoc coelo communicat homo per reliquias; hoc coelum est, quod aperitur cum homo regeneratur, et hoc coelum est quod clauditur cum homo non patitur se regenerari; reliquiae enim seu vera et bona in interioribus recondita non sunt aliud quam correspondentiae cum societatibus illius coeli.

5345. Et congessit Joseph frumentum sicut arenam maris multum valde, quod significet multiplicationem veri a bono, constat ex significatione congerere, quod hic sit multiplicare; ex significatione frumenti, quod sit verum voluntate et actu, de qua n: 5295, cujus multiplicatio cum comparatur arenae maris, significat quod sit ex bono, hic ex bono coelestis spiritualis per influxum, verum enim in interioribus nusquam aliunde quam ex bono multiplicatur; multiplicatio veri quod non ex bono, non est multiplicatio veri, quia non est verum, utcunque [60] in externa forma apparet ut verum, est quoddam simulachrum in quo non vita, hoc quia mortuum ad verum non accedit, nam verum ut verum sit apud hominem vivet a bono, hoc est, per bonum a Domino, et cum ita vivit, tunc de illo praedicari potest multiplicatio in sensu spirituali: quod multiplicatio veri sit solum ex bono, constare potest ex eo, quod nihil multiplicari possit nisi ex quodam simili conjugii, verum cum alio quam cum bono conjugium inire non potest, si cum alio, non est conjugium, sed est adulterium, quod itaque multiplicatur ex conjugio, hoc est legitimum, ita verum, quod autem ex adulterio, non est legitimum sed spurium, ita non verum.

5346. Usque quod cessavit ad numerandum quia nullus numerus, quod significet tale in quo coeleste a Divino, constare potest ex eo, quod verum, in quo coeleste a Divino sit indefinitum, ita absque numero: tale verum fuerat solum Domino cum fuit in mundo, Qui per Josephum hic repraesentatur, et de Cujus Naturalis glorificatione in supremo sensu hic agitur.

5347. Vers: 50. 51. 52. *Et Josepho natum, duo filii, antequam venit annus famis, quos peperit ei Asenath filia Potiphaerae sacerdotis On. Et vocavit Joseph nomen primogeniti Menascheh, quia oblivisci me fecit Deus omnis laboris mei, et omnis domus patris mei. Et nomen secundi vocavit Ephraim, quia fructificari fecit me Deus in terra afflictionis meae.* Et Josepho natum duo filii, significat inde bonum et verum: ante-

quam venit annus famis, significat quae per naturale: quos peperit ei Asenath filia Potiphaerae sacerdotis On, significat quae ex conjugio: et vocavit Joseph nomen primogeniti Menascheh, significat novum voluntarium in naturali, et quale ejus: quia oblivisci me fecit Deus omnis laboris mei, significat remotionem post tentationes: et omnis domus patris mei, significat remotionem malorum haereditariorum: et nomen secundi vocavit Ephraim, significat novum intellectuale in naturali, et quale ejus: quia fructificari fecit me Deus, significat inde multiplicationem veri ex bono: in terra afflictionis meae, significat ubi passus tentationes.

5348. Et Josepho natum, duo filii, quod significet inde bonum et verum, nempe ex influxu coelestis spiritualis in naturale, constat ex significatione nasci, quod sit renasci, ita nascentia veri ex bono, seu fidei a charitate, de qua n: 4070. 4668. 5160, quod nativitates, de quibus in Verbo, sint nativitates spirituales, videatur n: 1145. 1255. 1330. 3263. 3279. 3860. 3866; et ex significatione filiorum, hic Menasches et Ephraim, quod sint bonum et verum, de quibus mox infra; per Menaschen enim significatur voluntarium Novi Naturalis, et per Ephraimum intellectuale ejus, seu quod idem, per Menaschen significatur bonum novi naturalis, quia bonum praedicatur ex voluntate, et per Ephraimum verum ejus quia verum praedicatur ex intellectuali: alibi etiam, ubi legitur quod duo filii nati, per unum significatur bonum, et per alterum verum, sicut per Esavum et Jacobum, quod per Esavum bonum, videatur n: 3302. 3322. 3494. 3504. 3576. 3599; quod per Jacobum verum, n: 3305. 3509. 3525. 3546. [61] 3576: pariter per binos filios Jehudae ex Thamare, Perezum et Serachum, n: 4927. 4928. 4929; ita hic per Menaschen et Ephraimum; de horum nativitate hic nunc agitur, quia in mox praecedentibus actum est de influxu coelestis spiritualis in naturale, et inde de hujus renascentia, quae unice fit per bonum et verum.

5349. Antequam venit annus famis, quod significet quae per naturale, constat ex significatione antequam venit annus famis, quod sit cum perstitit status multiplicationis veri a bono, qui status significatur per annos abundantiae annonae, et sic ante statum desolationis, qui significatur per annos famis; in priori statu quia multiplicatum est verum a bono in naturali, et

sic natum coelesti spiritualis bonum et verum per naturale, idcirco per illa verba hoc consequens significatur.

5350. Quos peperit ei Asenath filia Potiphaerae sacerdotis On, quod significet quae ex conjugio, constare potest ex illis quae supra, n: 5332, dicta sunt.

5351. Et vocavit Joseph nomen primogeniti Menascheh, quod significet novum voluntarium in naturali, et quale ejus, constat ex repraesentatione Menasches in Verbo, quod sit bonum spirituale in naturali, ita novum voluntarium, de qua sequitur; nomen id etiam ipsum quale istius boni seu istius novi voluntarii involvit; quod nomen illud quale involvat, constare potest ex nominibus, quae aliis quoque indita sunt, et simul explicantur quoad quale, sicut nomen Menasche his verbis „ quia oblivisci fecit me Deus omnis laboris mei, et omnis domus patris mei," ita describitur quale, quod per Menaschen significatur; praeterea cum dicitur, vocavit nomen, etiam significatur quod ipsum nomen quale contineat, nomen enim et vocare nomen significat quale, videatur n: 144. 145. 1754. 1896. 2009. 2724. 3006. 3421. Quod primogenitus, qui nominatus Menascheh, significet bonum spirituale in naturali, seu novum voluntarium ibi, est quia bonum actualiter primogenitum est in Ecclesia, seu apud hominem qui fit Ecclesia, Verum autem non est primogenitum, sed usque apparet sicut sit, videatur n: 352. 367. 2435. 3325. 3494. 4925. 4926. 4928. 4930; quod etiam constare potest ex eo, quod apud hominem voluntas praecedat, nam velle hominis est primum ejus vitae, et intelligere ejus succedit, et se applicat secundum ejus velle; quod ex voluntate procedit, hoc vocatur bonum apud illos qui novum voluntarium per regenerationem a Domino acceperunt, at malum apud illos qui non accipere voluerunt; quod autem ex intellectuali procedit, hoc vocatur verum apud regeneratos, at falsum apud non regeneratos; sed quia voluntarium hominis non apparet ad sensum nisi per intellectuale, est enim intellectus voluntas in forma, seu voluntas formata ad sensum, idcirco putatur quod verum quod procedit ab intellectuali, sit primogenitum, cum tamen id non sit nisi apparentia ex dicta causa: inde est, quod olim controversum fuerit, num Verum quod fidei esset primogenitum Ecclesiae, vel num bonum quod charitatis, qui ex apparentia con-

cluserunt, dixerunt esse verum, qui autem non ex apparentia, agnoverunt quod esset bonum; inde quoque est, quod hodie fidem faciant primum et ipsum essentiale Ecclesiae, charitatem autem secundarium et non essentialem, sed prae antiquis processerunt in errorem multo latius, statuendo quod sola fides salvet; per fidem in Ecclesia intelligitur omne verum doctrinae, per charitatem autem omne bonum vitae; charitatem et ejus opera quidem vocant fructus fidei, sed quis credit quod fructus aliquid faciant ad salutem, cum creditur quod salvetur homo per fidem in ultima vitae suae hora, utcunque prius vixerit, et adhuc cum per doctrinale separant opera, quae sunt charitatis, a fide, dicendo, quod sola fides salvet absque bonis operibus, aut quod opera, quae sunt vitae, nihil faciant ad salutem; o qualis fides, et o qualis Ecclesia, fidem mortuam adorant, et fidem vivam rejiciunt, cum tamen fides absque charitate est sicut corpus absque anima, quod corpus absque anima removeatur a conspectu et rejiciatur, quia putet, notum est, similiter etiam fides absque charitate in altera vita; omnes in inferno sunt qui in fide sic dicta absque charitate fuerunt, at omnes in coelo sunt qui in charitate; vita enim unumquemque manet, doctrina autem non plus quam quantum ex vita trahit. Quod per Menaschen significetur novum voluntarium in naturali, seu quod idem, bonum spirituale ibi, non ita ex Verbo alibi constare potest, sicut quod per Ephraimum significetur novum intellectuale in naturali, seu verum spirituale ibi; sed usque de Menasche concludi potest ex Ephraimo, in Verbo enim, ubi duo ita memorantur, per unum significatur bonum, et per alterum verum, quapropter quod per Menaschen significetur bonum spirituale in naturali, quod est novi voluntarii, videbitur in mox sequentibus ubi de Ephraimo.

5352. Quia oblivisci fecit me Deus omnis laboris mei, quod significet remotionem post tentationes, constat ex significatione oblivisci, quod sit remotio, de qua n: 5170. 5278; et ex significatione laboris, quod sint pugnae, ita tentationes; inde est quod per oblivisci fecit me Deus omnis laboris mei, significetur remotio post tentationes, nempe remotio malorum, quae dolorem fecerunt; quod illa significentur, patet quoque ab illis quae de Josepho memorantur in terra Canaan apud fratres, et dein

quae in Aegypto, in terra Canaan quod conjectus in foveam, et venditus, in Aegypto quod serviverit, et in carcere per aliquot annos detentus fuerit, per quae quod tentationes significatae sint, prius ostensum est; et quod illa sint quae per laborem intelliguntur, patet.

5353. Et omnis domus patris mei, quod significet remotionem malorum haereditariorum, constat ex significatione domus patris, quod hic sint mala haereditaria, per domum enim in sensu interno significatur homo, et quidem ejus mens aut rationalis aut naturalis, in specie autem voluntarium ibi, consequenter bonum aut malum, quia haec praedicantur de voluntate, videatur n: 710. 2233. 2234. 3128. 4973. 4982. 5023, et quia ita, per domum patris hic significantur mala haereditaria. Quale quod per Menaschen significatur, in his et mox praecedentibus verbis continetur, Menasche in lingua originali significat oblivionem, ita in sensu interno remotionem, nempe malorum tam actualium quam haereditariorum, his enim remotis novum voluntarium assurgit; novum enim voluntarium existit per influxum boni a Domino, influxus boni a Domino est continuus apud hominem, sed sunt mala tam actualia quam haereditaria quae inhibent et obstant ne recipiatur, quapropter illis remotis voluntarium novum existit: quod tunc existat, manifeste patet apud illos qui in infortuniis, miseriis ac in morbis sunt, in his quia removentur amores sui et mundi, a quibus sunt omnia mala, homo cogitat bene de Deo, et de proximo, et quoque huic bene vult; similiter in tentationibus, quae sunt dolores spirituales, ac inde miseriae interiores, ac desperationes, per has praecipue removentur mala, quae postquam remota sunt, influit bonum coeleste a Domino, inde novum voluntarium in naturali, quod est Menasche in sensu repraesentativo.

5354. Et nomen secundi vocavit Ephraim, quod significet novum intellectuale in naturali, et quale ejus, constat a significatione Nominis et vocare nomen, quod sit quale, de qua n: 144. 145. 1754. 1896. 2009. 2724. 3006. 3421; et ex repraesentatione Ephraim, quod sit intellectuale in Naturali, de qua sequitur: quid novum Intellectuale et quid novum Voluntarium, quae significantur per Ephraim et Menaschen, primum dicendum; in Ecclesia quidem notum est, quod homo denuo ge-

nerandus sit, hoc est, regenerandus, ut ingredi queat in Regnum Dei, hoc notum est, quia Dominus apertis verbis id dixerat apud Johannem Cap: III: 3. 5; quid autem sit denuo generari, usque paucis notum est, causa est quia pauci sciunt quid bonum et malum; quod non sciant quid bonum et malum, causa est quia non sciunt quid charitas erga proximum, si hanc scirent, etiam scirent quid bonum et ex bono quid malum, omne enim id bonum est, quod ex genuina charitate erga proximum venit: sed in hoc bono nemo potest esse ex se, est enim ipsum coeleste quod influit a Domino; hoc coeleste continue influit, sed obstant mala et falsa quin [62] possit recipi; ut itaque recipiatur, necessum est ut homo removeat mala, et quantum potest etiam falsa, et sic se disponat ad recipiendum influxum; quando remotis malis homo recipit influxum, tunc accipit novam voluntatem et novum intellectuale, ex nova voluntate sentit jucundum in benefaciendo proximo ex nullo fine sui, et ex novo intellectuali appercipit jucundum in discendo quid bonum et verum propter illa et propter vitam; quia novum hoc intellectuale et novum voluntarium existit per influxum a Domino, idcirco is qui regeneratus est, agnoscit et credit, quod bonum et verum quibus afficitur, non sit ex se sed ex Domino, tum quod quicquid ex se seu ex proprio, non sit nisi malum; ex his patet, quid sit denuo generari, tum quid sit novum voluntarium et novum intellectuale; sed regeneratio, per quam novum intellectuale et novum voluntarium, non fit uno momento, sed fit a prima infantia usque ad ultimum vitae, et postea in altera vita in aeternum, et hoc per Media Divina, innumerabilia et ineffabilia; homo enim ex se non est nisi malum, quod continue sicut ex fornace exhalat, ac continue bonum nascens exstinguere conatur, ad removendum tale malum et loco ejus irradicandum bonum, non potest fieri nisi per omnem vitae cursum, et per Divina Media quae innumerabilia et ineffabilia sunt; horum mediorum vix aliqua nota sunt hoc tempore, ex causa quia homo regenerari se non patitur, nec credit regenerationem aliquid esse, quia non credit vitam post mortem; processus regenerationis, qui ineffabilia continet, quoad plurimam partem facit sapientiam Angelicam, et est talis ut a nullo Angelo in aeternum plene exhauriri queat; inde est, quod in sensu interno Verbi de eo [63] praecipue aga-

tur. Quod Ephraim sit novum Intellectuale in naturali, ex plurimis locis in Verbo patet, praecipue apud Prophetam Hoscheam, qui de Ephraimo multum agit, apud quem haec „Ego novi *Ephraimum*, et Israël non latet Me, quod omnino scortatus sis *Ephraim*, pollutus sit Israël. Israël et *Ephraim* corruent per iniquitatem suam, corruet etiam Jehudah cum illis. *Ephraim* in solitudinem erit, in die correptionis. [64] Et Ego sicut tinea *Ephraimo*, et sicut teredo domui Jehudae. Et vidit *Ephraim* morbum suum, et Jehudah vulnus suum, et *ivit Ephraim ad Assyrium*, et misit ad regem Jareb, et hic non potuit sanare vos" V: 3. 5. 9. 11. 12. 13: adhuc apud Eundem „Quando sanavi Israëlem, tunc revelata est iniquitas *Ephraimi*, et mala Samariae, quia fecerunt mendacium; et fur venit, diffundit se turma foris. Et fuit *Ephraim* sicut columba stulta non cor, *Aegyptum vocarunt, Assyriam abiverunt;* cum ibunt, expandam super eos rete meum" VII: [1.] 11. 12 seq: porro „Deglutitus est Israël, nunc futuri sunt inter gentes, sicut vas in quo non desiderium; quando illi ascenderunt *Assyriam*, onager solitarius, sibi *Ephraim* mercede meretricia conciliat amores" VIII: 8. 9. „Israël non habitabunt in terra Jehovae, et *revertetur Ephraim Aegyptum*, et in *Assyria* immundum comedent" IX: 3. „Circumdederunt Me mendacio *Ephraim*, et dolo domus Israëlis; et Jehudah adhuc dominatur cum Deo et cum sanctis fidelis: [65] *Ephraim* pascens ventum, et persequitur eurum, omni die mendacium et vastationem multiplicat, et foedus cum *Assyrio* pangunt, et oleum in *Aegyptum* defertur" XII: 1. 2; praeter de Ephraim pluries alibi apud Eundem, ut Cap: IV: 16. 17. 18. Cap: V: 3. 5. 9. 11. 12. 13. Cap: VII: 8. 9. Cap: IX: 8. 11. 15. 16. Cap: X: 6. 11. Cap: XI: 3. 8. 9. Cap: XII: 9. 15. Cap: XIII: 1. 12. Cap: XIV: 9; in his omnibus locis per Ephraim intelligitur Intellectuale Ecclesiae, per Israël spirituale ejus, et per Jehudam coeleste ejusdem; et quia intellectuale Ecclesiae per Ephraimum significatur, ideo saepe dicitur de Ephraim quod abeat in Aegyptum, et in Assyriam, per Aegyptum enim significantur scientifica, et per Assyriam ratiocinia ex illis; illa et haec praedicantur de Intellectuali; quod Aegyptus sit scientificum, videatur n: 1164. 1165. 1186. 1462. 2588. 3325. 4749. 4964. 4966, et quod Aschur seu Assyria

sit ratio et ratiocinatio, n: 119. 1186. Similiter in sequentibus locis per Ephraimum significatur Intellectuale Ecclesiae; apud Sachariam „Exulta valde, filia Zionis, clange filia Hierosolymae, ecce Rex tuus venit tibi: *exscindam currum ex Ephraimo*, et equum ex Hierosolyma; et exscindam arcum belli, contra loquetur pacem gentibus; et erit dominari Ipsius a mari usque ad mare, et a fluvio usque ad fines terrae. Tendam Mihi Jehudam, *arcu implebo Ephraimum*, et excitabo filios tuos Zion, cum filiis tuis Javan" IX: 9. 10. 13; ibi de adventu Domini, et Ecclesia gentium; exscindere currum ex Ephraimo et equum ex Hierosolyma, pro omne intellectuale Ecclesiae, arcu implere Ephraimum, pro dare novum intellectuale; quod currus sit doctrinale, videatur n: 5321; equus intellectuale, n: 2760. 2761. 2762. 3217. 5321; et quod arcus etiam doctrinale, n: 2685. [66] 2686. 2709; doctrinale enim ab intellectuali dependet, nam sicut id intelligitur, ita creditur, intellectus doctrinalis facit quale fidei: inde etiam filii Ephraimi vocantur jaculatores arcu apud Davidem „Filii *Ephraimi* qui armati, *jaculatores arcu*, averterunt se in die praelii" Ps: LXXVIII: 9. Apud Ezechielem „Fili hominis, sume tibi lignum unum, et scribe super illud Jehudae et filiis Israëlis sociis ejus; deinde sume lignum unum, et scribe super illud Josephi *lignum Ephraimi* et omnis domus Israëlis sociorum ejus; postea conjunge illa, unum cum altero tibi in lignum unum, ut sint unum ambo in manu mea; ecce Ego accepturus lignum Josephi, quod in manibus *Ephraimi* et tribuum Israëlis sociorum ejus, et addam eos qui super illo cum ligno Jehudae, et faciam eos in lignum unum, ut sint unum in manu mea" XXXVII: 16. 17. 19; ibi etiam per Jehudam intelligitur Ecclesiae coeleste, per Israëlem ejus spirituale, et per Ephraimum ejusdem intellectuale, quae quod unum fient per charitatis bonum, significatur per quod unum lignum fiet ex duobus; lignum quod sit bonum quod charitatis et inde operum, videatur n: 1110. 2784. 2812. 3720. 4943. Apud Jeremiam „Dies est, clamabunt custodes *ex monte Ephraimi*, surgite, ascendamus Zionem ad Jehovam Deum nostrum, ero Israëli in patrem, et *Ephraim* primogenitus meus ille" XXXI: 6. 9. Apud Eundem „Audiendo audivi *Ephraimum* lugentem, Castigasti me, et castigatus sum, sicut vitulus non con-

suetus: converte me, ut convertar; nonne filius pretiosus Mihi *Ephraim*, nonne natus delitiarum; nam postquam loquutus fuero contra illum, recordando recordabor illius iterum" XXXI: 18. 20. Apud Eundem „Reducam Israëlem ad habitaculum suum, ut pascat in Carmele et Baschane, ac *in monte Ephraimi* et Gileade saturetur anima ejus" L: 19. Apud Esaiam „Vae coronae superbiae, *ebriis Ephraimi*, et flori decidenti et gloriae decoris illius, qui super capite vallis pinguium perturbatorum vino" XXVIII: 1; in his quoque locis per Ephraimum significatur intellectuale Ecclesiae; Intellectuale Ecclesiae est intellectus apud homines Ecclesiae de veris et bonis, hoc est, de doctrinalibus fidei et charitatis, ita notio, conceptus seu idea de illis; ipsum verum est Ecclesiae spirituale, et bonum est ejus coeleste, at verum et bonum aliter intelligitur apud unum quam apud alterum, qualis itaque intellectus veri est, tale est verum apud unumquemvis; similiter se habet cum intellectu boni. Quid voluntarium Ecclesiae, quod per Menaschen significatur, ex Intellectuali, quod est Ephraim, sciri potest; voluntarium Ecclesiae similiter se habet sicut ejus Intellectuale, quod nempe apud unumquemvis varietur: Menasche id voluntarium significat apud Esaiam „In excandescentia Jehovae Zebaoth obscurata est terra, factusque est populus sicut cibus ignis, vir fratri suo non parcent, vir carnem brachii sui comedent, *Menasche Ephraimum*, et *Ephraimus Menaschen*, una illi sunt contra Jehudam" IX: 18. 19. 20; vir carnem brachii sui comedent, Menasche Ephraimum et Ephraimus Menaschen, pro quod velle hominis Ecclesiae erit contra ejus intelligere, et intelligere contra ejus velle. Apud Davidem „Deus loquutus est per sanctitatem suam, exultabo, dividam Schechemum, et vallem Succoth dimetiar, Mihi Gilead, et Mihi *Menasche*, et *Ephraim* robur capitis mei" Psalm: LX: 8. 9. Apud Eundem „Pastor Israëlis adverte aurem, qui ducit sicut gregem Josephum, qui sedes super Cherubim, effulge, *coram Ephraimo* et Benjamine, et *Menasche*, excita potentiam tuam" Psalm: LXXX: 2. 3, etiam ibi Ephraim pro Ecclesiae Intellectuali, et Menasche pro ejus voluntario: idem etiam patet ex benedictione Ephraimi et Menasches a Jacobo ante mortem, de qua Gen: XLVIII: et quoque ex eo, quod Jacob acceptaverit Ephraimum loco Rubenis, et Menaschen loco

Schimeonis, ibid: Vers: 3. 5, per Rubenem enim repraesentatum fuit intellectuale Ecclesiae, seu fides intellectu et doctrina, n: 3861. 3866, et per Schimeonem fides actu, seu obedientia et voluntas faciendi verum, ex qua et per quam charitas, ita verum actu quod est bonum novi voluntarii, n: 3869. 3870. 3871. 3872. Quod Jacob tunc Israël Ephraimo benedixerit prae Menasche, ponendo dextram manum super illum, et sinistram super hunc, ibid: vers: 13 ad 20, causa fuit eadem, quae fuit Jacobo, quod primogenituram Esavi in se derivaverit; et eadem quae fuit filiis Jehudae ex Thamare Perezo et Seracho, quod Serach qui primogenitus usque post Perezum exiverit, Gen: XXXVIII: 28. 29. 30, causa nempe erat quod verum fidei, quod intellectualis, primo loco sit apparenter cum regeneratur homo, et tunc bonum charitatis quod voluntarii apparenter secundo loco, cum tamen bonum actualiter est primo, et manifeste cum homo regeneratus est, de qua re videatur n: 3324. 3539. 3548. 3556. 3563. 3570. 3576. 3603. 3701. 4243. 4244. 4247. 4337. 4925. 4926. 4928. 4930. 4977.

5355. Quia fructificari fecit me Deus, quod significet inde multiplicationem veri ex bono, constat ex significatione fructificari facere, quod sit multiplicatio, nempe veri ex bono, fructificatio enim praedicatur ex bono, et multiplicatio de vero, n: 43. 55. 913. 983. [67] 1940. 2846. 2847; Ephraim inde in Lingua originali nominatus est a fructificatione, cujus quale continetur in his verbis „quia fructificari fecit me Deus in terra afflictionis meae;" quale est, quod multiplicatum sit verum ex bono in naturali post tentationes quas ibi passus. Quid multiplicatio veri a bono, paucis dicendum; cum homo in bono est, hoc est, in amore erga proximum, tunc etiam in amore veri est, inde quantum in bono illo est, tantum vero afficitur, nam bonum est in vero sicut anima in suo corpore; sicut itaque bonum multiplicat verum, ita se propagat, sique genuinae charitatis bonum est, propagat se in vero et per verum in indefinitum, nam non datur finis neque bono neque vero, Infinitum est in omnibus et singulis, quia omnia et singula ex Infinito sunt; at usque indefinitum illud nusquam aliquo modo pertingere ad Infinitum potest, quia ratio finiti nulla datur cum Infinito: in Ecclesia hodie raro datur multiplicatio veri, causa est, quia hodie

non est bonum genuinae charitatis; creditur satis esse scire dogmata fidei, quae sunt Ecclesiae in qua natus est, et illa variis confirmare; at qui in bono genuinae charitatis est, et inde in affectione veri, non contentus est eo, sed vult illustrari ex Verbo quid Verum, et videre illud priusquam confirmat, videt etiam ex bono, nam apperceptio veri est ex bono, Dominus enim est in bono et dat apperceptionem; cum inde accipit verum, tunc crescit id in indefinitum; se habet hoc sicut seminulum, quod crescit in arborem, et producit seminula, et haec dein hortum, et sic porro.

5356. In terra afflictionis meae, quod significet ubi passus tentationes, constat ex significatione terrae, hic terrae Aegypti, quod sit naturale, de qua n: 5276. 5278. 5280. 5288. 5301; et ex significatione afflictionis, quod sit tentatio, de qua n: 1846; inde patet, quod per in terra afflictionis meae, significetur in naturali ubi passus tentationes, proinde quod ibi multiplicatum verum ex bono sit; quia fructificatio illa seu multiplicatio veri ex bono, imprimis fit per tentationes, idcirco ita dictum est. Quod fructificatio illa imprimis fiat per tentationes, causae sunt, quia tentationes removent amores sui et mundi, ita mala, quibus remotis influit affectio boni et veri a Domino, videatur mox supra n: 5354: Tentationes etiam dant quale apperceptionis boni et veri, per opposita quae mali spiritus tunc infundunt; ex oppositis apperceptis comparantur relativa, ex quibus omne quale; nemo enim scit quid bonum nisi etiam sciat quid non bonum, nec quid verum nisi sciat quid non verum: Tentationes etiam confirmant bona et vera, pugnat enim tunc homo contra mala et falsa, et per quod vincit, in fortius affirmativum venit: praeterea etiam per Tentationes domantur mala et falsa, ut amplius non hiscant exsurgere; ita rejiciuntur mala cum falsis ad latera, et ibi pendent sed flaccide deorsum, bona autem cum veris in medio sunt, et secundum affectionis Zelum elevantur sursum, ita ad coelum versus Dominum, a Quo elevatio.

5357. Vers: 53. 54. 55. 56. 57. *Et absoluti septem anni abundantiae annonae, quae fuit in terra Aegypti. Et inceperunt septem anni famis venire, quemadmodum dixit Joseph; et fuit fames in omnibus terris; et in omni terra Aegypti fuit panis. Et famem passa omnis terra Aegypti; et clamavit po-*

pulus ad Pharaonem pro pane, et dixit Pharao omni Aegypto, ite ad Josephum, quod dicit vobis, faciatis. Et fames fuit super omnibus faciebus terrae, et aperuit Joseph omnia in quibus, et vendidit Aegypto; et invalescebat fames in terra Aegypti. Et omnis terra venerunt Aegyptum ad emendum ad Josephum, quia invaluit fames in omni terra. Et absoluti septem anni abundantiae annonae, significat post status multiplicationis veri: quae fuit in terra Aegypti, significat in naturali: et inceperunt septem anni famis venire, significat status sequentes desolationis: quemadmodum dixit Joseph, significat sicut praevisum a coelesti spiritualis: et fuit fames in omnibus terris, significat desolationem ubivis in naturali: et in omni terra Aegypti fuit panis, significat reliquias ex multiplicatis veris ex bono: et famem passa omnis terra Aegypti, significat desolationem in naturali utroque: et clamavit populus ad Pharaonem pro pane, significat indigentiam boni pro vero: et dixit Pharao omni Aegypto, significat apperceptionem: ite ad Josephum, significat quod ex coelesti spiritualis: quod dicit vobis, faciatis, significat modo sit obedientia: et fames fuit super omnibus faciebus terrae, significat quod desolatio usque ad desperationem: et aperuit Joseph omnia in quibus, significat communicationem ex reliquiis: et vendidit Aegypto, significat appropriationem: et invalescebat fames in terra Aegypti, significat gravitatem increscentem: et omnis terra venerunt Aegyptum, significat quod vera et bona collata in scientifica quae Ecclesiae: ad emendum, significat appropriationem inde: ad Josephum, significat ubi coeleste spiritualis: quia invaluit fames in omni terra, significat quod ubivis praeter ibi desolatio in naturali.

5358. Et absoluti septem anni abundantiae annonae, quod significet post status multiplicationis veri, constat ex illis, quae supra n: 5276. 5292. 5339, explicata sunt, ubi similia verba.

5359. Quae fuit in terra Aegypti, quod significet in naturali, constat ex significatione terrae Aegypti, quod sit naturale, de qua n: 5080. 5095. 5276. 5278. 5280. 5288.

5360. Et inceperunt septem anni famis venire, quod significet status sequentes desolationis, constat a significatione annorum, quod sint status, de qua n: 482. 487. 488. 493. 893; et a significatione famis, quod sit defectus cognitionum veri et bo-

ni, de qua n: 1460. 3364, proinde desolatio. Quod fames sit ille defectus, seu desolatio, est quia non aliud est cibus coelestis et spiritualis, quam bonum et verum, haec sunt quibus Angeli et spiritus nutriuntur, et quae in fame esuriunt inque siti sitiunt, quapropter etiam illis cibis cibi materiales correspondent, sicut panis amori coelesti, vinum amori spirituali, et praeterea omnia et singula quae panis seu cibi, ac vini seu potus sunt; cum itaque deficiunt talia, est fames, et vocatur in Verbo desolatio et vastatio, desolatio cum deficiunt vera, et vastatio cum deficiunt bona: multis in locis in Verbo de desolatione et vastatione illa agitur, et ibi describitur per desolationem terrae, regnorum, urbium, gentium, populorum, ac nuncupatur quoque exinanitio, excisio, consummatio, desertum, vacuum, ac ipse ille status vocatur dies magnus Jehovae, dies excandescentiae et vindictae Ipsius, dies tenebrarum et caliginis, nubis et obscuritatis, dies visitationis, etiam dies quando peritura terra, ita dies ultimus ac dies Judicii; et quia non intellexerunt sensum internum Verbi, putarunt hactenus, quod sit dies quando peritura terra, et quod tunc primum resurrectio et Judicium, non scientes quod per diem ibi significetur status, et per terram Ecclesia, ita per diem quando peritura terra, status quando Ecclesia interitura; quapropter in Verbo, cum de interitu hoc agitur, etiam de nova terra agitur, per quam Ecclesia nova intelligitur; de nova terra et de novo coelo, videatur n: 1733. 1850. 2117. 2118 f. 3355 f. 4535; ultimus ille status Ecclesiae qui praecedit statum novae Ecclesiae, in Verbo proprie per vastationem et desolationem intelligitur et describitur: per desolationem et vastationem in Verbo describitur etiam status, qui praecedit regenerationem hominis, qui status hic significatur per septem annos famis.

5361. Quemadmodum dixit Joseph, quod significet sicut praevisum a coelesti spiritualis, constat ex significatione dicere in historicis Verbi, quod sit percipere, de qua saepius in antecedentibus, quare cum praedicatur de Domino, Qui hic est Joseph, est percipere ex se, ita praevidere; et ex repraesentatione Josephi, quod sit coeleste spiritualis, de qua n: 5249. 5307. 5331. 5332.

5362. Et fuit fames in omnibus terris, quod significet de-

solationem ubivis in naturali, constat ex significatione famis, quod sit desolatio, de qua supra n: 5360; et ex significatione omnium terrarum, quod sit ubivis in naturali; quod terra sit mens naturalis, ita naturale, videatur n: 5276. 5278. 5280. 5288. 5301.

5363. Et in omni terra Aegypti fuit panis, quod significet reliquias ex multiplicatis veris ex bono, constat ex eo, quod per panem in omni terra Aegypti intelligatur frumentum in septem annis abundantiae annonae collectum, et in urbibus repositum, per quod quod significatae sint reliquiae in interioribus mentis naturalis reconditae, supra passim dictum et ostensum est; inde per panem in omni terra Aegypti, significantur reliquiae ex multiplicatis veris ex bono: quod reliquiae hic sint panis in terra Aegypti, patet quoque ex eo, quod jamdum inceperint anni famis, in quibus terra Aegypti aeque passa famem ac reliquae terrae, praeter quod haberet deposita quae reliquae terrae non haberent, quare etiam nunc sequitur „Et famem passa omnis terra Aegypti."

5364. Et famem passa omnis terra Aegypti, quod significet desolationem in naturali utroque, constat ex significatione famis, quod sit desolatio, de qua supra n: 5360. 5362; et ex significatione omnis terrae, quod sit naturale utrumque, de qua n: 5276.

5365. Et clamavit populus ad Pharaonem pro pane, quod significet indigentiam boni pro vero, constat ex significatione clamare, quod sit dolentis, ac lugentis, ita quod sit indigentis: ex significatione populi, quod sit verum, de qua n: 1259. 1260. 3295. 3581; ex repraesentatione Pharaonis, quod sit naturale, de qua n: 5079. 5080. 5095. 5160; et ex significatione panis, quod sit coeleste amoris, ita bonum, de qua n: 276. 680. 2165. 2177. 3464. 3478. 3735. 3813. 4211. 4217. 4735. 4976; inde sequitur, quod per clamavit populus ad Pharaonem pro pane, significetur indigentia boni pro vero in naturali: hic sensus quidem apparet remotus a sensu literae historico, at usque cum illi qui in sensu interno sunt, non aliud per clamare, per populum, per Pharaonem, et per panem, intelligunt, quam quae dicta sunt, sequitur, quod ille sensus inde resultet. Quomodo se habet cum indigentia boni pro vero, dicendum; ve-

rum indiget boni, et bonum indiget veri, cumque verum indiget boni conjungitur verum bono, et cum bonum indiget veri conjungitur bonum vero, conjunctio enim boni et veri reciproca, nempe veri cum bono et boni cum vero, est conjugium coeleste: primis temporibus cum homo regeneratur, tunc verum multiplicatur, non autem ita bonum, et quia tunc verum non habet bonum cum quo conjungatur, ideo verum intrahitur et reponitur in interioribus naturalis, ut inde evocetur secundum incrementa boni; in hoc statu verum est in indigentia boni, et quoque secundum boni influxum in naturale fit conjunctio veri cum bono; sed usque ex hac conjunctione non fit aliqua fructificatio; cum autem homo regeneratus est, tunc bonum crescit, et sicut crescit in indigentia veri est, et quoque verum sibi comparat cum quo conjungatur; inde conjunctio boni cum vero; cum hoc fit, tunc fructificatur verum ex bono, et bonum ex vero: quod ita fiat, ignotissimum est in mundo, sed notissimum in coelo, at si in mundo notum foret, non modo scientia sed etiam perceptione, quid amor coelestis seu amor in Dominum, ac quid amor spiritualis seu charitatis erga proximum, etiam notum foret quid bonum, nam omne bonum est amorum illorum, ac insuper notum foret, quod bonum desideret verum, et verum bonum, et quod secundum desiderium et ejus quale, conjungantur; pateret hoc ex eo, quod cum cogitatur verum, sistatur una bonum ei adjunctum, et cum excitatur bonum, sistatur una verum ei adjunctum, utrumque cum affectione, desiderio, jucundo, aut sancto suspirio; ac inde nosceretur quale conjunctionis; sed quia non scitur ex aliqua sensatione interna seu perceptione quid bonum, etiam talia ad cognitionem venire non possunt, quod enim ignoratur, hoc non intelligitur, etiamsi obveniat: et quia ignoratur quid bonum spirituale, quod nempe sit charitas erga proximum, ideo in mundo imprimis inter eruditos controvertitur quid summum bonum; et vix aliquis dixit quod sit jucundum, faustum, beatum, et felix illud, quod percipitur ab amore mutuo absque fine propter se et propter mundum, et quod facit ipsum coelum; exinde etiam patet, quod hodie in mundo prorsus non sciatur quid bonum spirituale, et minus quod bonum et verum forment inter se conjugium, et quod in hoc sit coelum, et quod qui in illo sunt, in sapientia et

H

intelligentia sint, et quod fausta et felicia habeant cum indefinita et ineffabili varietate, quorum ne quidem unum novit mundus, inde nec agnoscit nec credit quod sit, cum tamen est ipsum coelum seu ipsum gaudium coeleste, de quo tam multum Ecclesia loquitur.

5366. Et dixit Pharao omni Aegypto, quod significet apperceptionem, constat ex significatione dicere in historicis Verbi, quod sit percipere, de qua n: 1791. 1815. 1819. 1822. 1898. 1919. 2061. 2080. 2862. 3509. 3395; ex repraesentatione Pharaonis, quod sit naturale in communi, de qua n: 5160; et ex significatione omnis Aegypti, quod sit utrumque naturale, de qua n: 5276. 5364; [68] inde patet, quod per dixit Pharao omni Aegypto, significetur apperceptio in utroque naturali, in communi et in particulari.

5367. Ite ad Josephum, quod significet quod ex coelesti spirituali, constat ex repraesentatione Josephi, quod sit coeleste spirituale, de qua saepe prius; ire ad illum, significat quod ab illo, nempe bonum pro vero, quod significatur per panem, pro quo populus clamavit ad Pharaonem, n: 5365.

5368. Quod dicit vobis, faciatis, quod significet modo sit obedientia, constat ex significatione facere quod aliquis dicit, quod sit obedire; per hoc significatur, quod bonum vero adjungatur in naturali, modo naturale se applicet et obediat: de applicatione et obedientia naturalis etiam aliquid dicetur; qui in solis mundanis, et magis qui in corporeis, et adhuc magis qui in terrestribus sunt, non capere possunt, quid sit, quod naturale se applicare ac obedire debeat, putant quod non nisi quam unum sit quod agit in homine, et sic quod non detur aliud quod in illo jubet, et aliud quod obedit, cum tamen Internus homo sit qui jubere et Externus qui obedire debet, et tunc obedit, cum non pro fine habet mundum sed coelum, non semet sed proximum, consequenter cum spectat corporea et mundana pro mediis, non autem pro fine; et tunc spectat illa pro mediis et non pro fine, cum amat proximum prae semet, et illa quae coeli sunt prae illis quae mundi; cum ita est, tunc naturale obedit; Naturale est idem cum externo homine.

5369. Et fames fuit super omnibus faciebus terrae, quod significet cum desolatio usque ad desperationem, constat ex si-

gnificatione famis, quod sit desolatio, de qua supra n: 5360. 5362. 5364; et ex significatione terrae, quod sit naturale; super cujus omnibus faciebus cum dicitur fames esse, significatur desperatio, quia tunc desolatio ubivis; summum enim ac ultimum desolationis est desperatio, n: 5279. 5280.

5370. Et aperuit Joseph omnia in quibus, quod significet communicationem ex reliquiis, constat ex significatione aperire, quod hic sit communicare; omnia in quibus, sunt repositoria ubi frumentum, per quae quod reliquiae significatae sint, supra aliquoties dictum: quod reliquiae sint bona et vera in interioribus a Domino recondita, videatur n: 468. 530. 560. 561. 660. 661. 798. 1050. 1738. 1906. 2284. 5135. 5342. 5344.

5371. Et vendidit Aegypto, quod significet appropriationem, constat ex significatione vendere, quod sit appropriare alicui, nam quod venditur, fit ejus qui emit; quod vendere et emere sit appropriatio, videbitur infra n: 5374.

5372. Et invalescebat fames in terra Aegypti, quod significet gravitatem increscentem, nempe desolationis, constat ex significatione famis et terrae Aegypti, quod sit desolatio in naturali, cujus gravitas increscens significatur per quod invalesceret.

5373. Et omnis terra venerunt Aegyptum, quod significet quod bona et vera collata in scientifica quae Ecclesiae, constat ex significatione terrae; terrae significatio in Verbo est varia, in genere significat Ecclesiam, inde etiam illa quae sunt Ecclesiae, nempe bona et vera; et quia significat Ecclesiam, etiam significat hominem Ecclesiae, nam is est Ecclesia in particulari; et quia significat hominem Ecclesiae, significat id quod homo est in illo, nempe mentem, inde est, quod per terram Aegypti supra passim significata sit mens naturalis; hic autem non intelligitur terra Aegypti, sed terra in genere, proinde illa quae sunt Ecclesiae quae sunt bona [et] vera, quod Terrae significatio sit varia, videatur n: 620. 636. 2571; quod in genere significet Ecclesiam, n: 566. 662. 1067. 1262. 1413. 1607. 1733. 1850. 2117. 2118 f. 2928. 3355. 3404. 4447. 4535. Quod per omnis terra venerunt Aegyptum, significetur quod bona et vera collata sint in scientifica, constat ex significatione Aegypti in proprio sensu, quod sit scientia, proinde scientifica, videatur n: 1164. 1165. 1186. 1462; et quod scientifica, quae per Ae-

gyptum significentur in bono sensu, sint scientifica Ecclesiae, n: 4749. 4964. 4966: quod hic sensus internus horum verborum sit, patet non modo a significatione vocum, nempe terrae cum non intelligitur terra Aegypti, et quoque Aegypti in proprio sensu, tum quia dicitur in plurali nempe omnis terra venerunt, sed etiam ab ipso nexu rerum in sensu interno; in nexu enim nunc sequitur, quod vera et bona reliquiarum conferantur in scientifica: res enim ita se habet; cum regeneratur homo quoad naturale, bona et vera omnia et singula conferuntur in scientifica, quae non in scientificis ibi sunt, non in naturali sunt, nam mens naturalis quoad illam partem quae subjecta est intellectuali, consistit solum ex scientificis; scientifica, quae naturalis, sunt ultima ordinis, priora erunt in ultimis ut existant et appareant in illa sphaera; et praeterea priora omnia tendunt ad ultima, ut ad suos terminos aut fines, et inibi simul existunt, sicut causae in suis effectibus, aut sicut superiora in inferioribus, ut in suis vasibus; scientifica, quae naturalis, talia ultima sunt, inde est, quod spiritualis mundus terminetur in naturali hominis, in quo illa, quae spiritualis mundi sunt, repraesentative sistuntur; spiritualia nisi in naturali sisterentur repraesentative, ita per talia quae in mundo, nullatenus caperentur: ex his constare potest, quod, cum regeneratur naturale, omnia vera et bona interiora, quae ex spirituali mundo sunt, conferantur in scientifica, ut appareant.

5374. Ad emendum, quod significet appropriationem, constat ex significatione emere, quod sit comparare sibi, et sic appropriare; comparatio et appropriatio spiritualiter fit per bonum et verum; huic correspondet comparatio et appropriatio quae in mundo fit per argentum et aurum, argentum enim est verum, et aurum est bonum in spirituali sensu; inde emptio significat appropriationem; ut quoque in his locis [69] in Verbo, apud Esaiam „Omnis sitiens ite ad aquas, et cui non argentum, ite, *emite*, et comedite, et ite, *emite* sine argento, et sine pretio, vinum et lac" LV: 1; etiam apud Jeremiam, Cap: XIII: 1. 2. 11. Apud Matthaeum „Simile est Regnum coelorum thesauro abscondito in agro, quem repertum homo abscondit, et prae gaudio suo abit, et omnia quaecunque habet vendit, et *emit agrum illum.* Rursus simile est Regnum coelorum homi-

ni negotiatori quaerenti pulchras margaritas, abiit et vendidit omnia quae habuit, et *emit illam*" XIII: 44. 45. 46: et apud Eundem „Virgines prudentes dixerunt ad stultas, ite *ad vendentes*, et *emite vobis oleum;* abeuntibus illis *ad emendum* venit sponsus" XXV: 9. 10. Quia emere significabat appropriationem, ideo in Verbo illa quae empta sunt argento probe distinguuntur ab illis quae aliter comparata sunt; servi etiam, qui empti argento erant sicut proprii, ac in inferiori gradu sicut nati domus; quapropter etiam passim una memorantur, ut Genes: Cap: XVII: 13, „Circumcidendo circumcidetur *natus domus tuae*, et *emptio argenti tui:*" et Lev: Cap: XXII: 11, [7°] „Si sacerdos emerit animam *emptione argenti*, et *natus domus ejus*, hi comedent de pane ejus:" inde constare potest, quid significatur per *Redemptos Jehovae* in Verbo, quod nempe illi qui receperunt bonum et verum, ita quibus appropriata sunt illa quae sunt Domini.

5375. Ad Josephum, quod significet ubi coeleste spiritualis, constat a repraesentatione Josephi, quod sit coeleste spiritualis, de qua saepe prius; Coeleste spiritualis est bonum Veri a Divino.

5376. Quia invaluit fames in omni terra, quod significet quod ubivis praeter ibi desolatio in naturali, constat a significatione famis, quod sit desolatio, de qua prius; et a significatione terrae, quod sit naturale, de qua etiam prius; quod ubivis praeter ibi, nempe in scientificis ubi coeleste spiritualis, sequitur ab illis quae praecedunt. Quomodo se habet cum desolatione naturalis, seu cum privatione veri ibi, prius dictum est; at quia de illa re in sequentibus adhuc agitur, iterum dicendum est: homo qui intra Ecclesiam natus est, a prima pueritia discit ex Verbo, et ex doctrinalibus Ecclesiae, quid verum fidei, etiam quid bonum charitatis; sed cum adolescit aetate, incipit ille vera fidei, quae didicerat, vel apud se confirmare, vel apud se negare, proprio enim visu tunc illa intuetur, per quod facit ut vera illa vel sibi adproprientur, vel rejiciantur; nihil enim appropriari alicui potest, quod non ex propria intuitione agnoscitur, hoc est, quod quis ex se, non ex alio, scit quod ita sit: vera itaque, quae a pueritia hauserat, non penitius in vitam ejus intrare potuerunt, quam ad primum introitum, a quo admitti interius possunt, vel

quoque projici foras: apud illos qui regenerantur, hoc est, quos Dominus praevidet quod regenerari se patiantur, vera illa valde multiplicantur, nam sunt in affectione sciendi vera, at cum propius accedunt ad ipsum actum regenerationis, quasi deprivantur illis veris, nam introrsum trahuntur, et tunc apparet homo in desolatione, at usque vera illa successive remittuntur in naturale, et ibi conjunguntur bono, cum regeneratur homo: sed apud illos qui non regenerantur, hoc est, quos Dominus praevidet quod regenerari se non patiantur, vera quidem multiplicari solent, nam sunt in affectione sciendi talia propter famam, honorem et lucrum, at cum procedunt aetate, ac vera illa proprio visui submittunt, tunc illa vel non credunt, vel negant, vel in falsa vertunt, ita vera apud hos non interius trahuntur, sed foras projiciuntur, at usque remanent in memoria ob fines in mundo, absque vita; hic status etiam in Verbo dicitur desolatio seu vastatio, sed differt a priori quod desolatio prioris status sit apparens, at desolatio hujus status sit absoluta; in priori enim statu homo non privatur veris, at in hoc statu prorsus illis privatur: de desolatione prioris status in sensu interno actum est in hoc Capite, et agitur adhuc in sequente, et est quae significatur per famem septem annorum; de eadem hac desolatione agitur pluries alibi in Verbo, ut apud Esaiam „Excitare, excitare Hierosolyma, quae *bibisti e manu Jehovae calicem irae Ipsius;* duo obvenerunt tibi, quis condolet tibi, *vastitas* et *confractio*, *fames* et *gladius*, quis ut consoler te, filii tui defecerunt, jacuerunt in capite omnium platearum; propterea audi, age hoc afflicta et ebria sed non a vino; ecce sumsi e manu tua *calicem trepidationis*, *feces calicis excandescentiae* meae, non addes bibere eum amplius, sed ponam illum in manu contristantium te" LI: 17 ad f: describitur hic status desolationis, in quo homo Ecclesiae qui fit Ecclesia, seu qui regeneratur, desolatio illa vocatur vastitas, confractio, fames, gladius, tum calix irae et excandescentiae Jehovae, calix trepidationis; vera quibus tunc privatur, sunt filii qui deficiunt et jacent in capite omnium platearum, quod filii sint vera, videatur n: 489. 491. 533. 1147. 2623. 2803. 2813. 3373, plateae quod sint ubi vera, n: 2336, inde jacere in capite omnium platearum est quod vera appareant dispersa; quod desolatio apparens sit, et

per illam, sicut per tentationes, regeneratio, patet, nam dicitur quod non amplius bibet, sed quod ponet calicem in manu contristantium illum. Apud Ezechielem „Sic dixit Dominus Jehovih, propterea quod *devastant* et *absorbent* vos a circuitu, ut sitis vos haereditas reliquiis gentium, ideo Montes Israëlis, audite verbum Domini Jehovih; sic dixit Dominus Jehovih montibus et collibus, rivis et vallibus, et *vastitatibus desolatis*, et *urbibus desertis*, quae factae sunt in praedam, et in subsannationem reliquiis gentium quae in circuitu; Ego in zelo meo, et in excandescentia mea loquutus sum, propter ignominiam gentium, tulistis, si non gentes quae vobis a circuitu hae ignominiam suam portabunt; vos autem montes Israëlis, dabitis ramum vestrum, et fructum vestrum feretis populo meo Israëli; nam ecce Ego apud vos, et respiciam ad vos, ut excolamini et conseramini; tum multiplicabo super vobis hominem universam domum Israëlis, et *habitabuntur urbes*, et *vastitates aedificabuntur;* habitare faciam vos juxta antiquitates vestras, et bonum faciam prae initiis vestris" XXXVI: [3.] 4 ad 12; hic quoque agitur de desolatione quae praecedit regenerationem, desolatio significatur per vastitates desolatas et urbes desertas, quae factae in praedam et in subsannationem, at regeneratio per dare ramum, et ferre fructum, respicere ad illos ut excolantur et conserantur, ut multiplicetur homo, habitentur urbes, et aedificentur vastitates, perque habitare facere juxta antiquitates, et bonum facere prae initiis: qualiter se habet cum desolatione, ex illis qui in desolatione sunt in altera vita, patet; qui in desolatione sunt ibi, a malis spiritibus et geniis vexantur, infundunt enim hi persuasiones mali et falsi, usque paene ut inundentur, inde vera non apparent, at sicut tempus desolationis finitur, ita illustrantur a luce e coelo, ac ita mali spiritus et genii abiguntur, quisque in infernum suum, ubi luunt poenas; haec sunt quae significantur per quod urbes factae in praedam et in subsannationem reliquiis gentium quae in circuitu, et quod gentes quae a circuitu ignominiam suam portabunt, et supra apud Esaiam per quod calix ponetur in manu contristantium, et quoque alibi apud Esaiam, quod vastans vastabitur, Cap: XXXIII: 1, et apud Jeremiam, visitabo super vastatores, et ponam eos in desolationes saeculi, Cap: XXV: 12. Apud Esaiam „Festi-

nabunt filios tuos *destructores tui*, et *vastatores tui* a te abibunt; tolle circum circa oculos tuos, et vide, omnes congregantur, veniunt tibi, nam quod ad *vastationes tuas*, et *terram destructionis tuae*, angustior eris quam [71] pro habitatore, *procul aberunt absorptores tui*" XLIX: 17. 18. 19, ibi etiam et in toto illo Capite agitur de desolatione eorum qui regenerantur, deque regeneratione et fructificatione post desolationem, et tandem de punitione illorum qui oppresserunt Vers: 26 ibi. Apud Eundem „*Vae vastanti* cum [non] vastatus, quando *absolveris vastare, vastaberis*" XXXIII: 1, ibi quod puniantur qui vastant ut supra. Apud Eundem „Commorentur in te *expulsi mei;* Moabe; esto latibulum illis *coram Vastatore*, nam cessavit *oppressor*, finita est *vastatio*" XVI: 14. [72] Apud Eundem „Propinquus est dies Jehovae, sicut *vastatio* a Schaddai veniet" XIII: 6; vastatio a Schaddai pro vastatione in tentationibus, quod Deus quoad tentationes Antiquis dictus sit Schaddai, videatur n: 1992. 3667. 4572. Apud Eundem „Tunc non sitient, *in vastitatibus* ducet eos, aquas e petra effluere faciet illis, et findet petram ut effluant aquae" XLVIII: 21, de statu post desolationem. Apud Eundem „Consolabitur Jehovah Zionem, consolabitur *omnes vastitates ejus*, adeo ut ponat *desertum ejus* sicut Eden, et *solitudinem ejus* sicut hortum Jehovae; laetitia et gaudium invenietur in ea, confessio et vox cantus" LI: 3, similiter, nam ut supra dictum, desolatio est propter finem ut homo regeneretur, [73] hoc est, ut separatis malis et falsis conjungantur vera bonis, et bona veris, homo regeneratus quoad bonum est qui comparatur Edeni, et quoad vera horto Jehovae. Apud Davidem „Jehovah fecit ascendere me *e fovea devastationis*, e coeno luti, et constituit super petra pedes meos" Psalm: XL: 3. Vastatio ac desolatio hominis Ecclesiae seu Ecclesiae apud hominem, repraesentata fuit per captivitatem populi Judaici in Babele, et Ecclesiae exsuscitatio per reditionem ex captivitate illa, de qua apud Jeremiam passim, cumprimis Capite XXXII: 37 ad f: desolatio enim est captivitas, tunc enim tenetur homo quasi vinctus, quapropter etiam per vinctos, in carcere, in fovea, significantur illi qui in desolatione sunt, videatur n: 4728. 4744. 5037. 5038. 5085. 5096. De statu desolationis et vastationis apud il-

los qui non regenerantur, etiam passim agitur in Verbo; in hoc statu sunt, qui vera prorsus negant, vel in falsa vertunt; hic status est Ecclesiae circa finem, cum amplius non fides nec charitas; apud Esaiam „Notum faciam vobis id quod Ego facturus Vineae meae, removendo sepem ejus ut sit ad depascendum, perrumpendo maceriem ejus, ut sit in conculcationem, *ponam deinde in desolationem*, non putabitur, nec sarrietur, ut ascendat vepris et virgultum, imo nubibus praecipiam, ut non faciant pluere super illam pluviam" V: 5. 6. 7. Apud Eundem „Dic populo huic, audite audiendo, sed non intelligite, et videte videndo, sed non cognoscite; impingua cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus obline, ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et cor ejus intelligat, et convertatur, ut sanetur sibi; tum dixi, quousque Domine, Qui dixit, *usque dum devastabuntur urbes*, ut sint sine habitatore, et domus, ut non sit in iis [homo], *et terra redigatur in solitudinem*, removebit hominem; et multiplicabitur *deserta* in medio terrae, vix amplius in ea pars decima, et tamen erit ad exterminandum" VI: 9 ad f. Apud Eundem „Reliquiae revertentur, reliquiae Jacobi ad Deum potentem, nam *consummatio definita*, inundata justitia, nam *consummationem* et *definitionem* Dominus Jehovih Zebaoth faciens in tota terra" X: 21. 22. 23. Apud Eundem „Jehovah *evacuans* terram, et *exinaniens* illam, et evertet facies ejus; *evacuando evacuabitur* terra, lugebit, confundetur terra habitabilis, languescet et confundetur orbis, *maledictio* comedet terram, lugebit mustum, languescet vitis, reliquum in urbe *vastitas*, usque *ad devastationem* contundetur porta, confringendo confracta est terra, disrumpendo disrupta [74] est terra, commovendo commota est terra, titubando titubat terra sicut ebrius" XXIV: 1 ad f. Apud Eundem „*Devastatae* sunt semitae, cessavit transiens viam, luget, languescit terra; erubuit Libanus, emarcuit, factus est Scharon sicut desertum" XXXIII: 8. 9. Apud Eundem „*Desolabo* et absorbebo simul, *vastabo* montes et colles, et omnem herbam eorum arefaciam" XLII: 14. 15. Apud Jeremiam „Devotioni dabo omnes gentes circumcirca, et *ponam eas in desolationem*, et in derisionem, et *in vastitates saeculi*, et abrogabo ex illis vocem gaudii, et vocem laetitiae, vocem sponsi et vocem spon-

sae, vocem molarum et lucem lucernae, ut sit tota terra *in desolationem* et *devastationem:* fiet cum impleti fuerint septuaginta anni, visitabo super regem Babelis, et super gentem hanc iniquitatem eorum, et super terram Chaldaeorum, et ponam eum *in desolationes saeculi*" XXV: 9. 10. 11. 12 seq: Apud Eundem „*In desolationem*, in opprobrium, *in vastationem*, et in *maledictionem*, futura est Bozra, et omnes urbes ejus futurae *in vastitates saeculi.* Erit Edomus *in desolationem*, omnis qui transibit praeter eam, obstupescet, et sibilabit super omnibus plagis ejus" XLIX: 13 ad 18. Apud Ezechielem „Sic dixit Dominus habitatoribus Hierosolymae super terra Israëlis, panem suum cum sollicitudine comedent, et aquas suas cum stupore bibent, *ut devastetur terra ejus a plenitudine sua*, propter violentiam omnium habitatorum in illa, *urbes habitatae devastabuntur*, et terra *desolabitur*" XII: 19. 20. Apud Eundem „Cum dedero te *urbem desolatam*, sicut urbes quae non habitantur, cum ascendere fecero contra te abyssum, obtexerint te aquae multae, et fecero descendere te cum descendentibus foveam, ad populum saeculi, et habitare fecero te in terra inferiorum, *in desolationem* ab aeterno cum descendentibus foveam" XXVI: 18 ad 22, ubi de Tyro. Apud Joëlem „Dies tenebrarum et caliginis, dies nubis et obscuritatis, ante eum comedit ignis, et post eum inflammat flamma, sicut hortus Eden terra ante eum, sed post eum *desertum vastitatis*" II: 2. 3. Apud Zephaniam „Propinquus est dies Jehovae, dies excandescentiae dies hic, dies angustiae et coarctationis, [75] *dies vastitatis* et *devastationis*, dies tenebrarum et caliginis, dies nubis et obnubilationis, igne Zeli Jehovae comedetur tota terra, quia *consummationem* et quidem festinatam faciam cum omnibus habitatoribus terrae" I: 15 ad f. Apud Matthaeum „Cum videritis *abominationem desolationis* praedictam a Daniele Propheta, stantem in loco sancto, tunc qui in Judaea fugiant in montes" XXIV: 15. [76] Marc: XIII: 14. Dan: IX: 27. Cap: XII: 10. 11. 12. Ex his constat, quod desolatio sit privatio veri apparens apud illos qui regenerantur, at absoluta apud illos qui non regenerantur.

Continuatio de Correspondentia cum Maximo Homine, hic etiam de Correspondentia Viscerum interiorum cum illo.

5377. *Actum est ad finem praecedentis Capitis de Correspondentia Viscerum quorundam interiorum Corporis cum Maximo Homine, nempe Hepatis, Pancreatis, Ventriculi, et quorundam aliorum; hic autem continuabitur de Correspondentia Peritonaei, Renum, Ureterum, Vesicae, tum Intestinorum cum illo; quicquid enim in homine est, tam quod in externo homine, quam quod in interno, correspondentiam habet cum Maximo Homine; absque Correspondentia cum illo, hoc est, cum coelo, aut quod idem cum spirituali mundo, nihil usquam existit ac subsistit, ex causa quia non aliquem nexum habet cum priori se, consequenter nec cum Primo, hoc est, cum Domino; quod inconnexum est, et sic independens, ne quidem uno momento subsistere potest, quod enim subsistat, est a nexu et dependentia ab illo a quo omne existentiae, nam subsistentia est perpetua existentia. Inde est, quod non solum omnia et singula apud hominem correspondeant, sed etiam omnia et singula in universo; ipse sol correspondet, et quoque luna, nam in coelo est Dominus Sol et quoque Luna; Solis flamma et calor, ut et lux, correspondent, est enim amor Domini erga universum genus humanum cui flamma et calor, et Divinum verum cui lux, correspondet; ipsa sidera correspondent, sunt societates coeli et habitacula eorum, cum quibus siderum est correspondentia, non quod ibi sint, sed quod in tali ordine; quicquid apparet sub sole, correspondet, sicut omnia et singula subjecta in regno animali, et quoque omnia et singula subjecta in regno vegetabili, in quae omnia et singula nisi influxus foret ex spirituali mundo, momento occumberent et collaberentur; quod etiam ab experientia multa mihi scire datum est, nam ostensum cum quibus in spirituali mundo corresponderent plura quae in regno animali, et adhuc plura quae in regno vegetabili, et quoque quod absque influxu nullatenus subsistant, nam demto priori necessario cadit posterius, similiter separato priori a posteriori. Quia correspondentia est*

cumprimis hominis cum coelo, et per coelum cum Domino, inde est quod qualiter correspondet homo, taliter appareat in altera vita in luce coeli, inde Angeli in candore et pulchritudine ineffabili, infernales autem in nigrore et deformitate inexpressibili.

5378. *Spiritus quidam ad me venerunt, at erant taciti, postea tamen loquuti sunt, sed non ut plures, verum omnes ut unus; appercepi ex sermone eorum quod tales essent, ut omnia scire vellent, et omnia cuperent explicare, ac ita se confirmare quod ita sit; modesti erant, et dicebant quod nihil agant ex se sed ab aliis, tametsi appareat quod sit ex iis: infestabantur tunc ab aliis, dicebatur quod ab illis qui Renum, Ureterum, et Vesicae provinciam constituunt, sed modeste illis respondebant, at usque illi hos infestabant et lacessebant, talis enim natura est Renalibus; quapropter quia nihil per modestiam potuerunt adversus illos obtinere, ad tale, quod indoli eorum conforme erat, confugiebant, nempe ad amplificandum se, et sic ad terrificandum; inde visi magni fieri, sed modo sicut unus, qui ita tumescebat corpore, ut sicut Atlas videretur attingere coelum, hasta apparebat in manu, at usque praeter quod terrificaret nihil damni inferre volebat; inde Renales aufugiebant, apparebat tunc quidam qui fugientes insequutus, et alius qui inter pedes magni istius ab anteriori pervolabat; et quoque magnus ille visus habere calceamenta lignea, quae projecit versus Renales. Dicebatur mihi ab Angelis, quod spiritus illi modesti, qui se magnifaciebant, essent qui* PERITONAEUM *referunt; est Peritonaeum membrana communis, quae circumcingit, et includit viscera omnia Abdominis, sicut Pleura Viscera omnia thoracis; et quia illa tam extensa est, et respective magna, et quoque tumescibilis, ideo licet illis, cum ab aliis infestantur, ita magnum ad apparentiam se sistere, et simul tunc terrorem incutere, cumprimis erga illos qui provinciam Renum, Ureterum, et Vesicae, constituunt; haec enim Viscera seu Vasa in duplicatura Peritonaei jacent, et ab eo coërcentur: per calceamenta lignea repraesentabantur infima naturalia, qualia sunt quae renes, ureteres et vesica absorbent et deferunt, quod calcei sint infima naturalia, videatur n:* 259. 4938 *ad* 4952; *quod dicerent se nihil ex se agere sed ab*

aliis, in hoc quoque referebant peritonaeum, quod etiam tale est.

5379. *Repraesentative quoque ostensum est, quomodo se habet, quando illi qui Intestinum Colon constituunt, illos, qui in peritonaei provincia sunt, infestant; qui Intestinum Colon constituunt, sunt tumidi, sicut colon suo vento, cum hi insultare illos vellent, apparebat sicut paries objici; cumque evertere parietem conarentur, semper novus paries exsurgebat; ita ab illis arcebantur.*

5380. *Notum est quod Secretiones et Excretiones sint, et illae in serie, a Renibus usque in Vesicam, in primo seriei sunt Renes, in medio ejus Ureteres, et in ultimo Vesica; Illi qui in Maximo homine provincias illas constituunt, similiter sunt in serie, et tametsi unius generis sunt, usque sicut species illius generis differunt: loquuntur voce rauca sicut bifida, et inferre se cupiunt in corpus, verum est modo conatus; situs eorum respective ad humanum corpus est talis, qui Renes referunt a latere sinistro proxime ad corpus sunt sub ulna, qui Ureteres, sunt versus sinistrum abinde a corpore longius, qui vesicam adhuc longius, formant simul a latere sinistro versus anteriora paene parabolam, nam sic se projiciunt versus anteriora a sinistris, ita satis longo tractu: haec via communis una est versus inferna, altera est per Intestina, nam terminatur utrobivis in infernis; correspondent enim illi qui in infernis talibus quae excernuntur per intestina et per vesicam; falsa enim et mala, in quibus sunt, non sunt nisi quam lotium et excrementa in sensu spirituali.*

5381. *Qui provinciam Renum, Ureterum et Vesicae in Maximo Homine constituunt, sunt tali genio, ut nihil potius velint, quam explorare et scrutari quales alii sunt, et sunt quoque qui cupiunt castigare et punire, modo aliquid justitiae in causa sit. Munia etiam Renum, Ureterum, et vesicae talia sunt, nam sanguinem in se projectum* [77] *explorant, si quid seri inutilis et damnosi ibi sit, et quoque separant ab utili, et dein castigant, nam versus inferiora detrudunt, et in via et dein variis modis vexant; haec munia sunt illorum, qui provinciam illarum partium constituunt. At spiritus et spirituum societates, quibus ipsa urina, imprimis urina foetida, correspon-*

det, sunt infernales; ut primum enim urina separata est a sanguine, tametsi est in tubulis renum, aut intus in Vesica, usque est extra corpus, nam quod separatum est non magis aliquem circulum in corpore facit, proinde non ad ejus partium existentiam et subsistentiam aliquid contribuit.

5382. *Quod qui Renum et Ureterum provinciam constituunt, praesto sint ad explorandum seu scrutandum, quales alii sunt, quid cogitant, et quid volunt, et quod in cupiditate sint inveniendi causas, et reos alicujus culpae faciendi, ob finem imprimis ut castigare queant, multoties expertus sum, ac de cupiditate illa et fine illo cum illis loquutus: plures illius generis, in mundo, cum ibi vixerunt, fuerant judices, et tunc gavisi ex corde cum invenerint causam, quam crediderant justam, mulctandi, castigandi, puniendique. Operatio talium appercipitur in regione ad tergum, ubi renes, ureteres, et Vesica. Qui ad Vesicam pertinent, se extendunt versus gehennam, ubi etiam aliqui eorum sedent quasi judicium.*

5383. *Modi, quibus explorant aut scrutantur aliorum animos, sunt perplures; sed licet solum hunc afferre; adducunt alios spiritus ad loquendum, quod fit in altera vita per influxum, qui non describi ad captum potest; si tunc facilis est sequela loquelae inductae, inde judicant quod tales sint; inducunt etiam statum affectionis; at qui ita explorant, sunt inter crassiores; alii vero aliter; sunt qui illico dum adveniunt, appercipiunt alterius cogitata, desideria, et acta, tum quid ei dolori est quod egerat; hoc arripiunt, et si causam autumant justam, quoque damnant. Mirabile est in altera vita, quod vix aliquis in mundo credere potest, utprimum aliquis spiritus ad alterum venit, et magis cum ad hominem, quod illico noverit ejus cogitationes et ejus affectiones, et quid tunc egerat, ita omnem ejus statum praesentem, prorsus sicut diu apud illum fuisset, talis communicatio est; sed apperceptionum illarum sunt differentiae, sunt qui percipiunt interiora, et sunt qui solum percipiunt exteriora, hi si in cupiditate sciendi sint, explorant interiora aliorum variis modis.*

5384. *Modi, quibus illi qui Renum, Ureterum, et vesicae provinciam in Maximo Homine constituunt, castigant, sunt quoque varii, utplurimum amovent jucunda et laeta, ac indu-*

cunt injucunda et tristia; per hanc cupiditatem communicant spiritus illi cum infernis, at per justitiam causae, quam inquirunt antequam castigant, communicant cum coelo; quapropter tenentur in illa provincia.

5385. Ex his constare potest, quid significat, quod in Verbo dicatur, quod Jehovah probet et scrutetur Renes et Cor, tum quod Renes castigent, ut apud Jeremiam „Jehovah probans renes et cor" XI: 20: apud Eundem „Jehovah probans justum, videns renes et cor" XX: 12: apud Davidem „Probas corda et renes Deus justus" Psalm: VII: 10: apud Eundem „Jehovah explora renes meos et cor meum" Ps: XXVI: 2: apud Eundem „Jehovah Tu possides renes meos" Psalm: CXXXIX: 13: apud Johannem „Ego sum Qui scrutatus renes et cor" Apoc: II: 23; per renes ibi significantur spiritualia, et per cor coelestia, hoc est, per renes significantur illa quae sunt veri, et per cor illa quae sunt boni; causa est, quia renes purificant serum, et cor ipsum sanguinem, inde significatur per probare, explorare et scrutari renes, probare, explorare et scrutari quantum et quale veri, seu quantum et quale fidei est apud hominem: quod id significetur, etiam patet apud Jeremiam „Jehovah propinquus Tu in ore eorum, sed longinquus a renibus eorum" XII: 2, et apud Davidem „Jehovah ecce veritatem desideras in renibus" Ps: LI: 8: quod etiam castigatio tribuatur renibus, etiam liquet apud Davidem „Noctibus castigant me renes mei" Psalm: XVI: 7.

5386. Sunt etiam alibi in corpore Secretoria et Excretoria, in Cerebro sunt ventriculi et processus mammillares, qui abducunt pituitosa ibi; et praeterea glandulae ubivis, mucosae et salivales in Capite, et perplures in corpore, ac myriades juxta cuticulas, per quas sudores et obsoleta subtiliora excernuntur: illis correspondent in mundo spirituali in genere tenacitates opinionum, tum quoque conscientiosa in rebus non necessariis: apparent aliqui eorum supra caput, ad mediam distantiam, qui tales sunt, ut scrupulos moveant in rebus, in quibus nihil scrupuli esse debet; inde quia gravant conscientias simplicium, vocantur Conscientiosi; quid vera conscientia non sciunt, nam in omni quod obvenit ponunt Conscientiam; posito enim aliquo scrupulo aut dubio, si anxia mens sit et inhaeret, nusquam

desunt confirmantia et sic gravantia: tales cum adsunt, etiam inducunt anxietatem sensibilem parti abdominis proxime sub diaphragmate; adsunt quoque in tentationibus apud hominem: loquutus sum cum illis, et appercepi quod illis non sit aliqua cogitationum extensio, ut acquiescant in utilioribus et necessariis, nam non potuerunt ad rationes attendere, quia tenaciter permanebant in sua opinione.

5387. *Qui autem ipsi Urinae correspondent, sunt infernales, nam urina, ut supra dictum, est extra corpus, quia separata jamdum a sanguine, ac in se non nisi quam serum immundum et obsoletum, quod dejectum; de illis sequentia licet referre: quidam spiritus perceptus primum sicut intus in corpore, sed mox infra [78] ad dextrum, ubi cum sistebatur, erat inconspicuus, potuit se arte inconspicuum facere; cum interrogabatur, nihil quicquam tunc respondebat; dicebatur ab aliis quod piratica exercuerit in vita corporis, appercipitur enim manifeste in altera vita a sphaera vitae affectionum et cogitationum, quis et qualis fuerat, quia cujusvis vita manet: is variabat locum, nunc apparendo ad dextrum nunc ad sinistrum; percepi quod id faceret ex timore ne sciretur quis esset, et ne cogeretur aliquid fateri; dicebatur ab aliis spiritibus, quod tales ad minimum periculi timidissimi sint, et cum nihil periculi animosissimi; et quod tales in opposito sint ad illos quibus ejectio urinae correspondet, damnum ei inferre quocunque modo student; et ne dubitarem, per experientiam id ostensum erat, cum illi qui urinae ejectioni correspondebant, se paulo retraherent, et ille pirata adesset, sistebatur prorsus urinae emissio, et quoque revolvebatur cum discrimine, at cum revocabantur, urinae emissio secundum praesentiam intendebatur: quod is pirata fuerit, postea fassus est, dicens quod se dextre occultare potuerit, ac versute et industrie fallere insequentes, et quod nunc amet foeda urinosa multum prae aquis limpidis, et quod nidor urinae foetidus sit quo maxime delectatur, adeo ut in stagnis, imo in cadis urinae foetidae, velit domicilium habere. Ostensum quoque quali facie erat, non erat ei facies, sed aliquid nigre barbatum loco faciei. Postea etiam alii piratae, non ita industrii, arcessebantur, illi quoque parum loquebantur, et quod mirum frendebant dentibus; dicebant etiam illi, quod uri-*

nas prae omnibus liquidis ament, et faeculentas prae aliis; sed his non pro facie erat barbatum quid ut priori, sed dira quaedam dentium crates; barba enim et dentes significant infima naturalia; quod absque facie significat quod nihil vitae rationalis; nam quod non aliqua facies appareat, est signum, quod nulla correspondentia sit interiorum cum Maximo Homine, quisque enim apparet in luce coeli in altera vita secundum correspondentiam, inde infernales in horrenda deformitate.

5388. *Quidam spiritus apud me fuit, mecum loquutus, qui in vita corporis nullam fidem habuerat, nec vitam aliquam post mortem crediderat, fuit etiam inter industrios unus; captare potuerat animos loquendo ad favorem, et assentiendo, quapropter quod talis fuerit, non patuit primum ex sermone ejus, potuit etiam loqui volubiliter, fluvii instar, sicut bonus spiritus; at inde noscebatur primum, quod non amaret loqui de illis quae sunt fidei et charitatis, tunc enim non potuit sequi cogitatione, sed se retraxit, et deinde perceptum ex singulis, quod assentator fuerit fallendi causa: differunt enim assentationes secundum fines, si enim finis sit amicitia, aut voluptas conversationis, aliave similis, et quoque lucrum licitum, non est ita male, at si finis sit arcana eliciendi, et sic devinciendi alterum ad officia mala, in genere si finis nocendi, tunc male; talis finis fuerat huic; hic spiritus etiam in opposito erat contra illos, qui in provincia renum et ureterum; dicebat etiam ille, quod amaret nidorem urinae prae omnibus odoribus; injecit etiam contractionem seu angustiam dolorificam in regionem inferiorem ventris.*

5389. *Sunt cohortes spirituum, qui circumvagantur, et per vices ad eadem loca redeunt, illos mali spiritus multum timent, nam certo torturae genere eos cruciant, dictum quod illi correspondeant fundo seu superiori parti vesicae in communi, ac ligamentis muscularibus inde concentrantibus se versus sphincterem, ubi per contorsionis modum extruditur urina: spiritus illi se applicant tergali parti, ubi cauda equina; modus operandi illorum fit per reciprocationes citas, quas nemo potest inhibere, est modus constrictorius et restrictorius directus versus superiora, et acuminatus in forma coni; mali spi-*

ritus qui conjiciuntur intra conum illum, imprimis a superiori, per distorsiones reciprocas miserabiliter cruciantur.

5390. *Excretionibus immundis correspondent etiam alii spiritus, nempe tales qui in mundo vindictae tenaces fuerunt, apparuerunt hi mihi antrorsum versus sinistrum; excretionibus illis immundis etiam correspondent, qui spiritualia ad terrestria immunda deducunt: adveniebant etiam tales, et secum ferebant cogitationes spurcas, ex quibus etiam spurca loquebantur, tum quoque quae munda fuerunt ad immunda flectebant, et in talia vertebant; ejus generis plures fuerunt ex infima plebe, etiam ex aliis qui in mundo inter digniores, hi quidem in vita corporis non ita loquuti sunt in consortiis, sed usque ita cogitarunt, inhibuerunt enim se loqui sicut cogitarunt, ne sic in infamiam venirent, et perderent amicitias, lucra et honores, at usque inter similes sui, cum in libero, loquela fuerat, qualis infimae plebis, et adhuc foedior, quia facultate quadam intellectuali praediti sunt, qua abusi ad conspurcandum etiam sancta Verbi et doctrinae.*

5391. *Sunt quoque Renes, qui* RENES SUCCENTURIATI, *et quoque* capsulae renales *vocantur; illorum munus est non ita secernere serum, sed ipsum sanguinem, et puriorem per brevem circulum transmittere versus cor; ita quoque praecavere, ne vasa spermatica, quae vicina sunt, omnem sanguinem puriorem auferant; sed praecipuam operam praestant in embryonibus, et quoque in infantibus recens natis. Sunt castae virgines quae illam provinciam in Maximo Homine constituunt, ad anxietates faciles, et timidae ne turbentur, jacent quietae a sinistra lateris parte inferius; si quid de coelo cogitatur, et si quid de status earum mutatione, anxiae fiunt et suspirant, quod aliquoties manifeste sentire datum; cum cogitationes meae ducebantur ad infantes, tunc illae sentiebant insigne solatium et gaudium internum, quod etiam aperte fassae sunt; cum quoque cogitabatur aliquid in quo non coeleste, etiam angebantur; anxietas earum inde praecipue venit, quod illa indole sint, ut cogitationes inhaerenter in una re teneant, nec varietate discutiant anxia; quod ad provinciam illam pertineant, est quia sic quoque detinent animum alterius constanter in cogitationibus certis, inde exsurgunt et manifestant se talia,*

quae in serie cohaerent, quae abstrahenda, seu a quibus purificandus homo; sic etiam patent interiora melius angelis, nam amotis talibus quae obscurant et avertunt, fit intuitio clarior et influxus.

5392. *Quinam sunt qui* Intestinorum *provinciam in Maximo Homine constituunt, constare aliquatenus potest ab illis qui Ventriculum referunt, nam Intestina continuantur Ventriculo, et munia Ventriculi ibi crescunt et exacerbantur, usque ad Intestina ultima, quae sunt Colon et Rectum; quapropter qui in his sunt, prope sunt ad Inferna quae excrementitia vocantur. In regione Ventriculi et Intestinorum sunt illi qui in inferiorum terra; qui quia secum e mundo traxerunt immunda, quae inhaerent cogitationibus et affectionibus eorum, eapropter tenentur ibi ad aliquod tempus, usque dum talia abstersa sunt, hoc est, ad latus conjecta; his itaque ad latus conjectis, ad coelum elevari possunt. Qui ibi sunt, nondum sunt in Maximo Homine; sunt enim sicut Alimenta in Ventriculum demissa, quae non nisi quam cum defaecata sunt, in sanguinem, ita in corpus intromittuntur; qui terrestrioribus faecibus inquinati sunt, illi sunt sub illis in regione Intestinorum, at ipsa excrementa quae exonerantur correspondent Infernis, quae inferna excrementitia vocantur.*

5393. *Notum est, quod Intestinum Colon se late extendat, ita quoque qui in provincia illa; se extendunt antrorsum, sinistrum versus in linea curva, pergendo ad infernum: in inferno illo sunt, qui nulla misericordia praediti fuerunt, et absque conscientia genus humanum perdere voluerunt, nempe interficere et spoliare absque respectu et delectu, sive resistant sive non resistant, sive viri sint sive foeminae; tali feroci animo est multa pars militum et eorum praefectorum, qui non in pugnis sed post pugnas cum ferocitate contra victos et inermes grassantur, et cum furore occidunt et spoliant: cum angelis de talibus loquutus sum, quales sunt homines sibi relicti, et cum absque lege et ex libero permittitur illis agere, quod multo feriores sint feris pessimis, quae non ita ad internecionem speciei suae ruunt, modo quod se defendant, et se satient illis quae ad victum illis dicata sunt, at cum satiati non talia faciunt; aliter homo qui ex crudelitate et feritate; Angeli hor-*

ruerunt, quod genus humanum tale sit; tunc primum gaudent ex corde, et superbiunt animo, cum strata agmina et rivos sanguinis vident per totum campum, absque gaudio quod patria liberata sit, modo quod illi audiant magni et heroës; et tamen se Christianos vocant, et usque credunt se venturos in coelum, ubi tamen non nisi quam pax, misericordia, charitas; tales in inferno coli et recti sunt. At vero illi, quibus aliquid humani inerat, apparent versus sinistrum antrorsum in linea curva, intra quendam parietem; at usque illis multum amoris sui inest. In quibus respectus inest pro bono, hoc repraesentatur quandoque per stellulas paene igneas, non candidas. Apparuit mihi paries quasi gypseus cum sculpturis, prope ad sinistram ulnam, qui paries extensior factus et simul altior, colore superius vergente ad caeruleum; dictum quod repraesentativum esset quorundam ex illo genere, qui meliores fuerunt.

5394. *Qui crudeles et adulteri fuerunt, in altera vita nihil plus amant quam sordes et excrementa, foetores ex talibus sunt illis suavissimi et jucundissimi, ac illos praeferunt omnibus jucundis, causa est quia correspondent: inferna illa sunt partim sub natibus, partim sub pede dextro, et partim antrorsum profunde; illa sunt in quae ducit via per Intestinum Rectum. Quidam illuc translatus, et inde mecum loquutus, dicebat, quod ibi solum latrinae appareant; loquebantur cum illo qui ibi, et ducebant ad varias latrinas, quae ibi perplures: postea ducebatur ad alium locum paulo ad sinistrum, et cum ibi esset, dicebat, quod nidor teterrimus ex cavernis ibi exhalaret; et quod non movere pedem posset, quin paene in aliquam cavernam decidat; ex cavernis etiam foetor cadaverosus exhalatus est, causa erat, quia crudeles et dolosi erant qui ibi, quibus cadaverosus foetor est jucundissimus. Sed de his in sequentibus agendum, ubi de infernis, et in specie de infernis excrementitiis et cadaverosis.*

5395. *Sunt qui vivunt non propter aliquem usum patriae, nec societatum ibi, sed propter vivere sibi, nihil jucundi habentes in officiis, sed solum in honorari et coli, propter quem finem etiam officia ambiunt, et praeterea in edere, bibere, ludere, conversari, ob nullum alium quam voluptatis finem; illi in altera vita nullatenus interesse possunt consortiis bonorum*

spirituum, minus angelorum, apud hos enim usus facit jucundum, et secundum usus quoque est eis quantum et quale jucundi; Regnum enim Domini non est nisi quam regnum usuum; cum in regno terrestri quisque aestimatur et honoratur secundum usum, quid non in Regno coelesti. Illi qui vixerunt solum sibi et voluptati, absque fine alius usus, etiam sub natibus sunt, et secundum voluptatum species, et fines, degunt in sordibus.

5396. *Appendicis loco licet referre: circum me erat turba spirituum multa, audita sicut quoddam inordinatum fluens; conquerebantur, dicendo, quod nunc pereat totum, nam in turba illa nihil apparebat consociatum, quod faciebat ut timerent interitum; putabant etiam esse totum, ut fit cum talia contingunt. Sed in medio eorum appercepi sonum mollem, angelicum dulcem, cui nihil nisi quam ordinatum inerat, angelici chori ibi erant intra, et turba spirituum cui inordinatum extra; hic fluvius angelicus perstabat diu; et dicebatur, quod per id repraesentaretur, quomodo Dominus regit inconcinna et inordinata quae extra sunt ex pacifico in medio, per quod inordinata in peripheriis in ordinem, quodlibet a suae naturae errore, rediguntur.*



GENESEOS

CAPUT QUADRAGESIMUM SECUNDUM.

1. Et vidit Jacob, quod esset annona in Aegypto, et dixit Jacob filiis suis, quare aspicitis vos.

2. Et dixit, ecce audivi quod sit annona in Aegypto, descendite illuc, et emite nobis inde, et vivamus, et non moriamur.

3. Et descenderunt fratres Josephi decem, ad emendum frumentum ex Aegypto.

4. Et Benjaminem fratrem Josephi, non misit Jacob cum fratribus ejus, quia dixit, forte obveniat illi damnum.

5. Et venerunt filii Israëlis ad emendum in medio venientium, quia fuit fames in terra Canaan.

6. Et Joseph is dominator super terram, et vendens omni populo terrae: et venerunt fratres Josephi, et incurvaverunt se ei facies ad terram.

7. Et vidit Joseph fratres suos, et agnovit illos, et gessit se alienum ad illos, et loquutus cum illis dura, et dixit ad illos, unde venistis, et dixerunt, e terra Canaan, ad emendum cibum.

8. Et agnovit Joseph fratres suos, et illi non agnoverunt eum.

9. Et recordatus Joseph somniorum, quae somniavit illis, et dixit ad illos, exploratores vos, ad videndum nuditatem terrae venistis.

10. Et dixerunt ad eum, non Domine mi, et servi tui veniunt ad emendum cibum.

11. Omnes nos filii viri unius nos, recti nos, non sunt servi tui exploratores.

12. Et dixit ad illos, non, quod nuditatem terrae venistis ad videndum.

13. Et dixerunt, duodecim servi tui fratres nos, filii viri unius in terra Canaan, et ecce minimus cum patre nostro hodie, et unus non est.

14. Et dixit ad illos Joseph, hoc, quod loquutus ad vos, dicendo, exploratores vos.

15. In hoc probabimini, vivat Pharao, si exibitis exhinc nisi in venire frater vester minimus huc.

16. Mittite e vobis unum, et accipiat fratrem vestrum, et vos vinciemini, et probabuntur verba vestra, an veritas cum vobis, et si non, vivat Pharao, quod exploratores vos.

17. Et conclusit illos ad custodiam tribus diebus.

18. Et dixit ad illos Joseph in die tertio, hoc facite, et vivetis, Deum ego timeo.

19. Si recti vos, frater vester unus vinciatur in domo custodiae vestrae, et vos ite, adducite annonam famis domorum vestrarum.

20. Et fratrem vestrum minimum adducatis ad me, et verificabuntur verba vestra, et non moriamini; et fecerunt ita.

21. Et dixerunt vir ad fratrem suum, profecto, rei sumus nos super fratrem nostrum, cujus vidimus angustiam animae in deprecando illo ad nos, et non audivimus, propterea venit ad nos angustia haec.

22. Et respondit Reuben illis, dicendo, nonne dixi ad vos dicendo, ne peccetis in natum, et non auscultavistis, et etiam sanguis ejus ecce inquiritur.

23. Et illi non sciverunt, quod audiens Joseph, quia interpres inter illos.

24. Et conversus a super illis, et flevit, et rediit ad illos, et loquutus ad illos, et accepit ex illis Schimeonem, et vincivit illum ad oculos illorum.

25. Et praecepit Joseph, et impleverunt vasa illorum frumento, et ad reducendum argentum illorum, cujuslibet in saccum illius, et ad dandum illis viaticum ad viam; et fecit illis ita.

26. Et sustulerunt annonam suam super asinos suos, et iverunt inde.

27. Et aperuit unus saccum suum, ad dandum pabulum

asino suo in diversorio, et vidit argentum suum, et ecce illud in ore manticae illius.

28. Et dixit ad fratres suos, reductum argentum meum, et etiam ecce in mantica mea, et exivit cor illorum, et intremuerunt, vir ad fratrem suum dicendo, quid hoc fecit Deus nobis.

29. Et venerunt ad Jacobum patrem suum, terram Canaan, et indicabant ei omnia obvenientia illis, dicendo.

30. Loquutus vir Dominus terrae cum nobis dura, et dedit nos sicut explorantes terram.

31. Et diximus ad eum, recti nos, non sumus exploratores.

32. Duodecim nos fratres filii patris nostri, unus non est, et minimus hodie cum patre nostro in terra Canaan.

33. Et dixit ad nos vir dominus terrae, in hoc sciam quod recti vos, fratrem vestrum unum manere facite mecum, et famem domorum vestrarum accipite, et ite.

34. Et adducite fratrem vestrum minimum ad me, et sciam quod non exploratores vos, quod recti vos; fratrem vestrum dabo vobis, et terram negotiando pervagabimini.

35. Et fuit, illi evacuantes saccos suos, et ecce cuivis colligatio argenti sui in sacco suo, et videbant colligationes argenti illorum, illi et pater illorum, et timuerunt.

36. Et dixit ad illos Jacob pater illorum, me orbavistis, Joseph non est, et Schimeon non est, et Benjaminem sumitis; super me erunt omnia haec.

37. Et dixit Reuben ad patrem suum, dicendo, duos filios meos mori facias, nisi adduxero illum ad te, da illum super manum meam, et ego reducam illum ad te.

38. Et dixit, non descendet filius meus vobiscum, quia frater illius mortuus, et ille solus is relictus, et obveniat illi damnum in via, qua ibitis in illa, et descendere facietis canitiem meam in maerore sepulchrum.

CONTENTA.

5396. In priori Capite ad finem actum est de influxu et conjunctione coelestis spiritualis cum scientificis in naturali; nunc agitur de influxu et conjunctione coelestis spiritualis cum veris fidei quae sunt Ecclesiae ibi.

5397. Agitur primum de conatu appropriandi haec vera per scientifica Ecclesiae, quae Aegyptus, et absque medio, quod Benjamin, cum Vero ex Divino quod Joseph, sed hoc incassum, quare remissa, et aliquod bonum veri naturalis gratis datum.

SENSUS INTERNUS.

5398. In hoc Capite et in illis quae sequuntur de filiis Jacobi et Josepho, in sensu interno agitur de regeneratione Naturalis quoad vera et bona Ecclesiae, quod nempe per scientifica non fiat, sed per influxum a Divino. Qui hodie ab Ecclesia sunt, tam parum aliquid de Regeneratione sciunt, ut vix aliquid; ne quidem hoc sciunt, quod Regeneratio perstet per totum cursum vitae illius qui regeneratur, et quod continuetur in altera vita; tum quod arcana Regenerationis sint tam innumerabilia, ut vix quoad unam myriadis partem sciri queant ab Angelis, et quod illa quae sciunt angeli, sint quae faciunt intelligentiam et sapientiam eorum: quod, qui hodie ab Ecclesia sunt, tam parum de Regeneratione sciant, est causa quia tam multa loquuntur de Remissione peccatorum, et de Justificatione, et quia credunt quod peccata momento remittantur, et quidam quod abstergantur, sicut sordes e corpore per aquas, et quod per solam fidem seu per unius momenti confidentiam justificetur homo; quod homines Ecclesiae ita credant, est causa, quia non sciunt quid peccatum seu malum, si illud nossent, scirent, quod peccata alicui nequaquam abstergi queant, sed quod separentur seu rejiciantur ad latera ne exsurgant, quando homo in bono tenetur a Domino; tum quod hoc fieri nequeat, nisi malum continue ejiciatur, et hoc per media quae indefinita numero, et quoad plurem partem ineffabilia; qui in altera vita secum illam opinionem traxerunt, quod homo momento per fidem justificetur, et prorsus abluatur a peccatis, cum appercipiunt quod Regeneratio fiat per media indefinita numero et ineffabilia, stupescunt, et inscitiam suam, quam etiam insaniam vocant, quam in mundo habuerunt de momentanea remissione peccatorum, et de justificatione, rident; dicitur illis quandoque, quod Dominus nulli non qui desiderat ex corde, remittat peccata, sed usque non ideo

separantur illi a turba diabolica, cui alligati sunt per mala, quae sequuntur vitam, quam omnem secum habent; discunt dein ab experientia, quod ab infernis separari sit a peccatis, et quod id nequaquam fieri queat, nisi per mille et mille modos soli Domino notos, et hoc continua successione, si velis credere, in aeternum; nam homo tantum malum est, ut ne quidem ab uno peccato plene in aeternum liberari queat, at solum ex Misericordia Domini, si eam receperit, a peccato detineri, et in bono teneri. Quomodo itaque homo novam vitam accipit et regeneratur, continetur in Sanctuario Verbi, hoc est, in sensu ejus interno, ob causam imprimis, ut Angeli ex Verbo cum legitur ab homine, in suo felici sapientiae sint, et quoque tunc in jucundo inserviendi pro mediis. In hoc Capite et in sequentibus, ubi de fratribus Josephi, agitur in sensu interno supremo de Glorificatione naturalis Domini, et in sensu repraesentativo de Regeneratione naturalis apud hominem a Domino, hic quoad vera quae Ecclesiae ibi.

5399. Vers: 1. 2. 3. 4. 5. *Et vidit Jacob quod esset annona in Aegypto, et dixit Jacob filiis suis, quare aspicitis vos. Et dixit, ecce audivi, quod sit annona in Aegypto, descendite illuc, et emite nobis inde, et vivamus et non moriamur. Et descenderunt fratres Josephi decem, ad emendum frumentum ex Aegypto. Et Benjaminem fratrem Josephi non misit Jacob cum fratribus ejus, quia dixit, forte obveniat illi damnum. Et venerunt filii Israëlis ad emendum in medio venientium, quia fuit fames in terra Canaan.* Et vidit, significat illa quae fidei: Jacob, significat Naturale quoad verum quod Ecclesiae: quod esset annona in Aegypto, significat animum comparandi sibi vera per scientifica, quae sunt Aegyptus: et dixit Jacob filiis suis, significat perceptionem de veris in communi: quare aspicitis vos, significat cur haererent: et dixit, ecce audivi quod sit annona in Aegypto, significat quod comparari queant vera per scientifica: descendite illuc et emite nobis inde, significat appropriationem per illa: et vivamus et non moriamur, significat inde vitam spiritualem: et descenderunt, significat conatum et actum: fratres Josephi decem, significat talia vera Ecclesiae quae correponderent: ad emendum frumentum ex Aegypto, significat ad appropriandum sibi bonum veri per scientifica: et Benjami-

nem fratrem Josephi, significat spirituale coelestis, quod medium: non misit Jacob cum fratribus ejus, significat quod absque illo medio: quia dixit, forte obveniat illi damnum, significat quod id absque coelesti spiritualis, quod Josephus, periturum: et venerunt filii Israëlis ad emendum in medio venientium, significat quod vellet ut spiritualia vera aeque compararentur per scientifica, sicut reliqua: quia fuit fames in terra Canaan, significat quod desolatio quoad illa quae sunt Ecclesiae in Naturali.

5400. Et vidit, quod significet illa quae fidei, constat ex significatione videre, quod sint illa quae fidei, de qua n: 897. 2325. 2807. 3863. 3869. 4403 ad 4421; visus enim abstractus a talibus quae sunt mundi, hoc est, visus spiritualis non aliud est quam perceptio veri, hoc est, talium quae sunt fidei, quapropter per videre in sensu interno non aliud significatur; sensus enim internus prodit, cum abstrahuntur illa quae sunt mundi, nam sensus internus est talium quae sunt coeli; Lux coeli, per quam visus ibi, est Divinum Verum a Domino, hoc apparet coram oculis angelorum sicut lux, millies candidior luce meridiana in mundo, quae Lux quia vitam in se habet, idcirco simul ac visum oculi angelorum etiam visum intellectus eorum illuminat, et facit apperceptionem veri, secundum quantum et quale boni in quo sunt. Quia in hoc Capite in sensu interno agitur de illis quae sunt fidei, seu de veris Ecclesiae, idcirco in ipso initio hujus Capitis dicitur, vidit, et per vidit significantur illa quae sunt fidei.

5401. Jacob, quod significet naturale quoad verum quod Ecclesiae, constat ex repraesentatione Jacobi, quod sit doctrina veri in naturali, et in sensu supremo Domini Naturale quoad verum, de qua n: 3305. 3509. 3525. 3546. [1] 3599. 4009. 4538.

5402. Quod esset annona in Aegypto, quod significet animum comparandi sibi vera per scientifica, quae Aegyptus, constat ex significatione annonae, quod sint vera Ecclesiae, seu vera quae fidei; quod abundantia annonae sit multiplicatio veri, videatur n: 5276. 5280. 5292; et ex significatione Aegypti, quod sint scientifica, de qua n: 1164. 1165. 1186. 1462; et quod in genuino sensu sint scientifica Ecclesiae, videatur n:

4749. 4964. 4966; quod significetur animus comparandi sibi illa, involvitur, ut patet a mox sequentibus. Per scientifica quae Ecclesiae, quae hic sunt Aegyptus, intelliguntur omnes cognitiones veri et boni, antequam conjunctae sunt cum interiori homine, seu per interiorem hominem cum coelo, ac ita per coelum cum Domino; doctrinalia Ecclesiae et ejus ritualia, ut et cognitiones quid et quomodo haec repraesentant spiritualia, ac similia, non sunt nisi quam scientifica, antequam homo ex Verbo viderit, num vera sint, et inde appropriavit illa sibi. Sunt binae viae comparandi vera quae sunt fidei, nempe per Doctrinalia, et per Verbum; cum homo solum comparat illa sibi per Doctrinalia, tunc fidem habet illis qui ex Verbo illa concluserunt, ac apud se confirmat quod vera sint quia alii sic dixerunt, ita non credit illa ex sua sed ex aliorum fide: at cum comparat sibi illa ex Verbo, et inde apud se confirmat quod vera sint, tunc credit illa quia ex Divino sunt, ita ex fide a Divino. Unusquisque, qui intra Ecclesiam est, primum comparat sibi vera quae fidei ex Doctrinalibus, et quoque inde comparare debet, quia nondum tali judicio pollet, ut ipse videre illa ex Verbo queat, sed tunc vera illa non aliud ei sunt quam scientifica; at cum ex suomet judicio intueri illa potest, si tunc non consulit Verbum fine ut inde videat num vera sint, manent apud illum ut scientifica; at si tunc consulit Verbum ex affectione et fine sciendi vera, et cum invenerit illa, tunc comparat sibi illa quae fidei sunt ex genuino fonte, et tunc a Divino ei appropriantur: haec, et similia sunt, de quibus in sensu interno hic agitur, Aegyptus enim sunt illa scientifica, Josephus est verum a Divino, ita Verum e Verbo.

5408. Et dixit Jacob filiis suis, quod significet perceptionem de veris in communi, constat ex significatione dicere in historicis Verbi, quod sit perceptio, de qua n: 1791. 1815. 1819. 1822. 1898. 1919. 2080. 2619. 2862. 3509. 3395; et a significatione filiorum, quod sint vera quae fidei, de qua n: 489. 491. 533. 1147. 2623. 3373. 4257; et quia fuerunt filii Jacobi, significantur vera in communi, nam per duodecim filios Jacobi, sicut per duodecim tribus, significata sunt omnia fidei, ita vera in communi, videatur n: 2129. 2130. 3858. 3862. 3926. 3939. 4060.

5404. Quare aspicitis vos, quod significet cur haererent, constare potest absque explicatione.

5405. Et dixit, ecce audivi, quod sit annona in Aegypto, quod significet quod comparari queant vera per scientifica, constare potest ab illis, quae mox supra n: 5402, explicata sunt, ubi per quod esset annona in Aegypto, significatur animus comparandi sibi vera per scientifica, quae Aegyptus; quid per scientifica, quae Aegyptus, intelligitur, ibi etiam videatur. Annona hic in Lingua Originali exprimitur per vocem quae significat *fractionem*, per similem vocem etiam *emere* et *vendere*, ubi dicitur, quod filii Jacobi emerent illud in Aegypto, et quod ibi Josephus venderet illud, causa est, quia in Antiqua Ecclesia frangebatur panis cum daretur alteri, et per id significabatur communicare ex suo, et appropriare bonum, ex suo, ac ita mutuum facere amorem; cum enim frangitur panis, et datur alteri, tunc communicatur ex suo; aut cum inter plures frangitur panis, tunc unus panis fit mutuus, consequenter conjunctio per charitatem; inde patet, quod fractio panis fuerit significativum mutui amoris: ritus ille quia receptus fuit, et solennis in Ecclesia Antiqua, ideo quoque per ipsam fractionem intelligebatur annona quae communis fiebat; quod panis sit bonum amoris, videatur n: 276. 680. 1798. 2165. 2177. 3464. 3478. 3735. 3813. 4211. 4217. 4735. 4976: inde est, quod Dominus, cum panem daret, eum fregerit, ut apud Matthaeum „Jesus sumens quinque panes et duos pisces, suspiciens in coelum, benedixit, et *frangens* dedit discipulis *panem*" XIV: 19. Marc: VI: 41. Luc: IX: 16. Apud Eundem „Jesus sumens septem panes et pisces, gratias agens, *fregit*, et dedit discipulis suis, et discipuli turbae" XV: 36. Marc: VIII: 6. Apud Eundem „Accipiens Jesus panem, benedicens, *fregit*, et dedit discipulis, et dixit, accipite, comedite, hoc est Corpus meum" XXVI: 26. Marc: XIV: 22. Luc: XXII: 19. Apud Lucam „Factum est, cum Dominus accumberet cum illis, accipiens *panem* benedixit, et *frangens* tradidit illis: et illorum aperti sunt oculi, et agnoverunt Ipsum. Narrarunt discipuli, quomodo Dominus agnitus esset illis in *fractione panis*" XXIV: 30. 31. 35. Apud Esaiam „Hoc jejunium, est quod eligo, *frangere* esurienti *panem* tuum" LVIII: 6. 7.

5406. Descendite illuc et emite nobis inde, quod significet appropriationem per illa, constat ex significatione descendere, quod praedicetur versus exteriora, de qua sequitur; et ex significatione emere, quod sit appropriatio, de qua n: 4397. 5374; quod sit per illa, nempe per scientifica, significatur per inde, nempe ex Aegypto, quod Aegyptus sint scientifica, supra ostensum est. In Verbo passim dicitur ascendere, et descendere, cum ab uno loco in alterum, non ex causa quod unus locus editior fuerit altero, sed quia ascendere praedicatur versus interiora seu superiora, et descendere versus exteriora seu inferiora, hoc est, quod ascendere praedicetur versus spiritualia et coelestia, haec enim interiora sunt, et quoque creduntur superiora, et descendere versus naturalia et terrestria, haec enim exteriora sunt, et quoque ad apparentiam inferiora; inde est, quod non solum hic, sed etiam ubivis alibi in Verbo, dicatur a terra Canaan ad Aegyptum descendere, et ab Aegypto ad terram Canaan ascendere, per terram Canaan enim significatur coeleste, et per Aegyptum Naturale, nam terra Canaan in sensu repraesentativo est Regnum coeleste, consequenter bona et vera coelestia et spiritualia, quae quoque sunt interius apud hominem qui est regnum Domini, at Aegyptus in sensu repraesentativo est Regnum naturale, consequenter bona et vera quae sunt Ecclesiae externae, et quoad plurem partem sunt scientifica; quod ascendere praedicetur versus interiora, videatur n: 4539.

5407. Et vivamus et non moriamur, quod significet vitam spiritualem, constat ex significatione vivere, et non mori, quod sit vita spiritualis, nam non aliud per vivere et non mori in sensu interno significatur; in altera enim vita, per vitam significatur in genere coelum, in specie felicitas aeterna, et per mortem significatur in genere infernum, et in specie infelicitas aeterna ibi, quod etiam a pluribus locis in Verbo patet; quod coelum in genere, et felicitas aeterna in specie dicatur vita, est quia ibi est sapientia boni et intelligentia veri, et sapientiae boni ac intelligentiae veri inest vita a Domino, a Quo omne vitae; at quia in inferno est contrarium, nempe loco boni malum et loco veri falsum, et sic exstincta vita spiritualis, idcirco ibi respective est mors, nam mors spiritualis est malum et falsum, ac apud hominem est velle malum, et inde cogitare falsum. Mali genii et

spiritus non volunt audire, quod de illis dicatur quod non vivant, seu quod mortui sint, dicunt enim quod vitam habeant quia possunt velle et possunt cogitare, sed illis dicitur, cum in bono et vero est vita, quod nequaquam possit esse in malo et falso, sunt enim contraria.

5408. Et descenderunt, quod significet conatum et actum, nempe ad comparanda et approprianda sibi vera per scientifica, patet ex significatione descendere, nempe ad Aegyptum, quod sit et conatus et actus.

5409. Fratres Josephi decem, quod significet talia vera Ecclesiae quae corresponderent, constat ex significatione fratrum, quod sint vera quae Ecclesiae, haec dicuntur fratres Josephi, qui est Verum a Divino, ex correspondentia; correspondentia enim facit, ut conjuncta sint sicut frater fratri: per filios Jacobi significantur omnia fidei, seu vera Ecclesiae in communi, n: 5403, similiter per fratres Josephi, sed ex correspondentia; per decem filios Jacobi ex Leah, significantur vera quae sunt Ecclesiae externae, et per binos filios Jacobi ex Rachel significantur vera quae sunt Ecclesiae internae, ut patet ab illis quae de Leah et Rachele ostensa sunt, quod nempe Leah sit affectio veri exterioris, et Rachel affectio veri interioris, de quibus n: 3758. 3782. 3793. 3819; quod Ecclesiae Internum et Externum sint fratres, videatur n: 1222; Ipse Dominus inde vera et inde bona per charitatem et fidem correspondentia vocat fratres, hoc est, illos qui in veris et inde bono sunt; apud Matthaeum „ Rex dicet illis, amen dico vobis, in quantum fecistis uni *ex his fratribus meis minimis*, Mihi fecistis " XXV: 40: et alibi „ Respondit illis Jesus, dicens, quae est mater mea, aut *fratres mei*, et circumspiciens circum circa, dixit, ecce mater mea et *fratres mei;* quisque namque fecerit voluntatem Dei, hic *frater meus*, et soror mea, et mater mea " Marc: III: 33. 34. 35. Matth: XII: 49. Luc: VIII: 21.

5410. Ad emendum frumentum ex Aegypto, quod significet ad appropriandum sibi bonum veri per scientifica, constat ex significatione emere, quod sit appropriare, de qua n: 4397. 5374. 5406; ex significatione frumenti, quod sit bonum veri,

de qua n: 5295; et ex significatione Aegypti, quod sint scientifica, de qua supra n: 5402. [2]

5411. Et Benjaminem fratrem Josephi, quod significet spirituale coelestis, quod medium, constat ex repraesentatione Benjaminis, quod sit spirituale coelestis, de qua n: 4592; quod spirituale coelestis sit medium, etiam ibi videatur: in genere sciendum, quod Internum non possit communicationem habere cum Externo, et vicissim, nisi sit Medium, consequenter quod non communicationem habere possit verum a Divino quod est Josephus, cum veris in communi in naturali, quae sunt filii Jacobi, absque medio quod repraesentatur per Benjaminem, et vocatur spirituale coelestis; medium ut sit medium, participare debet ab utroque, nempe ab Interno et ab Externo: causa quod medium erit, est quia Internum et Externum distinctissima inter se sunt, ac ita distincta, ut separari queant, sicut separatur Externum ultimum hominis, quod est Corpus, cum moritur, ab ejus Interno, quod est ejus spiritus; tunc moritur externum, cum rumpitur medium, et tunc vivit externum, cum interest medium; et tantum et taliter vivit externum, quantum et qualiter medium interest. Quia filii Jacobi absque Benjamine fuerunt, hoc est, absque medio, ideo Josephus se non manifestare potuit fratribus suis, et ideo loquutus cum illis dura, vocando exploratores, et dando in custodiam, et quoque ideo illi non agnoverunt Josephum. Sed quale medium hoc sit, quod repraesentatur per Benjaminem, et vocatur spirituale coelestis, ad captum non describi potest, desunt enim notiones de coelesti spiritualis quod est Josephus, et de veris Ecclesiae, quatenus modo sunt scientifica, quae sunt filii Jacobi, inde quoque de spirituali coelestis [3] quod est Benjamin; at in coelo, quale id medium sit, apparet sicut in clara die, exhibetur ibi quale ejus per repraesentativa ineffabilia, in luce coeli, in qua simul est perceptio; nam Lux coeli est ipsa intelligentia a Divino, inde perceptivum est in singulis quae per lucem illam repraesentantur; hoc non datur in luce mundi, nam haec lux nihil intelligentiae in se habet, sed intellectus per illam fit per influxum lucis coeli in eam, et simul tunc per influxum perceptivi quod est in luce coeli: inde est, quod homo tantum in luce coeli sit, quantum est in intelligentia, et quod tantum in intelligentia

quantum in veris fidei, et quod tantum in veris fidei quantum in bono amoris, consequenter quod homo tantum in luce coeli sit, quantum in bono amoris.

5412. Non misit Jacob cum fratribus ejus, quod significet quod absque illo medio, constare potest ab illis quae nunc supra dicta sunt.

5413. Quia dixit, forte obveniat illi damnum, quod significet quod id absque coelesti spiritualis, quod Josephus, periturum, constat ex significatione obvenire damnum, quod hic sit perire; haec dicta sunt a patre, quia amavit illum, et timuit ne periret inter fratres, sicut Josephus; at eadem haec allata sunt et recepta in Verbo, ob sensum internum, qui est, quod Medium cum solis externis absque interno periturum, medium enim est Benjamin, externa sunt filii Jacobi, et internum est Josephus: quod Medium est, hoc quoque cum solis externis absque interno, perit, nam ita se habet cum Medio; hoc existit ab Interno, inde etiam subsistit ab illo, existit enim per intuitionem Interni in Externum ex affectione et fine sibi Externum associandi; ita quod Medium est, id conjunctum est Interno, et ab Interno cum Externo, non autem absque Interno cum Externo: inde patet, quod id quod Medium est, cum solo Externo absque Interno periturum. Praeterea lex communis est, tam in illis quae mundi spiritualis sunt, quam in illis quae mundi naturalis, quod prius subsistere possit cum suo priori, non autem absque illo cum posteriori, et si cum hoc solo, quod periturum, causa est, quia omne absque connexione cum priori se est absque connexione cum Primo, a Quo omne existentiae et subsistentiae.

5414. Et venerunt filii Israëlis ad emendum in medio venientium, quod significet quod vellet ut spiritualia vera aeque compararentur per scientifica, sicut reliqua, constat ex significatione filiorum Israëlis, quod sint vera spiritualia, filii enim sunt vera, videatur supra n: 5403, et Israël est coelestis spiritualis homo ex naturali, n: 4286. 4570. 4598; ita filii Israëlis sunt spiritualia vera in naturali; ex significatione emere, quod sit comparari; et ex significatione in medio venientium, quod sit sicut reliqua, quae nempe per scientifica comparantur.

5415. Quia fuit fames in terra Canaan, quod significet quod desolatio quoad illa quae sunt Ecclesiae in naturali, con-

stat ex significatione famis, quod sit defectus cognitionum, et inde desolatio, de qua n: 3364. 5277. 5279. 5281. 5300. 5349. [4] 5360. 5376; et ex significatione terrae Canaan, quod sit Ecclesia, de qua n: 3705. 3686. 4447, et quia est Ecclesia, est quoque id quod est Ecclesiae; inde est, quod per fuit fames in terra Canaan, significetur desolatio quoad illa quae sunt Ecclesiae; quod in naturali, est quia praedicantur de filiis Jacobi, per quos illa quae sunt Ecclesiae externae significantur, n: 5409, consequenter quae Ecclesiae sunt in naturali.

5416. Vers: 6. 7. 8. *Et Joseph is dominator super terram, is vendens omni populo terrae; et venerunt fratres Josephi, et incurvarunt se ei facies ad terram. Et vidit Joseph fratres suos, et agnovit illos, et gessit se alienum ad illos, et loquutus cum illis dura, et dixit ad illos, unde venistis, et dixerunt, e terra Canaan, ad emendum cibum. Et agnovit Joseph fratres suos, et illi non agnoverunt eum.* Et Joseph is dominator super terram, significat quod coeleste spiritualis seu verum a Divino regnaret in naturali ubi scientifica: is vendens omni populo terrae, significat quod ex illo omnis appropriatio: et venerunt fratres Josephi, significat communia vera Ecclesiae absque mediatione: et incurvarunt se ei facies ad terram, significat humiliationem: et vidit Joseph fratres suos et agnovit illos, significat perceptionem et agnitionem a coelesti spiritualis: et gessit se alienum ad illos, significat non conjunctionem quia absque medio: et loquutus cum illis dura, significat inde quoque non correspondentiam: et dixit ad illos, unde venistis, significat explorationem: et dixerunt, e terra Canaan, significat quod ab Ecclesia: ad emendum cibum, significat ad appropriandum verum boni: et agnovit Joseph fratres suos, significat quod vera illa Ecclesiae Coelesti spiritualis ex luce ejus apparerent: et illi non agnoverunt eum, significat quod verum a Divino non appareret in luce naturali nondum a luce coelesti illuminata.

5417. Et Joseph is dominator super terram, quod significet quod coeleste spiritualis, seu verum a Divino, regnaret in naturali, ubi scientifica, constat a repraesentatione Josephi, quod sit coeleste spiritualis, de qua n: 4286. 4963. 5249. 5307. 5331. 5332; coeleste spiritualis quod sit verum a Divino, videbitur infra; ex significatione dominatoris, quod sit qui regna-

ret; et ex significatione terrae, hic terrae Aegypti, quod sit mens naturalis, ita naturale, de qua n: 5276. 5278. 5280. 5288. 5301; quod coeleste spiritualis [5] regnaret in naturali, ubi scientifica, videatur n: 5313; [6] quod Aegyptus in sensu interno sit scientificum, videatur n: 1164. 1165. 1186. 1462. 4749. 4964. 4966. Quod coeleste spiritualis sit verum a Divino, est quia Internum Humanum Domini, antequam plene glorificatum, quoniam fuit receptaculum Ipsius Divini, erat coeleste spiritualis, ita dicendum, quia aliis vocibus seu cogitationis formis exprimi nequit; hoc receptaculum seu recipiens Divini, est idem cum vero ex Divino; quod Josephus sit verum illud, videatur n: 4723. 4727.

5418. Is vendens omni populo terrae, quod significet quod ab illo omnis appropriatio, constat ex significatione vendere, quod sit appropriatio, de qua n: 5371. 5374; et ex significatione populi terrae, quod sint vera quae Ecclesiae, de qua n: 2928, hic in naturali, n: 5409.

5419. Et venerunt fratres Josephi, quod significet communia vera Ecclesiae absque mediatione, constat a significatione fratrum Josephi, quod sint Communia vera Ecclesiae, de qua supra n: 5409; quod absque mediatione, est quia absque Benjamine, qui Medium, quod Benjamin sit medium, videatur supra n: 5411. 5413.

5420. Et incurvarunt se ei facies ad terram, quod significet humiliationem, constat ex significatione incurvare se, quod sit humiliatio, de qua n: 2153, et facies ad terram, quod sit humiliatio adorationis, n: 1999. Per humiliationem hic non intelligitur humiliatio ex agnitione, et inde humiliatio interna, sed humiliatio externa, quia erat coram dominatore terrae ex more recepto; quod non humiliatio interna sed externa intelligatur, est quia nondum erat correspondentia, et per correspondentiam conjunctio; cum naturale in eo statu est, tunc quidem humiliare se potest, et quoque in summo gradu, sed solum ex assumto per usum, est gestus absque affectione genuina producente illum, ita est corporeum quid absque sua anima; talis humiliatio hic intelligitur.

5421. Et vidit Joseph fratres suos, et agnovit illos, quod significet perceptionem et agnitionem a coelesti spiritualis, con-

stat ex significatione videre, quod sit perceptio, de qua n: 2160. 3764. 4567. 4723; a repraesentatione Josephi, quod sit coeleste spiritualis, de qua supra n: 5417; ex significatione fratrum ejus, quod sint communia vera Ecclesiae, de qua etiam supra n: 5419; et ex significatione agnoscere, quod sit agnitio ex perceptione. De agnitione hac a parte Josephi, et de non agnitione a parte fratrum ejus, videatur infra n: 5422. 5427. 5428.

5422. Et gessit se alienum ad illos, quod significet non conjunctionem quia absque medio, constat a significatione gerere se alienum, quod hic sit non conjunctio quia absque medio; qui enim non in conjunctione reciproca est, quia absque medio, is apparet alienus, prout verum internum seu verum immediate a Divino, illis qui in veris externis sunt; inde nunc est, quod Josephus se alienum gesserit ad fratres suos, non quod is alienus fuerit, amavit enim illos, nam conversus ab illis flevit, Vers: 24, sed alienum a parte illorum ob non conjunctionem, repraesentatur per quod ipse se ita gesserit: sicut pro exemplo, ubi dicitur in Verbo, quod Jehovah seu Dominus alienum se gerat populo, opponat se illis, rejiciat illos, damnet, mittat in infernum, puniat, delectetur ut talia fiant, intelligitur in sensu interno, quod illi se alienos Jehovae seu Domino gerant, opponant se Ipsi, in malis sint quae rejiciunt illos a facie Ipsius, quae damnant illos, quae mittunt in infernum, et quae puniunt, et quod ex Jehovah seu Domino nusquam talia procedant; sed ita dicitur in Verbo propter apparentiam, simplicibus enim sic apparet. Similiter se habet cum veris internis, cum ea spectantur a veris externis absque conjunctione per medium, tunc apparent illa vera [7] ab his prorsus aliena, imo quandoque opposita, cum tamen oppositio [8] non est in veris internis, sed apud vera externa; haec enim absque conjunctione per medium non spectare possunt illa aliter quam a luce mundi separata a luce coeli, consequenter aliena a se: sed de hac re plura in sequentibus.

5423. Et loquutus cum illis dura, quod significet inde quoque non correspondentiam, constat ex eadem explicatione, quae supra de eo quod gesserit se alienum; gerere se alienum spectat affectionem quae est voluntatis, et loqui dura spectat cogitationem quae intellectus, loqui enim in sensu interno est cogitare,

n: 2271. 2287. 2619; tunc enim internum alienum apparet externo, cum nulla affectio, et tunc internum dura loqui apparet, cum nulla correspondentia: correspondentia enim est apparitio interni in externo, et ibi ejus repraesentatio, quare ubi non correspondentia, est nulla apparitio interni in externo, proinde in hoc non illius repraesentatio, inde durum.

5424. Et dixit ad illos, unde venistis, quod significet explorationem, constat absque explicatione.

5425. Et dixerunt, e terra Canaan, quod significet quod ab Ecclesia, constat a significatione terrae Canaan, quod sit Ecclesiae, de qua n: 3705. 3686. 4447.

5426. Ad emendum cibum, quod significet ad appropriandum verum boni, constat a significatione emere, quod sit appropriare sibi, de qua n: 4397. 5374. 5406. 5410; et a significatione cibi, quod sit verum boni, de qua n: 5293. 5340. 5342.

5427. Et agnovit Joseph fratres suos, quod significet quod vera illa Ecclesiae, Coelesti spiritualis ex luce ejus apparerent, constat ex significatione agnoscere, quod sit percipere, videre, ita apparere; ex repraesentatione Josephi, quod sit coeleste spiritualis, de qua prius; et ex significatione fratrum ejus, quod sit vera communia Ecclesiae, de qua supra n: 5409. 5419; et quia per agnovit Joseph fratres suos, illa significantur, nempe quod vera communia Ecclesiae Coelesti spiritualis apparerent, sequitur quod ex luce in qua coeleste spiritualis, ita ex luce coelesti spiritualis; ex hac luce, quae est Verum a Divino, n: 5417, apparent omnia et singula vera quae infra sunt, seu quae in naturali, non autem vicissim, si non medium, minus si non correspondentia, et per correspondentiam conjunctio; quod manifeste constare potest ex eo, quod Angeli qui in coelis, ita in luce coeli, videre possint omnia et singula quae fiunt in mundo spirituum, qui mundus proxime infra coelos est, tum omnia et singula quae in terra inferiorum, imo quae in infernis, non autem vicissim: etiam ita se res habet, quod angeli superioris coeli videre queant omnia quae fiunt sub illis in coelo inferiori, non autem vicissim, nisi sit medium; sunt etiam spiritus medii, per quos communicatio fit cis et retro; quapropter, qui infra sunt, quibus non medium, et magis quibus non correspondentia, cum

spectant in lucem coeli, nihil prorsus vident, apparet omne quod ibi prorsus in obscuro, cum tamen illi qui ibi in clarissima die sunt: hoc illustrari potest unica hac experientia; apparuit mihi magna civitas, ubi mille et mille varia, quae delectabilia et pulchra; vidi illa quia datum erat medium, at spiritus qui apud me erant, quia absque medio, ne minimum ibi videre potuerunt; et dictum, quod qui non in correspondentia sunt, tametsi ibi, usque tamen ne hilum quod ibi appercipiant. Se quoque hoc habet, sicut interior homo, seu spiritus ejus, qui etiam anima vocatur, ill[illegible] videre potest omnia et singula quae sunt et fiunt in exteriori homine, non autem vicissim, nisi sit correspondentia et medium; inde est, quod exteriori homini, qui non in correspondentia, appareat interior sicut nihil, usque adeo, ut dum aliquid de interiori homine dicitur, exteriori appareat vel ita obscurum, ut ne quidem visum illuc vertere velit, vel sicut nullum, cui non fides; at cum correspondentia est, tunc etiam exterior homo videt per medium, quid agitur in interiori; lux enim quae est interiori homini per medium influit in lucem, quae est exteriori, hoc est, lux coelestis in lucem naturalem, et hanc illuminat, ex qua illuminatione apparet id quod apud interiorem hominem existit, inde intelligentia et sapientia exteriori seu naturali homini; at si non medium est, et magis si non correspondentia, tunc interior homo videt et percipit quid agitur in exteriori, et quodammodo etiam ducit, sed non vicissim: si autem contrarietas est, quod nempe exterior homo prorsus pervertat aut exstinguat quod influit per interiorem, tunc privatur interior homo sua luce quae e coelo, et clauditur ei versus coelum, at aperitur communicatio ad exteriorem hominem ab inferno: plura de his videas in nunc sequentibus.

5428. Et illi non agnoverunt eum, quod significet quod verum a Divino non appareret in luce naturali nondum a luce coelesti illuminata, constare potest ex illis quae mox praecedunt, cum enim per, agnovit Joseph fratres suos, significatur, quod communia vera Ecclesiae coelesti spiritualis ex luce ejus apparerent, sequitur quod per, illi non agnoverunt eum, significetur quod coeleste spiritualis, seu verum a Divino, non appareret veris communibus Ecclesiae in luce naturali nondum a luce coelesti illuminata: quomodo hoc se habet, ab illis quae mox

supra dicta sunt, quidem patet, sed quia est inter arcana, licet illustrare id per exempla; sit gloria coeli pro exemplo; qui e luce naturali non a luce coeli illuminata, quia absque medio, et magis si non correspondentia, cogitant de gloria coeli, non aliam ideam de illa quam qualem de gloria mundi habere possunt, sicut, dum revelationes propheticae imprimis Johannis in Apocalypsi legunt, quod ibi magnificentissima sint omnia; at cum eis dicitur, quod gloria coeli excedat omnem magnificentiam mundi, adeo ut haec illi vix comparari queat, et quod tamen hoc non sit gloria coeli, sed quod gloria coeli sit Divinum quod elucet e singulis quae apparent ibi, ac Divinorum perceptio, et inde sapientia; sed haec gloria est solum illis ibi, qui magnificentiam illam respective ad sapientiam nihili faciunt, et omnem sapientiam Domino, et sibi prorsus nullam tribuunt; haec gloria coeli cum spectatur a luce naturali absque medio, et magis si non correspondentia, nullatenus agnoscitur. Sit quoque pro exemplo, potentia angelica; qui e luce naturali a luce coeli non illuminata, quia absque medio, et magis si non correspondentia, cogitant de potentia angelica, cumprimis de archangelorum, quorum mentio fit in Verbo, non aliam ideam de ea habere possunt, quam sicut de potentia potentium [9] in *mundo*, quod nempe millenos et millenos habeant se minores, quibus imperent, et quod eminentiae in coelo in tali imperio consistant; at cum illis dicitur, quod quidem potentia angelica excedat omnem potentiam potentium in mundo, et quod tanta sit, ut unus inter minores angelos myriades infernalium abigere, ac in inferna sua detrudere queat, et quod inde quoque in Verbo Potentiae, ut et Dominatus, dicantur; sed usque minimus eorum maximus est, hoc est, qui omne potentiae a Domino, et nihil ex se credit, vult, et percipit, is maxime potens est; quapropter qui Potentiae ibi sunt, omnem potentiam ex se plane aversantur; hoc quoque, cum spectatur a luce naturali absque medio, et magis si non correspondentia, nec agnoscitur. Sit adhuc pro exemplo; qui e naturali absque medio, et magis si non correspondentia, spectat Liberum, non aliter scire potest, quam quod Liberum sit cogitare et velle ex se, et posse agere absque fraeno sicut cogitat et vult, quare etiam naturalis homo ut habere possit omnia quae cogitat et vult, opulentissimus vult

esse, utque agere possit omnia quae cogitat et vult, potentissimus vult esse, et tunc credit ille se in summo Libero esse, et inde in ipso felici; si autem illis dicitur, quod ipsum Liberum, quod Liberum coeleste vocatur, prorsus non tale sit, sed quod sit nihil velle ex se, sed a Domino, imo nec cogitare ex se sed a coelo, et inde quod prorsus in maerore sint, et in dolore, si illis ex se cogitare, et ex se velle permittitur; hoc non agnoscitur. Ex his aliquatenus patere potest, quomodo se habet cum hoc, quod verum a Divino non appareat in luce naturali nondum a luce coelesti illuminata, quae significantur per quod fratres Josephi non agnoverint eum.

5429. Vers: 9 ad 16. *Et recordatus Joseph somniorum, quae somniavit illis, et dixit ad illos, exploratores vos, ad videndum nuditatem terrae venistis. Et dixerunt ad eum, non domine mi, et servi tui veniunt ad emendum cibum. Omnes nos filii viri unius nos, recti nos, non sunt servi tui exploratores. Et dixit ad illos, non, quod nuditatem terrae venistis ad videndum. Et dixerunt, duodecim servi tui fratres nos, filii viri unius, in terra Canaan, et ecce minimus cum patre nostro hodie, et unus non est. Et dixit ad illos Joseph, hoc quod loquutus ad vos, dicendo, exploratores vos. In hoc probabimini, vivat Pharao, si exibitis exhinc, nisi in venire frater vester minimus huc. Mittite e vobis unum, et accipiat fratrem vestrum, et vos vinciemini, et probabuntur verba vestra, an veritas cum vobis, et si non, vivat Pharao, quod exploratores vos.* Et recordatus Joseph somniorum quae somniavit illis, significat quod coeleste spiritualis praevideret quid contingeret de veris communibus Ecclesiae in naturali: et dixit ad illos, significat perceptionem inde: exploratores vos, significat quod solum ad captandum lucrum: ad videndum nuditatem terrae venistis, significat quod nihil potius illis quam sibi scire quod non vera sint: et dixerunt ad eum, non domine mi, recti nos, significat quod vera sint in se: et servi tui veniunt ad emendum cibum, significat quod sint ad appropriandum Naturali per bonum: omnes nos filii viri unius, significat quod Vera illa ex una origine sint: recti nos, significat quod ita vera in se: non sunt servi tui exploratores, significat quod sic non propter lucrum: et dixit ad illos, non, quod nuditatem terrae venistis ad viden-

dum, significat quod illis non curae num vera sint: et dixerunt, duodecim servi tui fratres nos, significat quod omnia fidei simul sic conjuncta: filii viri unius, significat ex una origine: in terra Canaan, significat in Ecclesia: et ecce minimus cum patre nostro hodie, significat quod etiam conjunctio cum bono spirituali: et unus non est, significat quod Divinum spirituale a quo, non appareat: et dixit ad illos Joseph, significat perceptionem de illa re: hoc quod loquutus ad vos, significat quod verum sit sicut cogitavi: dicendo, exploratores vos, significat quod in Ecclesiae veris propter lucrum: in hoc probabimini, significat num ita sit videbitur: vivat Pharao, significat certum: si exibitis exhinc, nisi in venire frater vester minimus huc, significat quod non possit aliter quam quod vera apud vos sint talia, nisi conjuncta sint bono spirituali: Mittite e vobis unum, et accipiat fratrem vestrum, significat si modo conjunctio sit aliqua cum bono illo: et vos vinciemini, significat tametsi in caeteris separatio: et probabuntur verba vestra, an veritas cum vobis, significat quod tunc ita existet: et si non, vivat Pharao, quod exploratores vos, significat alias certum, quod vera vobis solum lucri causa.

5430. Et recordatus Joseph somniorum quae somniavit illis, quod significet quod coeleste spiritualis praevideret quid contingeret de veris communibus Ecclesiae in naturali, constat ex significatione recordari, quod sit praesentia, nam res, cujus fit recordatio, praesens sistitur; quod recordari praedicetur de praevidentia, videatur n: 3966; ex repraesentatione Josephi, quod sit coeleste spiritualis, de qua saepe prius; et ex significatione somniorum, quod sit praevidentia, praedictio, eventus, de qua n: 3698. 5091. 5092. 5104, hic itaque praevidentia quid contingeret veris communibus Ecclesiae in naturali, nam illa per filios Jacobi significantur, n: 5409. 5419; quare etiam dicitur, quae somniavit illis.

5431. Et dixit ad illos, quod significet perceptionem inde, constat ex significatione dicere, quod sit perceptio, de qua n: 1791. 1815. 1819. 1822. 1898. 1919. 2080. 2619. 2862. 3509.

5432. Exploratores vos, quod significet quod solum ad captandum lucrum, constat ex significatione exploratorum, quod

hic sit ad captandum lucrum; quod nihil aliud in sensu interno per exploratores significetur, constat ex serie; agitur enim in sensu interno de veris Ecclesiae, quod appropriarda naturali, et quod appropriari ei nequeant, nisi per influxum a coelesti spiritualis per medium; vera illa Ecclesiae sunt filii Jacobi, seu fratres Josephi, coeleste spiritualis est Josephus, et medium est Benjamin. Quomodo se res habet n: 5402, dictum est, quod nempe vera fidei Ecclesiae, quae doctrinalia vocantur, in prima aetate, cum addiscuntur, non aliter capiantur, et memoriae mandentur, quam sicut alia scientifica, et tamdiu manent ut scientifica, usque dum homo incipit ex suo visu intueri illa, et videre num vera sint, et cum viderit quod vera sint, quod agere secundum illa velit, illa intuitio et haec voluntas faciunt, ut non amplius scientifica sint, sed praecepta vitae, et denique vita; ita enim intrant in vitam, cui appropriantur. Qui ad aetatem adultam pervenerunt, et magis qui ad senilem, et vera Ecclesiae, quae vocantur doctrinalia, non ex suo visu intuiti sunt, et viderunt num vera sint, et dein non secundum illa vivere voluerunt, illi nec aliter retinent illa apud se, quam sicut reliqua scientifica, sunt modo in naturali eorum memoria, et inde in ore; cumque illa loquuntur, non loquuntur illa ex interiori suo homine seu ex corde, sed modo ab exteriore homine, et ex ore; in hoc statu cum est homo, nequaquam potest credere quod vera Ecclesiae vera sint, utcunque sibi videretur quod credat; quod sibi videatur quod credat illa vera esse, est quia fidit aliis, et quae aliorum sunt, apud se confirmavit; confirmare quae ab aliis sive vera sint sive falsa, perfacile est, id enim est opus solius ingenii: haec vera Ecclesiae, seu illi qui taliter in veris Ecclesiae sunt, significantur per exploratores venientes ad videndum nuditatem terrae; doctrinalia enim suae Ecclesiae non credunt ex aliqua affectione veri, sed ex affectione aucupandi honores vel captandi lucrum, quapropter apud se vix aliquid credunt, utplurimum corde negant, considerantes doctrinalia illa sicut mercator suas merces; et tunc sibi docti et sapientes apparent, quando ex se vident quod non vera sint, et usque persuadere queant vulgo, quod vera sint; quod perplures antistites Ecclesiae tales sint, patet manifeste ab illis in altera vita; ibi enim in sphaera suarum affectionum et inde cogitationum sunt,

ubicunque vadunt, quae sphaera manifeste percipitur ab aliis, inde qualis affectio veri eis fuerit, et qualis fides, ad apertum sensum noscitur; in mundo hoc non manifestatur, nam talium perceptio spiritualis ibi non est, et quia ita, non ipsa manifestant, privarentur enim suo lucro. Quod exploratores sint, satis constare potest ex eo, quod tales apud illos, qui in veris ex bono sunt, nihil aliud quaerant, quam naevos, ut incusent et damnent; tales sive sint ex ita dictis Papistis, sive ex Reformatis, sive ex Quakeris, sive ex Socinianis, sive ex Judaeis, cum semel confirmarunt apud se doctrinalia suae Ecclesiae, anne alii sunt quam exploratores, nam ipsissima vera, si alicubi sunt, rident et damnant, vera enim quod vera sint, non capiunt; causa est, quia illis non est affectio veri propter verum, minus propter vitam, sed propter lucrum: tales etiam cum legunt Verbum, scrutantur Verbum solum fine confirmandi doctrinalia scientifica, propter lucrum, ac plures eorum scrutantur Verbum, ut videant nuditatem terrae, hoc est, ut videant quod Ecclesiae vera non sint vera, sed modo inserviant ad persuadendum aliis quod vera sint, lucrandi causa. Qui autem in affectione veri sunt propter verum et propter vitam, consequenter propter Regnum Domini, illi quidem fidem habent doctrinalibus Ecclesiae, sed usque scrutantur Verbum non propter alium finem, quam propter verum, inde illis sua fides et sua conscientia; si quis eis dicit, quod manendum in doctrinalibus Ecclesiae, ubi nati, cogitant, si nati fuissent in Judaismo, si in Socinianismo, Quaquerismo, Gentilismo Christiano, aut etiam extra Ecclesiam, quod similiter ab illis qui ibi, ita dictum fuisset, et quod ubivis dicatur, hic Ecclesia, hic Ecclesia, hic vera et non alibi, et cum ita, quod scrutandum Verbum cum devota prece ad Dominum, ut illustratio: tales non perturbant aliquem intra Ecclesiam, nec unquam damnant alios, scientes quod usque unusquisque, qui Ecclesia, vivat ex sua fide.

5438. Ad videndum nuditatem terrae venistis, quod significet quod nihil potius illis quam sibi scire quod non vera sint, constat a significatione venire ad videndum, quod sit cupere scire quod ita sit, proinde nihil potius illis quam scire; ex significatione nuditatis, quod sit absque veris, ita quod non vera sint, de qua sequitur; et ex significatione terrae, hic ideo nuditas

terrae sunt non vera Ecclesiae, quod terra sit Ecclesia, videatur n: 566. 662. 1067. 1262. 1733. 1850. 2117. 2118 f. 3355. 4447. 4535. Quod nuditas significet deprivatum veris, seu absque veris, est quia vestes in genere significant vera, et unaquaevis in specie vestis aliquod verum singulare, videatur n: 2576. 3301. 4545. 4677. 4741. 4742. 4763. 5248. 5319, inde nuditas significat quod absque veris; ut quoque a locis e Verbo infra videbitur. Quomodo cum his se habet, patet ab illis, quae mox supra n: 5432, [10] dicta sunt, quod nempe illi qui vera discunt non propter verum ac propter vitam, sed propter lucrum, nequaquam aliter possint, quam apud se cogitare quod vera Ecclesiae non sint vera; causa est, quia affectio lucri est affectio terrestris, et affectio veri est affectio spiritualis, una aut altera dominium habebit, nemo potest servire duobus dominis; quapropter ubi una affectio est, altera non est, ita ubi affectio veri ibi non affectio lucri, et ubi affectio lucri ibi non affectio veri; inde est, quod, si affectio lucri dominium habet, nequaquam possit aliter esse, quam quod nihil potius sit, quam quod vera non sint vera, at usque nihil potius, quam quod vera credantur vera ab aliis: si enim homo internus spectat deorsum, nempe ad terrestria, et ibi ponit omne, nequaquam potest spectare sursum, et ibi ponere aliquid, nam terrena prorsus absorbent et suffocant; causa est, quia angeli coeli apud hominem non possunt esse in terrestribus, quapropter illi recedunt, et tunc accedunt spiritus infernales, qui apud hominem non possunt esse in coelestibus, inde coelestia ei nauci sunt, et terrestria ei omne, et cum terrestria ei sunt omne, tunc doctiorem et sapientiorem reliquis se credit, in eo, quod Ecclesiae vera sibi negat, dicens corde quod simplicibus sint illa; erit itaque vel in affectione terrestri, vel in affectione coelesti, non enim potest esse cum angelis coeli, et simul cum infernalibus, penderet enim tunc inter coelum et infernum; at cum in affectione veri est propter verum, hoc est, propter Regnum Domini, ibi enim est Divinum verum, ita propter Ipsum Dominum, tunc inter angelos est, et tunc nec vilipendit lucrum, quatenus id conducit ei ad vitam in mundo, sed non pro fine habet lucrum, verum usus inde, quos spectat ut fines medios ad finem ultimum coelestem; ita nullatenus ponit cor in lucro. Quod nuditas signi-

ficet absque veris, constare etiam potest ab aliis locis in Verbo, ut apud Johannem „Angelo Ecclesiae Laodicensium scribe, quia dicis quod dives sim, et ditatus sim, ut nullius opus habeam, cum non scias quod tu sis miser et miserabilis, et egenus, et caecus et *Nudus*" Apoc: III: 17; ibi nudus pro in veri penuria. Apud Eundem „Consulo te, ut emas a Me aurum igne purificatum, et vestimenta alba ut induaris, et non manifestetur *pudor nuditatis tuae*" Apoc: III: 18; emere aurum pro comparare et appropriare sibi bonum; ut ditescas pro ut in bono coelesti et spirituali sit; vestimenta alba pro vera spiritualia; pudor nuditatis pro quod absque bonis et veris; quod emere sit sibi comparare et appropriare, videatur n: 5374; quod aurum sit bonum coeleste et spirituale, n: 1551. 1552. Vestimenta quod sint vera, n: 1073. 2576. 4545. 4763. 5248. 5319; quod album praedicetur de vero, quia ex luce coeli, n: 3301. 3993. 4007. 5319. Apud Eundem „Ecce venio sicut fur, beatus qui vigilat, et servat vestimenta sua, *ut non nudus ambulet*" Apoc: XVI: 15; qui servat vestimenta sua, pro qui vera; ne nudus ambulet, pro ne absque veris. Apud Matthaeum „Rex dicet illis a dextris, *Nudus fui* et *circuminduistis Me:* et illis a sinistris, *nudus et non circuminduistis Me*" XXV: 36. 43, nudus pro bonis qui agnoscunt nihil boni et veri in se esse, n: 4958. Apud Esaiam „Nonne hoc jejunium, frangere famelico panem tuum, et ut afflictos exules introducas in domum, *cum videris nudum et obtexeris illum*" LVIII: 7, similiter. Apud Jeremiam „Peccatum peccavit Hierosolyma, ideo in menstruam facta, omnes qui honoraverunt eam, vilipenderunt eam, *quia viderunt nuditatem ejus*" Thren: I: 8, ubi nuditas pro absque veris. Apud Ezechielem „Venisti in decora decorum, ubera solidata sunt, et crinis tuus crevit, eras tamen *nuda* et *nudata*. Expandi alam meam super te, et *operui nuditatem tuam*. Non recordata es dierum juventutis tuae, *cum esses nuda* et *denudata*" XVI: 7. 8. 22, ibi de Hierosolyma, per quam intelligitur Ecclesia Antiqua, qualis cum instaurata, et qualis dein facta, quod nempe primum absque veris, sed dein instructa in veris, et quod demum ea rejecerit. Apud Eundem „Si vir justus qui fecerit judicium et justitiam, panem suum famelico det, et *nudum contegat veste*" XVIII: 7; nudum contegere veste pro instruere in

veris illos qui desiderant vera. Apud Hoscheam „ Ne forte *exuam eam nudam*, sistam eam secundum diem pari ejus, ponam eam sicut desertum, et disponam eam sicut terram siccitatis, et occidam eam per sitim " II: 3; exuere nudam pro ut sit absque veris. Apud Nahum „ Ostendam Gentibus *Nuditatem tuam*, et regnis ignominiam tuam " III: 5, ostendere gentibus nuditatem pro turpitudinem, omnis turpitudo est a non veris, et omnis pulchritudo a veris, n: 4985. 5199.

5434. Et dixerunt ad eum, non Domine, recti nos, quod significet quod vera sint in se, constat ex significatione dicere ad eum non domine, quod sit quod non ad captandum lucrum, quae significantur per Josephi verba, Exploratores vos, n: 5432, et quod non sit quod illis nihil potius quam sibi scire quod non vera sint, quae significantur per Josephi verba, ad videndum nuditatem terrae venistis, n: 5433; et a significatione recti nos, quod sit quod vera sint in se; rectum enim significat verum in sensu interno, hic ut multoties in Verbo alibi. Hic sensus, nempe quod vera sint in se, sequitur ex serie, nam apud illos, qui vera Ecclesiae sibi compararunt lucri causa, vera non quidem illis vera sunt, ut supra n: 5433 ostensum, sed usque in se vera possunt esse, ipsa enim vera Ecclesiae in communi significantur per filios Jacobi. Quod recti sint vera abstracte, est quia in sensu interno abstrahuntur omnia a personis, quod idea personae vertatur in ideam rei, videatur n: 5225. 5287; causa est, quia cogitatio et inde loquela alioquin non potest quam distrahi et dilabi a re et ejus intuitione ad talia quae personae sunt, et praeterea cogitatio et inde loquela nec aliter potest universalis fieri, et comprehendere simul multa, minus indefinita et ineffabilia, ut apud Angelos; usque tamen abstractum illud involvit personas, nempe illos qui in illis sunt; inde est quod recti significent vera.

5435. Et servi tui veniunt ad emendum cibum, quod significet, quod sint ad appropriandum naturali per bonum, nempe vera illa, constat ex significatione servorum, quod sint inferiora, et naturalia respective, de qua n: 2541. 3019. 3020. 5161. 5164. 5305, inde etiam vera n: 3409, nam vera subjecta sunt bono, et quae subjecta sunt vocantur in Verbo servi, hic itaque vera in naturali respective ad coeleste spiritualis; ex

significatione emere, quod sit appropriari, de qua n: 4397. 5374. 5406. [xx] 5410; et ex significatione cibi, quod sit bonum coeleste et spirituale, de qua n: 5147, tum verum bono adjunctum, n: 5340. 5342, hic itaque verum adjungendum naturali per bonum, ita appropriandum: verum nusquam aliter appropriatur homini quam per bonum, at cum appropriatum est per bonum, tunc verum fit bonum, nam tunc unum agit cum illo; faciunt enim simul sicut unum corpus, cujus anima est bonum, vera in bono illo sunt quasi fibrae spirituales, quae formant corpus; quapropter etiam per fibras significantur intimae formae procedentes ex bono, et per nervos vera, n: 4303. 5189 f.

5436. Omnes nos filii viri unius, quod significet quod vera illa ex una origine sint, constat ex significatione filiorum, hic filiorum Jacobi, quod sint vera in communi, de qua saepe prius; quod viri unius, sit quod sint ex una origine, patet absque explicatione.

5437. Recti nos, quod significet quod ita vera in se, constat ex significatione recti nos, quod sint vera in se, de qua mox supra n: 5434.

5438. Non sunt servi tui exploratores, quod significet quod non propter lucrum, constat ex significatione exploratorum, quod sint in Ecclesiae veris propter lucrum, de qua supra n: 5432, hic quod non sint.

5439. Et dixit ad illos, non, quod nuditatem terrae venistis ad videndum, quod significet quod illis non curae num vera sint, constat ex significatione venire ad videndum nuditatem terrae, quod sit quod nihil potius illis quam sibi scire, quod non vera sint, de qua n: 5433, hic simile, quod illis non curae num vera sint.

5440. Et dixerunt duodecim servi tui fratres nos, quod significet quod omnia fidei simul ita conjuncta, constat ex significatione duodecim, quod sint omnia, et cum praedicantur de filiis Jacobi, ut hic, seu de tribubus ab illis nominatis, et quoque de Apostolis, sunt omnia fidei in uno complexu, de qua n: 577. 2089. 2129. 2130. 2553. 3272. 3488. 3858. 3862. 3913. 3926. 3939. 4060; et ex significatione fratrum, quod sit conjunctio per bonum, nam vera cum conjunguntur per bo-

num, induunt inter se quasi fraternitatem: si absque bono conjuncta appareant, usque tamen non conjuncta sunt, falsa mali semper intrant, et disjungunt; causa est, quia non habent unam originem ex qua, nec habent unum finem ad quem; primum et ultimum conjungent, ut sit conjunctio, primum erit bonum a quo, et ultimum erit bonum ad quod: et praeterea ut conjuncta sint vera, erit bonum universaliter regnans, quod universaliter regnat, hoc conjungit. Quod frater sit affectio boni, ita bonum, videatur n: 2524. 2360. 3303. 3459. 3803. 3815. 4121.

5441. Filii viri unius, quod significet ex una origine, constat ex illis quae mox supra n: 5436 dicta sunt, ubi similia verba.

5442. In terra Canaan, quod significet in Ecclesia, constat ex significatione terrae Canaan, quod sit Regnum Domini et Ecclesia, de qua n: 1413. 1437. 1607. 3038. 3481. 3705. 3686. 4447.

5443. Et ecce minimus cum patre nostro hodie, quod significet quod etiam conjunctio cum bono spirituali, constat ex repraesentatione Benjaminis, qui hic minimus, quod sit medium conjungens, de qua sequitur; et ex repraesentatione Jacobi, hic Israëlis, qui hic pater, quod sit bonum spirituale, de qua n: 3654. 4598. [12] Quod Benjamin sit spirituale coelestis, quod medium, videatur n: 4592. 5411. 5413. 5419, nempe medium naturalis seu illorum quae naturalis cum coelesti spiritualis, quod Josephus; et quia Benjamin est medium, et Israël bonum spirituale, ideo per illa verba, ecce minimus cum patre nostro hodie, significatur conjunctio cum bono spirituali.

5444. Et unus non est, quod significet quod Divinum spirituale a quo, non appareat, constat ex repraesentatione Josephi, qui hic est unus, quod sit coeleste spiritualis, seu quod idem, Divinum Spirituale, seu Verum a Divino, de qua n: 3969. 4286. 4592. 4723. 4727. 4963. 5249. 5307. 5331. 5332. 5417; et quia omnis conjunctio Veri in naturali a Divino spirituali procedit, dicitur Divinum spirituale a quo; et ex significatione non est, quod sit quod non appareat, erat enim sed illis non apparuit, quia non erat ibi medium, quod Benjamin.

5445. Et dixit ad illos Joseph, quod significet perceptio-

nem de illa re, nempe de illis quae loquuti fratres ejus, constat a significatione dicere in historicis Verbi, quod sit perceptio, de qua n: 1791. 1815. 1819. 1822. 1898. 1919. 2080. 2619. 3509.

5446. Hoc quod loquutus ad vos, quod significet quod verum sit sicut cogitavi, constat ex significatione loqui, quod sit cogitare, de qua n: 2271. 2287. 2619; quod significetur verum esse id, patet absque explicatione.

5447. Dicendo, exploratores vos, quod significet quod in Ecclesiae veris propter lucrum, constat ex significatione exploratorum, quod sint qui in Ecclesiae veris solum ad captandum lucrum, de qua n: 5432. 5438.

5448. In hoc probabimini, quod significet num ita sit videbitur, constat absque explicatione.

5449. Vivat Pharao, quod significet certum, constat ex eo quod vivat Pharao sit formula asseverandi, ita quod certum sit: novit quidem Joseph, quod non exploratores essent, et quod non venerint ad videndum nuditatem terrae; at usque ita asseveravit, quia certum quod in sensu interno, nempe quod vera Ecclesiae absque conjunctione per bonum cum interiori homine, non aliud pro fine habeant quam lucrum, apud quemcunque sint; at cum conjuncta sunt per bonum cum interiori homine, quod pro fine habeant ipsum bonum et verum, ita Ecclesiam, Regnum Domini, et Ipsum Dominum; et cum haec pro fine habent, tunc etiam cedit illis lucrum quanto opus, secundum Domini verba apud Matthaeum „ Quaerite primum Regnum Dei et Justitiam Ipsius, et omnia adjicientur vobis " VI: 33.

5450. Si exibitis exhinc, nisi in venire frater vester minimus huc, quod significet quod non possit aliter quam quod vera apud vos sint talia, nisi conjuncta sint bono spirituali, non ita explicari potest secundum significationes ipsarum vocum, at [13] hic sensus inde redundat; per fratrem enim minimum significatur hic conjunctio cum bono spirituali, videatur n: 5443.

5451. Mittite [e] vobis unum, et accipiat fratrem vestrum, quod significet si modo conjunctio sit aliqua cum bono illo, constat a significatione fratris vestri, nempe minimi, quod sit conjunctio cum bono spirituali, ut mox supra n: 5450; et ex signi-

ficatione mittere unum et accipiat illum, quod sit si modo sit aliqua, nempe conjunctio, est enim dubitativum quod exponitur.

5452. Et vos vinciemini, quod significet tametsi in caeteris adhuc separatio, constat ex significatione vinciri, quod hic sit separari, nam qui vinctus tenetur, is separatur, nempe a bono spirituali, quod per patrem Israëlem significatur.

5453. Et probabuntur verba vestra, an veritas cum vobis, quod significet quod tunc ita existet, constat ex significatione probari verba, et an veritas, quod sit certum, quod tunc ita existet, nempe sicut ab illis dictum, certum se refert ad illa quae ab illis dicta sunt, et in sensu interno continentur, de quibus supra n: 5434. 5435. 5436. 5437. 5438. 5439. 5440. 5441. 5442. 5443. 5444.

5454. Et si non, vivat Pharao, quod exploratores vos, quod significet alias certum quod vera vobis solum lucri causa, constat ex significatione vivat Pharao, quod sit certum, de qua n: 5449; [14] et ex significatione exploratorum, quod sint in Ecclesiae veris solum ad captandum lucrum, de qua n: 5432. 5438. 5447. [15] Haec et quae proxime praecedunt ulterius explicari supersedentur, quia in antecedentibus in communi explicata sunt; et praeterea sunt talia, quae non distincte in intellectum cadere possunt; communia enim prius in intellectu erunt, et tunc primum subintrant particularia, qualia continentur in his antecedentibus; communia si non recepta fuerint prius, particularia nequaquam admittuntur, imo faciunt taedium, nam nulla affectio particularium datur, nisi prius communia intrarunt cum affectione.

5455. Vers: 17. 18. 19. 20. *Et conclusit illos ad custodiam tribus diebus. Et dixit ad illos Joseph in die tertio, hoc facite, et vivetis, Deum ego timeo. Si recti vos, frater vester unus vinciatur in domo custodiae vestrae, et vos ite, adducite annonam famis domorum vestrarum. Et fratrem vestrum minimum adducatis ad me, et verificabuntur verba vestra, et non moriamini; et fecerunt ita.* Et conclusit illos ad custodiam, significat separationem a se: tribus diebus, significat ad plenum: et dixit ad illos Joseph die tertio, significat perceptionem coelestis spiritualis de veris illis a se separatis, cum impletum: hoc facite, et vivetis, Deum ego timeo, significat quod ita erit

si vita illis a Divino: si recti estis, significat si vera in se sint: frater vester vincietur in domo custodiae vestrae, significat quod fides voluntate separabitur: vos ite, adducite annonam famis domuum vestrarum, significat quod illis interea liberum ut sibi consulant: et fratrem vestrum minimum adducatis ad me, significat usque dum medium adsit: et verificabuntur verba vestra, significat quod tunc erit cum veris sicut pronuntiatum: et non moriamini, significat quod sic veris vita: et fecerunt ita, significat finem hujus status.

5456. Et conclusit illos ad custodiam, quod significet separationem a se, constat ex significatione dare vel concludere in custodiam, quod sit rejectio, ita separatio, de qua n: 5083. 5101.

5457. Tribus diebus, quod significet ad plenum, constat ex significatione trium dierum, quod sit a principio ad finem, ita plenum, de qua n: 2788. 4495; est enim novus status, qui hic nunc describitur; integer ille status significatur per tres dies; ac ultimum ejus, et sic novum, per in die tertio, ut mox sequitur.

5458. Et dixit ad illos Joseph in die tertio, quod significet perceptionem coelestis spiritualis de veris illis a [se] separatis, cum impletum, constat a significatione dicere, quod sit perceptio, de qua n: 1791. 1815. 1819. 1822. 1898. 1919. 2619. 3509; ex repraesentatione filiorum Jacobi, quod sint vera Ecclesiae in communi, de qua prius, hic vera illa a coelesti spiritualis separata, n: 5436; [16] a repraesentatione Josephi, quod sit coeleste spiritualis, de qua etiam prius; et a significatione in die tertio, quod sit ultimum cum novum, de qua n: 5159. 5457, ita cum impletum: inde patet, quod per dixit ad illos Joseph die tertio, significetur perceptio coelestis spiritualis de veris illis a se separatis, cum impletum.

5459. Hoc facite et vivetis, Deum ego timeo, quod significet quod ita erit si vita illis a Divino, constat ex significatione hoc facite, quod sit quod ita erit; ex significatione vivetis, quod sit quod vita illis nempe veris, quae per Jacobi filios hic significantur; et ex significatione Deum ego timeo, quod sit a Divino; per Josephum enim repraesentatur Dominus quoad verum a Divino, quod idem est cum coelesti spiritualis, quare per *ego* hic

in sensu supremo significatur verum a Divino, et per *Deum* Ipsum Divinum quod in coelesti spiritualis, seu Divinum quod in Vero; per *Timere* in sensu supremo, cum praedicatur de Domino, non significatur timor, sed amor; etiam timor Dei passim in Verbo significat amorem in Deum; se habet enim amor in Deum secundum subjecta, amor ille fit timor apud illos qui in cultu externo sunt absque interno; et amor ille fit timor sanctus apud illos qui in cultu spirituali sunt; at fit amor in quo reverentia sancta apud illos qui in cultu coelesti sunt; sed in Domino non erat timor sed purus amor; inde constare potest, quod per Deum ego timeo, cum praedicatur de Domino, significetur Divinus amor, ita Divinum.

5460. Si recti estis, quod significet si vera in se sint, constat a significatione recti esse, quod sit quod vera in se sint, de qua supra n: 5434. 5437.

5461. Frater vester unus vincietur in domo custodiae vestrae, quod significet quod fides voluntate separabitur, constat ex repraesentatione Schimeonis, qui hic est frater unus qui vinciebatur, Vers: 24, quod sit fides voluntate, de qua n: 3869. 3870. 3871. 3872. 4497. 4502. 4508; et a significatione vinciri in domo custodiae, quod sit separari, de qua n: 5083. 5101. 5452. 5456. Cum hoc ita se habet; cum fides voluntate, seu voluntas faciendi verum quod fidei, separatur ab illis qui in Ecclesiae veris sunt, tunc nexus cum Divino est tam levis, ut vix magis sit quam agnitio; influxus enim Divini a Domino apud hominem regeneratum est in bonum et inde in verum, seu quod idem, in voluntatem et inde in intellectum; quantum itaque homo, qui in veris fidei est, recipit bonum a Domino, tantum format Dominus apud illum novam voluntatem in parte ejus intellectuali, quod in parte intellectuali, videatur n: 927. 1023. 1043. 1044. 2256. 4328. 4493. 5113; et tantum influit Dominus, et facit affectionem bonum faciendi, hoc est, exercendi charitatem erga proximum: ex his constare potest, quid intelligitur per quod fides voluntate separabitur, quae per Schimeonem repraesentatur, antequam medium, quod erat Benjamin, sisteretur praesens.

5462. Vos ite, adducite annonam famis domuum vestrarum, quod significet quod illis interea liberum, ut sibi consulant, con-

stat ex significatione vos ite, postquam vincti fuerunt, et loco illorum unus detentus, quod sit quod illis interea liberum; ex significatione annonae, quod sit verum, de qua n: 5276. 5280. [17] 5292; ex significatione famis, quod sit defectus cognitionum et desolatio, de qua n: 5360. 5376; et ex significatione domuum vestrarum, quod sint habitationes ubi in specie cujusvis vera, ita mens naturalis; quod domus sit mens naturalis, videatur n: 4973. 5023, et quod vera, quae per filios Jacobi hic repraesentantur, sint Ecclesiae externae, ita in naturali, n: 5401. 5415. 5428; ex his simul sumtis constare potest, quod per adducite annonam famis domuum vestrarum, significetur, ut in desolatione veri, in qua sunt, sibi et suis consulant.

5463. Et fratrem vestrum minimum adducatis ad me, quod significet usque dum medium adsit, constat ex repraesentatione Benjaminis, quod sit medium, nempe inter coeleste spiritualis et naturale, de qua supra n: 5411. 5443.

5464. Et verificabuntur verba vestra, quod significet quod tunc erit cum veris sicut pronuntiatum est, constare potest absque explicatione; quomodo illi pronuntiarunt de se, consequenter de Ecclesiae veris, quae repraesentabant, videatur supra n: 5434 ad 5456. Cum hoc ita se habet; qui in veris Ecclesiae modo sunt propter lucrum, illi aeque ac alii possunt pronuntiare, quomodo se habet cum veris, ut, pro exemplo, quod vera non approprientur alicui, nisi conjuncta sint cum interiori homine, imo quod ei non conjungi queant nisi per bonum, tum quod non prius sit vita veris; haec et similia quandoque vident illi peraeque ac alii, et quandoque ad apparentiam perspicacius, sed modo tunc quando de illis cum aliis loquuntur; quando autem loquuntur secum, ita cum interiori suo homine, hoc est, cum cogitant, tunc illi qui in veris Ecclesiae sunt modo propter lucrum, vident contraria; et tametsi vident contraria, et corde vera negant, usque persuadere possunt aliis, quod ita se res habeat, imo quod ipsi taliter in veris sint; cupiditas lucri, honoris et famae propter illa, haurit omnia media persuadendi, et nihil lubentius quam talia quae in se vera sunt, haec enim absconditam in se vim attrahendi animos habent: tali facultate, nempe facultate intelligendi num vera sint, praeditus est homo, qualiscunque sit, modo non fatue stupidus, ex causa ut per in-

tellectualem partem possit reformari et regenerari; sed cum in perversa abivit, et prorsus illa quae fidei Ecclesiae sunt rejecit, tunc quidem in simili facultate intelligendi vera est, sed non amplius vult intelligere illa, aversatur illa ad primam auditionem.

5465. Et non moriamini, quod significet quod sic veris vita, nempe cum vera erunt sicut pronuntiatum, constat ex significatione non moriamini, quod sit quod vivatis, ita quod vita veris, quae per illos repraesentantur.

5466. Et fecerunt ita, quod significet finem hujus status, constat ex significatione facere, seu factum, quod sit finis prioris status, et quod involvat principium sequentis, de qua n: 4979. 4987. 4999. 5074. Haec fusius explicare supersedetur, etiam ex causa de qua supra n: 5454: sciendum usque, quod ineffabilia arcana in se contineant, quae ex singulis verbis effulgent in coelis, tametsi ne hilum eorum coram homine appareat; sanctum, quod quandoque appercipitur apud hominem, cum legit Verbum, talia arcana in se plura habet, nam in sancto, quo afficitur homo, latent abscondita innumerabilia, quae coram ipso non patent.

5467. Vers: 21. 22. 23. 24. *Et dixerunt vir ad fratrem suum, profecto rei sumus nos super fratrem nostrum, cujus vidimus angustiam animae in deprecando illo ad nos, et non audivimus, propterea venit ad nos angustia haec. Et respondit Ruben illis, dicendo, nonne dixi ad vos dicendo, ne peccetis in natum, et non auscultavistis; et etiam sanguis ejus ecce inquiritur. Et illi non sciverunt, quod audiens Joseph, quia interpres inter illos. Et conversus a super illis, et flevit, et rediit ad illos, et loquutus ad illos: et accepit ex illis Schimeonem, et vincivit illum ad oculos illorum.* Et dixerunt vir ad fratrem suum, significat perceptionem de causa: profecto rei sumus nos super fratrem nostrum, significat quod in culpa sint quia abalienaverunt internum per non receptionem boni: cujus vidimus angustiam animae, significat statum interni in bono cum abalienatum: in deprecando illo ad nos, et non audivimus, significat ejus continuam sollicitationem absque receptione: et respondit Ruben, significat usque perceptionem ex fide doctrina et intellectu: nonne dixi ad vos dicendo, significat perceptionis gradum inde: ne peccetis in natum, significat ne sejungantur:

et non auscultavistis, significat non receptionem: et etiam sanguis ejus ecce inquiritur, significat conscientiae morsus inde: et illi non sciverunt quod audiens Joseph, significat quod e naturali luce, in qua vera illa, non credatur quod e spirituali luce omnia appareant: quia interpres inter illos, significat quod tunc spiritualia prorsus aliter capiantur: et conversus a super illis, significat aliquid retractionis: et flevit, significat misericordiam: et rediit ad illos, et loquutus ad illos, significat influxum: et accepit ex illis Schimeonem, significat fidem voluntate: et vincivit illum, significat separationem: ad oculos illorum, significat ad apperceptionem.

5468. Et dixerunt vir ad fratrem suum, quod significet perceptionem de causa, constat ex significatione dicere in historicis Verbi, quod sit perceptio, de qua n: 1791. 1815. 1819. 1822. 1898. 1919. 2080. 2619. 3509; et ex significatione vir ad fratrem, quod sit mutuo, de qua n: 4725: hic quod dixerunt vir ad fratrem suum, significetur perceptio de causa, nempe cur Josephus dura loquutus, vocando illos exploratores, et quod in custodia detinuerit tribus diebus, est quia in nunc sequentibus sermocinatio eorum mutua agit de causa; quare de hac perceptio significatur.

5469. Profecto, rei sumus nos super fratrem nostrum, quod significet quod in culpa sint quia abalienaverunt internum per non receptionem boni, constat ex significatione Reus esse, quod sit in culpa esse, et in imputatione propter rejectionem boni et veri, de qua n: 3400; et ex repraesentatione Josephi, qui hic est frater super quem rei, quod sit internum quod rejecerunt seu abalienaverunt, per Josephum enim et Benjaminem repraesentatur Internum Ecclesiae, at per decem reliquos filios Jacobi Externum ejus, Rachel enim, ex qua Josephus et Benjamin, est affectio veri interioris, et Leah affectio veri exterioris, n: 3758. 3782. 3793. 3819; in hoc Capite per Josephum repraesentatur Coeleste spiritualis seu Verum a Divino, quod est Internum, per Benjamin spirituale coelestis, quod est medium procedens inde, et per decem filios Jacobi reliquos repraesentantur vera Ecclesiae externae, ita in naturali, ut pluries supra dictum; agitur etiam de conjunctione Interni Ecclesiae cum Externo ejus, in communi et particulari, unusquisque enim ho-

mo erit Ecclesia in particulari, ut sit pars Ecclesiae communis; in supremo autem sensu agitur de Domino, quomodo Ipse univerat Internum cum Externo in Humano suo, ut id Divinum faceret.

5470. Cum vidimus angustiam animae, quod significet statum Interni interea cum abalienatum, constat ex significatione angustiae animae, quod sit status in quo Internum cum abalienatur ab Externo. Cum hoc statu ita se habet, Dominus continue influit apud hominem cum bono, et in bono cum vero; at homo id vel recipit vel non recipit; si recipit, bene cum illo est, si autem non recipit male cum illo est; cum non recipit, si tunc sentit aliquid anxii, quod hic est angustia animae, spes est quod reformari queat; at si non aliquid anxii sentit, spes evanescit; sunt enim apud hominem quemcunque bini spiritus ab inferno, et bini angeli e coelo; nam homo quia in peccatis natus, nequaquam potest vivere, nisi ab una parte communicet cum inferno, et ab altera cum coelo, vita ejus omnis inde est; cum adolescit homo, et semet [18] ex se regere incipit, hoc est, cum videtur sibi velle et agere ex suo judicio, et de rebus fidei cogitare et concludere ex suo intellectu, tunc si ad mala se confert, spiritus bini ab inferno appropinquant, et bini angeli e coelo paulo se removent; si autem ad bonum se confert, bini angeli e coelo appropinquant, et bini spiritus ab inferno removentur: cum itaque homo ad mala se confert, quod fit [19] apud plerosque in adolescentia, si anxium quid sentitur cum reflectit super id quod malum egerit, indicium est, quod usque recepturus influxum per angelos e coelo, ut quoque indicium est quod postea se reformari passurus; at si nihil anxii sentitur cum reflectit super id quod malum egerit, indicium est, quod non amplius recipere velit influxum per angelos e coelo, et quoque indicium quod postea se reformari non passurus: hic itaque, ubi agitur de veris Ecclesiae Externae, quae per decem filios Jacobi repraesentantur, memoratur de angustia animae, in qua fuit Josephus, cum abalienatus a fratribus, et quoque dein quod Reuben admonuerit illos, per quae significatur quod, cum ille status praecesserit, postea reformatio, seu conjunctio Interni cum Externo existeret, de qua conjunctione in sequentibus agitur: est enim apud illos qui in anxietate tunc, agnitio interna mali,

quae cum revocatur a Domino, fit confessio, et denique poenitentia.

5471. In deprecando illo ad nos, et non audivimus, quod significet ejus continuam sollicitationem absque receptione, constat ex significatione deprecari, quod sit sollicitatio, deprecatio enim ne abalienetur, cum agitur de influxu boni a Divino, est sollicitatio ut recipiatur; bonum enim, quod a Domino influit, continue instat et quasi sollicitat, sed est apud hominem ut recipiatur; inde est, quod deprecatio ne abalienetur, significet continuam sollicitationem: inde sequitur, quod non audire significet non recipi. In sensu literae agitur de pluribus, ut de decem filiis Jacobi, et de Josepho, sed in sensu interno agitur de illis in uno subjecto, vera Ecclesiae Externae seu in naturali, quae repraesentantur per decem filios Jacobi, sunt vera quae in Externo homine, et coeleste spiritualis quod repraesentatur per Josephum, est verum a Divino in Interno homine: similiter se habet alibi in historicis Verbi, sunt enim res quae significantur per personas, et ipsae illae res spectant unum subjectum.

5472. Et respondit Reuben illis dicendo, quod significet usque perceptionem ex fide doctrina et intellectu, constat ex significatione respondere seu dicere ad fratres suos, quod sit perceptio, quod dicere sit perceptio, videatur supra n: 5468; et ex repraesentatione Reubenis, quod sit fides doctrina et intellectu, seu verum doctrinae per quod ad bonum vitae perveniri possit, de qua n: 3861. 3866. Hic quia agitur de sollicitatione boni seu Divini in bono ut recipiatur, memoratur de fide, qualiter illa de receptione boni docet; homo enim quando recedit a bono, cum sentit aliquid anxii, non est ex aliquo dictamine innato, sed est ex fide quam ab infantia hauserat, hoc dictat tunc et facit id anxium; haec causa est, quod Reuben, per quem fides illa repraesentatur, hic loquatur. Dicitur fides doctrina et intellectu, ut distinguatur a fide vita et voluntate, quae fides per Schimeonem repraesentatur.

5473. Nonne dixi ad vos dicendo; quod significet perceptionis gradum inde, constat ex significatione dicere in historicis Verbi, quod sit perceptio, de qua n: 1791. 1815. 1819. 1822. 1898. 1919. 2080. 2619. 3509; et quia dicere hic bis

dicitur, et quoque mox prius, est perceptionis gradus qui significatur.

5474. Ne peccetis in natum, quod significet ne sejungantur, nempe Externum ab Interno, constat ex significatione peccare, quod sit disjunctio, de qua n: 5229, omne enim peccatum sejungit; et ex repraesentatione Josephi, qui hic est natus, quod sit Internum, ut supra n: 5469.

5475. Et non auscultavistis, quod significet non receptionem, constat ex significatione audire seu auscultare, quod sit obedire, de qua n: 2542. 3869. 4652 ad 4660. 5017; et quia est obedire, etiam est recipere, ut supra n: 5471, qui enim obedit quae fides dictat, is recipit: hic non receptio, quia dicitur non auscultavistis.

5476. Et etiam sanguis ejus ecce inquiritur, quod significet conscientiae morsus inde, constat ex significatione sanguinis, quod sit violentia illata bono seu charitati, de qua n: 374. 1005; haec violentia seu hic sanguis cum inquiritur, facit anxium internum, quod vocatur conscientiae morsus; sed modo apud illos qui in anxio fuerunt cum peccarunt, videatur n: 5470.

5477. Et illi non sciverunt quod audiens Joseph, quod significet quod e naturali luce, in qua vera illa, non credatur quod a spirituali luce omnia appareant, constat ex repraesentatione filiorum Jacobi, qui non sciverunt, quod sint vera Ecclesiae Externae, ita in naturali, de qua saepe prius; inde est quod significetur, quod e naturali luce, in qua vera illa, non credatur; et ex repraesentatione Josephi, quod sit coeleste spiritualis, quod in spirituali luce est; quod ex illa luce appareant vera in naturali, significatur per quod audiens Joseph, audire enim significat et obedire et appercipere, n: 5017; ita quod vera in naturali e luce spirituali apparuerint, non autem vicissim. Cum luce naturali et luce spirituali ita se habet; lux naturalis est a sole mundi, et lux spiritualis est a sole coeli qui est Dominus; omnia vera fidei, quae homo ab infantia haurit, capiuntur per talia objecta et inde ideas, quae sunt a luce mundi, ita omnia et singula naturaliter; omnes enim ideae cogitationis hominis, quamdiu is vivit in mundo, fundantur super talibus quae sunt in mundo, quapropter si haec illi auferrentur, periret pror-

nus ejus cogitatio; homo qui non regeneratus est, prorsus nescit quod lux spiritualis detur, ne quidem quod in coelo detur lux quae nihil commune habet cum luce mundi, minus scit, quod illa lux sit, quae illustrat ideas et objecta quae sunt a luce mundi, et facit ut homo possit cogitare, concludere, reflectere; quod spiritualis haec lux id facere possit, est quia lux illa est ipsa sapientia quae procedit a Domino, illa ut lux sistitur coram visu angelorum in coelo: ex hac luce apparent omnia et singula quae infra sunt, seu quae ex naturali luce apud hominem sunt, non autem vicissim, nisi homo regeneratus sit, tunc illa quae coeli sunt, hoc est, quae boni et veri, ex illustratione a luce spirituali apparent in naturali, sicut in speculo repraesentativo: inde evidens est, quod Dominus, Qui est ipsa Lux, videat omnia et singula, quae in cogitatione et voluntate hominis, imo quae in universa natura, et quod nihil prorsus Ipsum lateat: ex his tunc constare potest, quomodo cum hoc se habet, quod nempe e naturali luce, in qua vera illa, non credatur quod e spirituali luce omnia appareant, quae significantur per quod illi non sciverunt quod audiens Joseph. Quod agnoverit Joseph fratres suos, et illi non agnoverint illum, supra Vers: 8, simile involvit, per illa enim significatur quod vera illa Ecclesiae, Coelesti spiritualis ex luce ejus apparerent, et quod verum a Divino non appareret in luce naturali nondum a luce coelesti illuminata, de quibus videatur n: 5427. 5428.

5478. Quia interpres inter illos, quod significet quod tunc spiritualia prorsus aliter capiantur, constat ex significatione interpretis inter illos, quod sit quod spiritualia aliter capiantur, interpres enim linguam unius transfert in linguam alterius, ita alterius sensa exponit ad captum alterius, inde est quod per interpretem inter illos significetur, quod tunc spiritualia prorsus aliter capiantur, nempe ab illis qui sunt in Ecclesiae veris nondum per bonum conjunctis interno homini. Quod vera Ecclesiae prorsus aliter capiantur ab illis qui in bono sunt, hoc est, apud quos vera illa conjuncta sunt bono, quam ab illis qui non in bono sunt, hoc apparet quidem sicut paradoxon, sed usque est verum; vera enim ab illis qui in bono sunt, spiritualiter capiuntur, quia in spirituali luce sunt, at vera ab illis qui non in bono sunt, naturaliter capiuntur, quia in naturali luce sunt; inde

vera ab illis, qui in bono sunt, sibi conjuncta habent vera continue, sed ab illis qui non in bono sunt, sibi conjuncta habent perplura fallacia, et quoque falsa; causa est, quia vera apud illos qui in bono sunt, se extendunt in coelum, at vera apud illos qui non in bono sunt, se non extendunt in coelum, sunt inde vera apud illos, qui in bono sunt, plena, at apud illos, qui non in bono sunt, paene vacua; plenitudo illa, et vacuitas illa, non apparent coram homine, quamdiu in mundo vivit, at coram angelis: si homo sciret, quantum coeleste esset in veris conjunctis bono, prorsus aliter de fide sentiret.

5479. Et conversus a super illis, quod significet aliquid retractionis, constat a significatione converti a super illis, cum praedicatur de influxu boni a Divino seu Domino, quod sit aliquid retractionis; Dominus enim nusquam convertit se ab aliquo, sed moderatur influxum boni secundum statum hominis seu angeli; haec moderatio est, quae intelligitur per retractionem.

5480. Et flevit, quod significet misericordiam, constat ex significatione flere, cum praedicatur de Domino, Qui hic per Josephum repraesentatur, quod sit misereri; quod fletus sit doloris et amoris, notum est, consequenter est Misericordiae, nam Misericordia est amor dolens; amor Divinus ideo vocatur Misericordia, quia Genus humanum ex se in inferno est; et cum hoc appercipit in se homo, Misericordiam implorat. Quia fletus etiam est Misericordia in sensu interno, idcirco aliquoties in Verbo praedicatur fletus de Jehovah seu Domino, ut apud Esaiam „*Deflebo fletu* Jaëserem, vitem Sibmae, *rigabo te lachryma mea* Chesbon et Elealeh" XVI: 9: [20] et apud Jeremiam „Ego scio, dictum Jehovae, indignationem Moabi, quod non rectus; propterea super Moabo *ejulabo*, et ob Moabum totum *clamabo*, supra *fletum* Jaëseris *flebo* ob te, vitis Sibmae" XLVIII: 31. 32; Moabus pro illis qui in bono naturali sunt, et se seduci patiuntur, et cum seducti adulterant bona, n: 2468; ejulare, clamare, flere super illum, pro misereri et dolere. Similiter apud Lucam „Jesus cum appropinquavit aspiciens urbem, *flevit super illa*" XIX: 41; Hierosolyma super qua Jesus flevit, seu cujus misertus et super qua doluit, non solum fuit urbs Hierosolyma, sed Ecclesia, cujus ultimus dies, cum

nulla Charitas et inde nulla fides amplius futura, in sensu interno intelligitur, inde ex miseratione et dolore flevit; quod Hierosolyma sit Ecclesia, videatur n: 2117. 3654.

5481. Et rediit ad illos, et loquutus ad illos, quod significet influxum, constat ex significatione redire ad illos, et loqui ad illos, postquam se converterat a super illis, quod sit influxus; coeleste enim spiritualis seu verum a Divino, quod repraesentatur per Josephum, influit in vera quae in naturali; hoc in sensu literae exprimitur per redire ad illos, et loqui ad illos; quod loqui etiam sit influere, videatur n: 2951.

5482. Et accepit ex illis Schimeonem, quod significet fidem voluntate, constat ex repraesentatione Schimeonis, quod sit fides voluntate, de qua n: 3869. 3870. 3871. 3872. 4497. 4502. 4503: quod fides voluntate ab illis separata sit, est quia nondum aderat medium, quod repraesentatur per Benjaminem; influit enim Verum a Divino, quod repraesentatur per Josephum, per medium in bonum fidei, et per hoc in verum ejus, seu quod idem, in velle verum, et per hoc [in] intelligere verum, seu quod adhuc idem, in charitatem erga proximum, et per hanc in fidem; alia via influxus apud hominem, qui regeneratus est, non datur, nec alia via influxus apud Angelos: se habet hoc comparative sicut influxus solis in subjecta telluris; dum ex semine producit illa, ac renovat illa, tunc influit cum calore, ut fit tempore veris et aestatis, et simul cum luce, et sic producit; per solam lucem nihil prorsus producit, ut patet a subjectis illis tempore hyemis: calor spiritualis est bonum amoris, et lux spiritualis est verum fidei; etiam calor spiritualis in subjectis regni animalis producit calorem vitalem, et lux spiritualis producit vitam inde.

5483. Et vincivit illum, quod significet separationem, constat ex significatione vincire, quod sit separatio, de qua n: 5083. 5101. 5452. 5456.

5484. Ad oculos illorum, quod significet ad apperceptionem, constat ex significatione oculorum, quod sit intellectus et apperceptio, de qua n: 2701. 4083. 4403 ad 4421. 4523 ad 4534.

5485. Vers: 25. 26. 27. 28. *Et praecepit Joseph, et impleverunt vasa illorum frumento, et ad reducendum argentum illorum, cujuslibet in saccum illius, ad dandum illis viaticum*

ad viam; et fecit illis ita. Et sustulerunt annonam suam super asinos suos, et iverunt inde. Et aperuit unus saccum suum, ad dandum pabulum asino suo, in diversorio, et vidit argentum suum, et ecce illud in ore manticae illius. Et dixit ad fratres suos, reductum argentum meum, et etiam ecce in mantica mea, et exivit cor illorum, et intremuerunt vir ad fratrem suum, dicendo, quid hoc fecit Deus nobis. Et praecepit Joseph, significat influxum a coelesti spiritualis: et impleverunt vasa illorum frumento, significat scientifica quod bono a vero sint donata: et ad reducendum argentum illorum, significat absque illorum ulla potentia: cujuslibet in saccum suum, significat ubicunque receptaculum in naturali: et ad dandum illis viaticum in viam, significat et quod sustentaret vera quae illis: et fecit ita, significat effectum: et sustulerunt annonam super asinos suos, significat vera collata in scientifica: et iverunt inde, significat inde vitam: et aperuit unus saccum suum, significat observationem: ad dandum pabulum asino suo in diversorio, significat cum reflecteret super scientifica in naturali exteriori: et vidit argentum suum, significat apperceptionem quod absque ulla potentia propria: et illud in ore manticae suae, significat quod donata, et reposita in limine naturalis exterioris: et dixit ad fratres suos, significat perceptionem communem: reductum argentum meum, significat quod nihil opis ab illis: et etiam ecce in mantica mea, significat quod in naturali exteriori: et exivit cor illorum, significat timorem: et intremuerunt vir ad fratrem, significat terrorem communem: dicendo, quid hoc fecit Deus nobis, significat ob tantum Providentiae.

5486. Et praecepit Joseph, quod significet influxum a coelesti spiritualis, constat a significatione praecipere, cum praedicatur de coelesti spiritualis seu de interno respective ad externum, quod sit influxus, internum non aliter praecipit, quam per influxum, et tunc dispositionem ad usum; et a repraesentatione Josephi, quod sit coeleste spiritualis, de qua saepe prius.

5487. Et impleverunt vasa illorum frumento, quod significet scientifica quod bono a vero sint donata, constat ex significatione implere quia gratis, quod sit donari; a significatione vasorum, quod sint scientifica, de qua n: 3068. 3079; et a

significatione frumenti, quod sit bonum a vero, seu bonum veri, de qua n: 5295.

5488. Ad reducendum argentum illorum, quod significet absque illorum ulla potentia, constat ex significatione emere argento, quod sit comparare sibi ex suo, hic itaque reducere argentum, est donare gratis, seu absque illorum ulla potentia; sicut etiam apud Esaiam „Omnis sitiens ite ad aquas, et *cui non argentum*, ite, *emite*, et comedite, et ite, *emite sine argento*, et sine pretio, vinum et lac." [LV: 1.]

5489. Cujuslibet in saccum suum, quod significet ubicunque receptaculum in naturali, constat ex significatione sacci, quod sit receptaculum, de qua sequitur; quod in naturali, est quia de veris ac scientificis quae in naturali agitur. Saccus hic in specie significat scientificum, ex causa quia sicut saccus est receptaculum frumenti, ita scientificum est receptaculum boni, hic boni quod a vero, ut supra n: 5487. [21] Quod scientificum sit receptaculum boni, pauci sciunt, quia pauci reflectunt super talia; sciri tamen potest ex his; scientifica quae intrant in memoriam, semper introducuntur per aliquam affectionem; quae non per aliquam affectionem introducuntur, ibi non haerent, sed praeterlabuntur; causa est, quia affectioni inest vita, non autem scientificis nisi per affectionem; inde patet, quod scientifica sibi semper conjuncta habeant talia quae sunt affectionis, seu quod idem, quae sunt amoris alicujus, consequenter aliquod bonum, nam omne quod est amoris, vocatur bonum, sive sit bonum, sive putetur esse bonum; formant itaque scientifica cum bonis illis sicut conjugium; inde est, quod, cum bonum illud excitatur, etiam illico excitetur scientificum, cum quo illud conjunctum est; ut et vicissim, cum scientificum revocatur, etiam bonum ei conjunctum prodeat; hoc unusquisque apud se, si libet, experiri potest. Inde nunc est, quod apud non regeneratos, qui bonum charitatis rejecerunt, scientifica, quae sunt vera Ecclesiae, adjuncta sibi habeant talia quae sunt amoris sui et mundi, ita mala, quae ob jucundum quod inest, vocant bona, et quoque per sinistras interpretationes faciunt bona; haec scientifica prodeunt ad apparentiam concinne, cum amores illi universaliter regnant, et secundum gradum quo regnant; at apud regeneratos, scientifica quae sunt vera Ecclesiae, adjun-

cta sibi habent talia, quae sunt amoris erga proximum, et amoris in Deum, ita genuina bona; haec a Domino reponuntur in veris Ecclesiae apud omnes qui regenerantur; quapropter cum Dominus apud hos insinuat zelum pro bono, vera illa tunc suo ordine prodeunt, et quando zelum pro vero, bonum illud adest, et accendit eum. Ex his constare potest, quomodo se habet cum scientificis et cum veris, quod sint receptacula boni.

5490. Et ad dandum illis viaticum in viam, quod significet et quod sustentaret vera quae illis, constat ex significatione dare viaticum, quod sit sustentatio; et ex significatioue viae, quod sit verum, de qua n: 627. 2333, hic autem in via est quamdiu in statu illo, nam esse in via significat statum veri conjuncti bono, n: 3123. Per viaticum etiam sustentatio a vero et bono, significatur apud Davidem „Depluere fecit super eos man in cibum, et frumentum coelorum dedit illis: panem robustorum comedit vir; *viaticum* misit illis ad satietatem" Ps: LXXVIII: 24. 25.

5491. Et fecit ita, quod significet effectum, constat absque explicatione.

5492. Et sustulerunt annonam suam super asinos suos, quod significet vera collata in scientifica, constat ex significatione annonae, quod sit verum, de qua n: 5276. 5280. 5292. 5402; et ex significatione asini, quod sit scientificum, de qua n: 2781; inde sequitur, quod per sustulerunt annonam suam super asinos suos, significetur quod vera collata in scientifica. Quod significatio horum verborum haec sit, apparet alienum ei qui mentem in sensu literae historico tenet, et magis si sensum alium internum, quam qui proxime elucet ex litera, dari non credit; dicet enim secum, quomodo tollere annonam super asinos suos, potest significare vera collata in scientifica; sed sciat quod sensus literae Verbi, in sensum talem spiritualem transeat, cum ab homine ad angelos seu in coelum, imo in magis adhuc alienum, cum in coelum intimum, ubi omnia et singula Verbi in affectiones quae sunt amoris et charitatis, transeunt, cui pro plano inservit sensus internus: quod historica Verbi in alium sensum abeant, cum elevantur in coelum, constare potest ei qui ex ratione concludit, et qui aliquid novit de naturali et de spirituali, is videre potest, quod tollere annonam super asinos suos,

sit pure naturale, et quod prorsus non ibi sit aliquid spirituale; et quoque videre potest, quod angeli qui in coelo seu qui in spirituali mundo sunt, non possint aliter capere illa verba quam spiritualiter, et quod spiritualiter capiantur, cum correspondentiae loco illorum intelliguntur, nempe verum Ecclesiae pro annona, et scientifica quae in naturali pro asinis; quod per asinos in Verbo significentur servitia, ita scientifica, nam haec sunt servitia respective ad spiritualia, et quoque ad rationalia, ostensum videatur n: 2781: inde patet quoque, qualis est cogitatio et loquela angelica respective ad cogitationem et loquelam humanam, nempe quod illa cogitatio et loquela sit spiritualis, haec autem naturalis; et quod illa in hanc cadat cum descendit, et quod haec in illam vertatur cum ascendit: nisi ita foret, nullatenus aliqua communicatio foret hominis cum angelis, seu mundi cum coelo.

5493. Et iverunt inde, quod significet inde vitam, constat ex significatione ire, quod sit vivere, de qua n: 3335. 3690. 4882: similiter se habet cum ire, quod in spirituali sensu sit vivere, sicut cum illis, quae mox supra, n: 5492, dicta sunt.

5494. Et aperuit unus saccum suum, quod significet observationem, constat a significatione sacci, quod sit receptaculum in naturali, de qua supra n: 5489. [et infra n:] 5497, [22] quod id bono a vero donatum, n: 5487; aperire illud, quod sit observare, ex serie patet, nam per verba quae sequuntur, ad dandum pabulum asino suo in diversorio, significatur cum reflecterent super scientifica in naturali exteriori.

5495. Ad dandum pabulum asino suo in diversorio, quod significet cum reflecterent super scientifica in naturali exteriori, constat ex significatione dare pabulum asino suo, quod sit reflectere super scientifica, pabulum enim est cibus quo pascuntur asini, et sunt stramen et palea, inde est omnis reflexio super scientifica, nam reflexio imprimis pascit illa; quod asinus sint scientifica, videatur mox supra n: 5492; et ex significatione diversorii, quod sit naturale exterius; quod diversorium hic sit naturale exterius, non quidem a parallelis locis in Verbo alibi confirmari potest, sed usque ex eo, quod scientifica sint quasi in suo diversorio quando in naturali exteriori; quod naturale duplex sit, exterius et interius, videatur n: 5118; scientifica

cum in naturali exteriori sunt, communicant immediate cum sensibus externis corporis, ac ibi super his se reponunt et quasi requiescunt; inde est, quod naturale hoc sit diversorium seu locus requietis aut pernoctationis scientificis.

5496. Et vidit argentum suum, quod significet [apperceptionem] quod absque ulla potentia propria, constat ex significatione videre, quod sit intelligere et appercipere, de qua n: 2150. 2325. 2807. 3764. 3863. 4403 ad 4421. 4567. 4723. 5400; et ex significatione argentum quod reductum, quod sit absque illorum ulla potentia, de qua n: 5488.

5497. Et illud in ore manticae suae, quod significet quod donata et reposita in limine naturalis exterioris, constat ex significatione oris manticae quod sit limen naturalis exterioris; quod ibi reposita, involvitur; et quod donata, sequitur ex antecedentibus his, « quod absque ulla potentia propria »: mantica, quia erat anterior [23] pars sacci, ideo per illam nec aliud significatur quam receptaculi pars anterior, ita naturale exterius, nam hoc etiam anterius est; quod saccus sit receptaculum, videatur n: 5489. 5494. Ut sciatur quid Naturale exterius et naturale interius, iterum paucis dicendum est; puer qui in ephebis adhuc est, non cogitare ex altiori potest, quam ex naturali exteriori, ex sensualibus enim componit suas ideas; ut vero adolescit, et ex sensualibus concludit ad causas, ita incipit cogitare ex naturali interiori, ex sensualibus enim tunc aliqua vera format, quae supra sensualia vadunt, at usque manent intra illa quae sunt in natura: cum autem juvenis fit, sicut tunc adolescit, si rationale suum excolit, ita ex illis quae in naturali interiori sunt, format rationes, quae sunt vera adhuc sublimiora, et quasi extracta ab illis quae in Naturali interiori; ideae cogitationis ex his vocantur in mundo erudito ideae intellectuales et immateriales; at ideae ex scientificis utriusque naturalis, quatenus trahunt a mundo ex sensibus, vocantur ideae materiales: ita scandit homo intellectu a mundo versus coelum; sed usque non intellectu in coelum venit, nisi recipit bonum a Domino, quod continue adest et influit; et si recipit bonum, etiam donatur veris, in bono enim omnia vera hospitantur; et sicut donatur veris, ita donatur intellectu, ex quo in coelo est.

5498. Et dixit ad fratres suos, quod significet perceptio-

nem communem, constat ex significatione dicere in historicis Verbi, quod sit perceptio, de qua saepius prius; et ex significatione ad fratres, quod sit communis, nam quod ad omnes dicitur, hoc fit commune.

5499. Reductum argentum meum, quod significet quod nihil opis ab illis, constat ex significatione reducere argentum, quod sit absque ulla illorum potentia, seu quod idem, quod nihil opis ab illis, de qua supra n: 5488. 5496.

5500. Et etiam ecce in mantica mea, quod significet quod in naturali exteriori, constat ex significatione manticae, quod sit naturale exterius, de qua mox supra n: 5497.

5501. Et exivit cor illorum, quod significet timorem, constat ex significatione exire cor, quod sit timor; quod exire cor sit timor, est quia cor in timore palpitat.

5502. Et intremuerunt vir ad fratrem, quod significet terrorem communem, constat ex significatione intremiscere, quod sit terror; et ex significatione vir ad fratrem, quod sit communis, ut mox supra n: 5498. Quod timor hic bis exprimatur, nempe per exivit cor, et intremuerunt, est quia unum se refert ad voluntatem, et alterum ad intellectum; solenne enim est in *Verbo*, imprimis prophetico, unam rem bis exprimere, solum mutatis vocibus: qui non novit mysterium quod inibi, autumare potest, quod sit repetitio inanis, sed usque non ita est, una expressio se refert ad bonum, altera ad verum, et quia bonum est voluntatis et verum est intellectus, simul una se refert ad voluntatem, altera ad intellectum: causa est, quia in Verbo omne sanctum est, et sanctum est ex conjugio coelesti, quod est boni et veri; inde est quod coelum sit in Verbo, consequenter Dominus Qui est omne in omnibus coeli, adeo ut Dominus sit Verbum; bina Nomina Domini, nempe Jesus Christus, idem involvunt, Nomen Jesus Divinum Bonum, et Nomen Christus Divinum Verum, videatur n: 3004. 3005. 3008. 3009; inde etiam patet, quod Dominus sit in omnibus Verbi, adeo ut sit ipsum Verbum: quod Conjugium boni et veri, seu conjugium coeleste, sit in singulis Verbi, videatur n: 683. 793. 801. 2516. 2712. 5138. Inde quoque evidenter concludi potest, quod homo, si expectat coelum, non solum erit in Vero quod fidei, sed

etiam in bono quod charitatis, et quod alioquin nullum coelum sit in illo.

5503. Quid haec fecit Deus nobis, quod significet ob tantum Providentiae, constat ex significatione facere Deus, quod sit Providentia, omne enim quod facit Deus, non potest alia voce, quam voce Providentiae, exprimi; causa est, quia in omni quod facit Deus seu Dominus, est aeternum, et est infinitum, haec voci Providentiae insunt; quia obstupuerunt, idcirco significatur ob tantum Providentiae.

5504. Vers: 29. 30. 31. 32. 33. 34. *Et venerunt ad Jacobum, patrem suum, terram Canaan, et indicabant ei omnia obvenientia illis, dicendo. Loquutus vir dominus terrae cum nobis dura, et dedit nos sicut explorantes terram. Et diximus ad eum, recti nos, non sumus exploratores. Duodecim nos fratres filii patris nostri, unus non est, et minimus hodie cum patre nostro in terra Canaan. Et dixit ad nos vir dominus terrae, in hoc sciam quod recti vos, fratrem vestrum unum manere facite mecum, et famem domorum vestrarum accipite, et ite. Et adducite fratrem vestrum minimum ad me, et sciam quod non exploratores vos, quod recti vos; fratrem vestrum dabo vobis, et terram negotiando pervagabimini.* Et venerunt, significat successivum reformationis: ad Jacobum patrem suum, significat bonum veri naturalis: terram Canaan, significat quod est Ecclesiae: et indicabant ei omnia obvenientia illis, significat reflexionem ex bono veri illius super illa quae hactenus provisa: dicendo, significat perceptionem: loquutus vir dominus terrae, significat coeleste spiritualis regnans in naturali: cum nobis dura, significat non conjunctionem cum illo ob non correspondentiam: et dedit nos sicut explorantes terram, significat quod animadverterit vera Ecclesiae fuisse ad captandum lucrum: et diximus ad eum, recti nos, non sumus exploratores, significat negativum quod in veris Ecclesiae lucri causa: duodecim nos fratres, significat omnia vera in uno complexu: filii patris nostri, significat ex una origine: unus non est, significat quod Divinum spirituale a quo, non appareat: et minimus hodie cum patre nostro, significat quod ab ipso adjunctum sit bono spirituali: et dixit ad nos vir dominus terrae, significat apperceptionem de coelesti spiritualis regnante in naturali: in hoc sciam,

quod recti vos, significat quod velit si in veris non propter lucrum: fratrem vestrum unum manere facite mecum, significat quod separaretur fides voluntate ab illis: et famem domorum vestrarum accipite, significat ut prospiciant sibi interea in desolatione illa: et ite, significat ut sic vivant: et adducite fratrem vestrum minimum ad me, significat quod si medium, conjunctio: et sciam quod non exploratores vos, significat quod tunc non amplius vera lucri causa: quod recti vos, significat quod ita correspondentia: fratrem vestrum dabo vobis, significat quod ita vera fient bona: et terram negotiando pervagabimini, significat quod ita fructificabuntur vera ex bono et omnia cedent usui et lucro.

5505. Et venerunt, quod significet successivum reformationis, constat ex significatione venire, nempe ad Jacobum patrem suum, quod hic sit successivum reformationis, per Jacobum enim patrem illorum repraesentatur bonum veri in naturali, ad hoc venire, est eo usque reformari; nam in sensu interno agitur de veris Ecclesiae, quae per filios Jacobi repraesentantur, quomodo illa implantata sunt naturali, et dein conjuncta coelesti spiritualis, seu quod idem, quomodo Vera in Externo homine conjuncta sunt veris a Divino in Interno: ex his patet, quod per venerunt, hic significetur successivum reformationis.

5506. Ad Jacobum patrem suum, quod significet bonum veri naturalis, constat ex repraesentatione Jacobi, quod sit bonum veri naturalis, de qua n: 3659. 3669. 3677. 3775. 4234. 4273. 4538, etiam ex significatione patris, quod sit bonum, n: 3703: venire ad hoc bonum, est reformari eo usque: per hoc bonum dein, accedente medio, quod Benjamin, conjunctio facta est cum Interno, quod Josephus.

5507. Terram Canaan, quod significet quod est Ecclesiae, constat ex significatione terrae Canaan, quod sit Ecclesia, de qua n: 3705. 4447; bonum illud veri, quod repraesentatur per Jacobum, est bonum Ecclesiae Externae, quod autem per Israëlem est Ecclesiae Internae respective.

5508. Et indicabant ei omnia obvenientia illis, quod significet reflexionem ex bono veri illius super illa quae hactenus provisa, constat ex significatione indicare, quod sit cogitare et re-

flectere, de qua n: 2862, nam quod indicatur alicui, hoc cogitatur ex reflexione; et ex significatione omnium obvenientium quod sit quae ex providentia, seu quae provisa, de qua sequitur; quod ex bono veri reflexio illa, est quia indicabant Jacobo patri, per quem bonum veri repraesentatur, n: 5506: quod reflexio non ex veris quae repraesentantur per filios Jacobi, ut sensus literae involvit, est quia omnis reflexio et inde cogitatio quae inferiori seu exteriori, venit ex superiori seu interiori, tametsi apparet ex inferiori seu exteriori; et quia bonum veri quod Jacob repraesentat, est interius, ideo significatur reflexio ex bono veri. Quod obvenientia sint quae ex Providentia, seu quae provisa, est quia omne obveniens seu contingens, quod alioquin fortuitum vocatur, et adscribitur casui, aut fortunae, est ex providentia; Providentia Divina operatur ita invisibiliter et incomprehensibiliter, ob causam ut homo queat ex libero adscribere id vel Providentiae, vel casui; si enim Providentia visibiliter et comprehensibiliter ageret, discrimen foret ne homo ex visuali et comprehensibili crederet quod Providentiae sit, et postea in contrarium iret; ita verum et falsum in interiori homine conjungeretur, et verum prophanaretur, quod damnationem aeternam secum habet; idcirco tenetur homo talis potius in incredulitate, quam ut semel in fide sit, et inde recederet: tale est quod intelligitur apud Esaiam „Dic populo huic, audite audiendo, sed non intelligite, et videte videndo, et non cognoscite; impingua cor populi hujus, et aures ejus aggrava, ac oculos ejus obline, ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et cor ejus intelligat, et *convertatur* et *sanetur sibi*" VI: 9. 10. Joh: XII: 40: inde quoque est, quod hodie nec miracula fiant, haec enim sicut omnia visibilia et comprehensibilia, cogerent hominem ad credendum, et quae cogunt, auferunt liberum, cum tamen omnis reformatio hominis et regeneratio fit in ejus libero; quod non in libero implantatur, hoc non haeret; in libero implantatur, cum homo est in affectione boni et veri, n: 1937. 1947. 2744. 2870 ad 2893. 3145. 3146. 3158. 4031: quod apud Jacobi posteros tanta miracula exstiterint, erat causa, ut cogerentur ad observanda statuta in externa forma, hoc enim satis erat pro illis qui solum in Ecclesiae repraesentativis, in externis erant separatis ab internis, quare quoad

interiora non potuerunt reformari; interiora enim prorsus rejiciebant, inde nec potuerunt vera prophanare, n: 3147. 3398. 3399. 3480. [24] 4680; tales potuerunt cogi absque discrimine prophanationis sancti. Quod homo hodie credere debeat quae non videt, constat quoque a Domini verbis ad Thomam, apud Johannem „Quia vidisti Me, Thoma, credidisti, beati qui non vident, et credunt" XX: 29. Quod contingentia, quae alioquin casui aut fortunae adscribuntur, sint ex Providentia Divina, Ecclesia quidem agnoscit, sed usque non credit: quis enim non dicit, quando ex magno aliquo periculo, ad apparentiam fortuito, emergit, quod a Deo salvatus sit, et quoque gratias Deo agit; cum etiam ad honores evehitur, et quoque cum ad opulentiam venit, etiam vocant hoc benedictionem a Deo; ita agnoscit homo Ecclesiae, quod contingentia sint ex Providentia, sed usque non credit: Sed de his plura, ex Divina Domini Misericordia, alibi.

5509. Dicendo, quod significet perceptionem, constat ex significatione dicere in historicis Verbi, quod sit percipere, de qua saepius prius.

5510. Loquutus vir dominus terrae, quod significet coeleste spiritualis regnans in naturali, constat ex repraesentatione Josephi, qui hic est vir dominus terrae, quod sit coeleste spiritualis; vir praedicatur de spirituali, et dominus de coelesti, nam vir in sensu interno est verum, et dominus bonum, et verum a Divino est quod vocatur spirituale, ac bonum a Divino est quod vocatur coeleste; et ex significatione terrae, hic terrae Aegypti, quod sit mens naturalis, de qua n: 5276. 5278. 5280. 5288. 5301; quod coeleste spiritualis, quod per Josephum repraesentatur, regnaret in utroque naturali, in Capite praecedente in sensu interno continetur; ut id repraesentaretur, Josephus constitutus est super terram Aegypti. Sunt duo in Naturali, nempe scientifica, et vera Ecclesiae, de scientificis, quod coeleste spiritualis seu Verum a Divino illa disposuerit in ordinem in naturali, actum est, de veris Ecclesiae, quae per decem filios Jacobi repraesentantur, nunc agitur: disponentur prius scientifica in ordinem ibi, quam vera Ecclesiae, quia haec ab illis capienda sunt; nihil enim intrare potest intellectum hominis absque ideis a talibus scientificis, quae homo ab infantia sibi compara-

verat; homo prorsus nescit, quod unumquodvis verum Ecclesiae, quod fidei vocatur, fundetur super scientificis ejus, et quod capiat illud, et memoria teneat illud, et e memoria evocet illud, per ideas a scientificis apud illum conflatas; quales illae ideae sunt, solet in altera vita ad vivum ostendi illis qui desiderant, talia enim in luce coeli manifeste videnda sistuntur; et tunc quoque apparet, quibus umbris, vel qualibus lucis radiis obsitum, habuerint verum, quod doctrinae Ecclesiae fuerat; [25] apud quosdam apparet id inter falsa, apud quosdam inter ludicra, etiam inter scandala, apud quosdam inter fallacias sensuum, apud quosdam inter vera apparentia, et sic porro: si homo in bono fuerat, hoc est, si charitatis vitam vixerat, tunc ex bono illo, sicut ex flamma quae e coelo, illuminantur vera, et fallaciae sensuum, in quibus sunt, pulchre radiantur; et cum innocentia insinuatur a Domino, apparent illae sicut vera.

5511. Cum nobis dura, quod significet non conjunctionem cum illo ob non correspondentiam, constat ex significatione loqui dura, cum praedicatur de interno respective ad externum a se separatum, quod sit non conjunctio ob non correspondentiam, de qua supra n: 5422. 5423; si enim non correspondentia est externi cum interno, tunc omne id quod internum est, et ab interno venit, externo apparet durum, quia non est conjunctio: sicut pro exemplo; si dicatur ab Interno, seu ab illo qui in interno est, quod homo nihil cogitet ex se, sed vel ex coelo, hoc est, per coelum a Domino, vel ex inferno, si bonum cogitat quod sit per coelum a Domino, si malum quod sit ab inferno; hoc prorsus ut durum apparet ei qui vult ex se cogitare, et qui credit se tunc nihil esse; cum tamen verissimum est, et omnes qui in coelo, in perceptione sunt, quod ita sit. Similiter si dicatur ab Interno, seu ab illis qui in Interno sunt, quod gaudium in quo angeli, sit ex amore in Dominum, et ex charitate erga proximum, nempe cum in usu sunt praestandi illa quae amoris et charitatis sunt, et quod in his tale gaudium et talis felicitas sit, ut prorsus sit ineffabile; hoc durum erit illis, qui solum in gaudio ex amore sui et mundi sunt, et in nullo proximi nisi propter se; cum tamen coelum, et coeli gaudium tunc in homine incipit, cum respectus sui in usibus quos facit, expirat. Sit etiam hoc pro aliquo exemplo, si dicatur ab interno, quod

anima hominis nihil aliud sit quam internus homo, et quod internus homo post mortem appareat prorsus sicut homo in mundo, simili facie, simili corpore, simili facultate sensitiva, et simili cogitativa; qui foverunt opinionem de anima, quod modo sit cogitativum quid, et sic quasi aethereum, ita absque forma, et quod illa reinduitura corpus, illi alienum a vero putabunt esse, quod anima sit talis, atque durum erit illis, qui credunt quod corpus sit modo homo, audire, quod anima sit ipse homo, et quod corpus, quod tumulatur, ad nihil conducat in altera vita; quod id verum sit, scio, nam, ex Divina Domini Misericordia, fueram cum illis, non cum aliquibus sed cum multis, non semel sed saepe, et loquutus cum illis de eo. Ita quoque in innumeris aliis.

5512. Et dedit nos sicut explorantes terram, quod significet quod animadverterit vera Ecclesiae fuisse ad captandum lucrum, constat ex repraesentatione filiorum Jacobi, qui hic sunt, Nos, quod sint vera Ecclesiae in Naturali, de qua n: 5403. 5419. 5427. 5458: et ex significatione exploratorum seu explorantium terram, quod sint qui in veris Ecclesiae solum ad captandum lucrum, de qua n: 5432.

5513. Et diximus ad eum, recti nos, non sumus exploratores, quod significet negativum quod in veris lucri causa, constat ex significatione dicere ad eum, quod sit responsum, hic negativum; ex significatione recti nos, quod sit quod in veris quae in se vera sunt, de qua n: 5434. 5437. 5460; et ex significatione exploratorum, quod sint qui in veris Ecclesiae lucri causa; hic quod non lucri causa.

5514. Duodecim nos fratres, quod significet omnia vera in uno complexu, constat ex significatione duodecim, quod sint omnia, et cum praedicantur de filiis Jacobi, ut hic, aut de duodecim tribubus ab illis nominatis, et quoque de duodecim apostolis, quod sint omnia fidei in uno complexu, de qua n: 577. 2089. 2129. 2130. 2553. 3272. 3488. 3858. 3862. 3913. 3926. 3939. 4060.

5515. Filii patris nostri, quod significet ex una origine, constat ex significatione filiorum, quod sint vera, de qua n: 489. 491. 533. 1147. 2623. 3373; et ex significatione patris, quod sit bonum, de qua n: 2803. 3703. 3704; inde filii patris

significant vera ex bono, ita ex una origine; sunt etiam omnia vera ex uno bono.

5516. Unus non est, quod significet quod Divinum spirituale ex quo, non appareat, constat ex illis quae supra n: 5444, dicta sunt, ubi eadem verba.

5517. Et minimus hodie cum patre nostro, quod significet quod ab ipso adjunctum sit bono spirituali, constat etiam ex illis quae supra n: 5443, explicata sunt, ubi eadem verba: quod dicatur ab ipso, est quia Medium, quod repraesentatur per Benjaminem, procedit a coelesti spiritualis, quod Josephus.

5518. Et dixit ad nos vir dominus terrae, quod significet apperceptionem de coelesti spiritualis regnante in naturali, constat a significatione dicere in historicis Verbi, quod sit appercipere, de qua saepius prius; et a significatione viri domini terrae, quod sit coeleste spiritualis regnans in naturali, de qua supra n: 5510.

5519. In hoc sciam, quod recti vos, quod significet quod velit si in veris non propter lucrum, constat ex significatione scire, quod [26] hic sit velle, ex serie enim hoc sequitur; et ex significatione quod recti vos, ita quod non exploratores, quod sit quod in veris non propter lucrum, de qua n: 5432. 5512.

5520. Fratrem vestrum unum manere facite mecum, quod significet quod separaretur fides voluntate, constat ex repraesentatione Schimeonis, qui hic est frater unus, quod sit fides voluntate, de qua n: 5482; et ex significatione manere facere, quod sit separari: quomodo haec se habent, prius dictum est.

5521. Et famem domorum vestrarum accipite, quod significet ut prospiciant sibi interea in desolatione illa, constat ex illis, quae supra n: 5462, dicta sunt, ubi similia: quod in desolatione illa, est quia per famem significatur desolatio.

5522. Et ite, quod significet ut sic vivant, constat ex significatione ire, quod sit vivere, de qua n: 3335. 3690. 4882. 5493.

5523. Et adducite fratrem vestrum minimum ad me, quod significet quod si medium conjunctio, constat ex repraesentatione Benjaminis, qui hic est frater minimus, quod sit medium, de qua n: 5411. 5413. 5443; et ex significatione adducere illum ad me, quod sit quod inde conjunctio; per medium enim

fit conjunctio Interni, quod repraesentatur per Josephum, cum Externis quae repraesentantur per filios Jacobi, ut supra n: 5411. 5413. 5427. 5428, ostensum est.

5524. Et sciam quod non exploratores vos, quod significet quod tunc non amplius vera lucri causa, constat ex significatione exploratorum, quod sint qui in veris Ecclesiae lucri causa, hic quod non amplius, si nempe per medium conjunctio.

5525. Quod recti vos, quod significet quod ita correspondentia, constat ex significatione recti vos, quod sit quod in veris sint, rectum enim est verum, n: 5434. 5437; et quia tunc in veris sunt non lucri causa, cum correspondentia, ideo recti vos etiam hoc significat.

5526. Fratrem vestrum dabo vobis, quod significet quod ita vera fient bona, constare potest ex repraesentatione Schimeonis, qui hic est frater quem illis daret, quod sit fides voluntate, de qua n: 5482; et ex repraesentatione decem filiorum Jacobi, qui hic sunt illi quibus daretur, quod sint vera Ecclesiae in naturali, de qua n: 5403. 5419. 5427. 5428. 5512: quod per fratrem vestrum dabo vobis, significetur quod ita vera fient bona, est quia cum datur fides voluntate, vera fiunt bona, verum enim fidei quod est doctrinae, ut primum intrat voluntatem, fit verum vitae, et fit actu verum, et tunc vocatur bonum, et fit quoque bonum spirituale; ex hoc bono formatur a Domino apud hominem nova voluntas: quod voluntas faciat verum ut sit bonum, est causa quia voluntas in se spectata non aliud est quam amor, quicquid enim homo amat, hoc vult, et quicquid non amat non vult; et quia omne quod est amoris seu ex amore, hoc percipitur ab homine ut bonum, jucundat enim illum; inde est, quod omne, quod est voluntatis seu ex voluntate, sit bonum.

5527. Et terram negotiando pervagabimini, quod significet quod ita fructificabuntur vera ex bono et omnia cedent usui et lucro, constat ex significatione negotiari, quod sit cognitiones boni et veri, ita vera Ecclesiae, sibi comparare, et illa communicare, de qua n: 4453; negotiatores vocantur qui talia habent, n: 2967; quare negotiando pervagari terram, est conquirere talia ubicunque sunt; inde sequitur, quod etiam per negotiando pervagari terram, significetur fructificare vera ex bo-

no; cum enim conjunctio facta est per Medium, quod Benjamin, nempe Externi hominis, quod decem filii Jacobi, cum Interno, quod Joseph, de qua conjunctione hic agitur, seu quod idem, cum homo regeneratus est, tunc vera continue fructificantur ex bono; qui enim in bono est, in facultate est perspiciendi vera quae a communibus fluunt, et hoc in serie continua; et magis dein in altera vita, ubi mundana et corporea non inumbrant: quod in bono illa facultas sit, per plurem experientiam scire datum est; spiritus, qui non ita perspicaces fuerunt cum vixerunt homines in mundo, at usque charitatis vitam egerant, illos vidi in societates angelicas elevatos, et tunc in simili intelligentia et sapientia cum angelis ibi, imo non aliter sciebant quam quod intelligentia et sapientia illa in iis essent; erant enim per bonum, in quo fuerant, in facultate recipiendi omnem influxum a societatibus angelicis, in quibus erant: talis facultas inest bono, et inde talis fructificatio. Ast vera, quae apud illos fructificantur a bono, non manent vera, sed ab illis mandantur vitae, et tunc fiunt usus; quapropter per negotiando pervagabimini terram, etiam significatur quod omnia cedent usui et lucro.

5528. Vers: 35. 36. 37. 38. *Et fuit, illi evacuantes saccos suos, et ecce cuivis colligatio argenti sui in sacco suo, et videbant colligationes argenti illorum illi et pater illorum, et timuerunt. Et dixit ad illos Jacob pater illorum, me orbavistis, Joseph non est, et Schimeon non est, et Benjaminem sumitis, super me erunt omnia haec. Et dixit Ruben ad patrem suum, dicendo, duos filios meos mori facias, nisi adduxero illum ad te, da illum super manum meam, et ego reducam illum ad te. Et dixit, non descendet filius meus vobiscum, quia frater illius mortuus, et ille solus is relictus, et obveniat illi damnum in via qua ibitis in illa, et descendere facietis canitiem meam in maerore sepulchrum.* Et fuit, illi evacuantes saccos suos, significat usum ex veris quae in naturali: et ecce cuivis colligatio argenti sui, significat ordinationes verorum donatas gratis: in sacco suo, significat in cujusvis receptaculo: et videbant colligationes argenti illorum, significat apperceptionem quod ita: illi et pater illorum, significat a veris et bono veri in naturali: et timuerunt, significat sanctum: et dixit ad illos Jacob pater illorum, significat perceptionem illis a bono veri: me

orbavistis, significat quod sic non Ecclesia magis: Joseph non est, significat internum quod non sit: et Schimeon non est, significat fides voluntate quod nec sit: et Benjaminem sumitis, significat si etiam medium aufertur: super me erunt omnia, significat quod sic destructum erit id quod est Ecclesiae: et dixit Ruben ad patrem suum, significat illa quae fidei intellectu sunt appercepta a bono veri: dicendo duos filios meos mori facias, significat quod fidei utrumque nec victurum: nisi adduxero illum ad te, significat nisi medium adjungatur: da illum super manum meam, significat quantum in sua potentia: et ego adducam illum ad te, significat quod restituetur: et dixit, non descendet filius meus vobiscum, significat quod non demittet se versus inferiora: quia frater illius mortuus, significat quoniam internum non adest; et ille solus relictus, significat quod is loco interni nunc: et obveniat illi damnum in via qua ibitis in illa, significat quod cum solis veris in naturali separatis ab interno, periturum: et descendere facietis canitiem meam, significat quod sic erit ultimum Ecclesiae: in maerore sepulchrum, significat absque spe resuscitationis.

5529. Et fuit, illi evacuantes saccos suos, quod significet usum ex veris in naturali, constat ex significatione evacuare, nempe annonam quam deportarunt ex Aegypto, quod sit usum facere ex veris, per annonam enim significatur verum, n: 5276. 5280. 5292. 5402; et ex significatione saccorum, quod sint receptacula in naturali, de qua n: 5489. 5494: ita naturale: de receptaculis in naturali videatur infra n: 5531. [27]

5530. Et ecce cuivis colligatio argenti sui, quod significet ordinationes verorum donatas gratis, constat ex significatione colligationis seu fasciculi, quod sit ordinatio, de qua sequitur; et ex significatione argenti, quod sit verum, de qua n: 1551. 2954; per quod cuivis in sacco suo, significatur quod donatae gratis. Quod colligatio seu fasciculus sit ordinatio, inde est, quia vera apud hominem in series disposita et ordinata sunt; quae amoribus maxime conveniunt, in medio sunt, quae non ita conveniunt, ad latera sunt, et tandem quae prorsus non conveniunt, ad ultimas peripherias [28] rejecta sunt; extra illam seriem sunt illa quae amoribus contraria sunt; quapropter illa quae in medio sunt, vocantur consanguinea, amor enim

facit consanguineum, quae remotiora sunt affinia; ad ultimos terminos affinitates exspirant; in tales series disposita sunt omnia apud hominem, et significantur per fasciculos et colligationes: inde manifeste patet, quomodo se habet cum illis qui in amoribus sui et mundi sunt, et quomodo cum illis qui in amore in Deum et erga proximum; apud illos qui in amoribus sui et mundi sunt, sunt talia quae illis amoribus favent in medio, et quae parum favent in peripheriis, et foras rejecta sunt quae sunt contraria, ut sunt illa quae amoris in Deum et amoris erga proximum; in tali statu sunt infernales; inde etiam quandoque apparet lucidum circum illos, sed intra hoc lucidum ubi ipsi, est furvum, monstrosum et horrendum: at apud angelos est flammeum jubar in medio ex bono amoris coelestis et spiritualis, et inde lucidum aut candidum circum circa; qui ita apparent, sunt similitudines Domini; Ipse enim Dominus, cum Divinum suum ostendit Petro, Jacobo et Johanni, „splenduit facie sicut sol, et vestimenta Ipsius facta sunt sicut lux" Matth: XVII: 2. quod Angeli, qui similitudines, in flammeo jubare et inde in albo appareant, patet ab Angelo qui descendit e coelo, et devolvit lapidem ab ostio sepulchri, „Erat species ejus sicut fulgur, et vestimentum album sicut nix" Matth: XXVIII: 3.

5531. In sacco suo, quod significet in cujusvis receptaculo, constat ex significatione sacci, quod sit receptaculum, de qua n: 5489. 5494. 5529. Quid hic receptaculum, etiam paucis dicendum; Naturale hominis in receptacula est distinctum, in unoquovis receptaculo est commune quoddam, in quo communi minus communia seu particularia respective, et in his singularia, ordinata sunt; unumquodvis tale commune cum particularibus suis et cum singularibus, habet suum receptaculum, intra quod se actuare, seu formas variare et status mutare possit: receptacula illa apud hominem qui regeneratus est, sunt totidem numero, quot vera communia apud illum, et unumquodvis receptaculum correspondet societati cuidam in coelo: talis est ordinatio apud hominem qui in bono amoris et inde in vero fidei est: ex his aliquatenus patet, quid intelligitur per cujusvis receptaculum, cum praedicatur de communibus veris in naturali, quae repraesentantur per decem filios Jacobi.

5532. Et videbant colligationes argenti illorum, quod si-

gnificet apperceptionem quod ita, nempe quod ordinationes verorum donata gratis, constat ex illis, quae mox supra n: 5530, explicata sunt.

5533. Illi et pater illorum, quod significet a veris et bono veri in naturali, constat ex repraesentatione filiorum Jacobi, qui hic sunt illi, quod sint vera in naturali, de qua n: 5403. 5419. 5427. 5458. 5512; et ex repraesentatione Jacobi, qui hic pater illorum, quod sit bonum veri etiam in naturali, de qua n: 3659. 3669. 3677. 3775. 4234. 4273. 4538. Quid apperceptio ex veris et a bono veri in naturali, quidem explicari potest, sed non in intellectum cadet, nisi perquam obscure; at vero in intellectum spirituum sicut in clara die; talia his inter leviora sunt; inde etiam aliquatenus constare potest, qualis differentia intelligentiae est hominis, dum in mundo et ejus lumine est, et dum in coelo et ibi in ejus luce.

5534. Et timuerunt, quod significet sanctum, constat ex significatione timere, cum obveniunt talia quae sunt Divinae Providentiae, ut hic quod vera donata gratis, quae significantur per quod colligatio cujusvis argenti in sacco suo; sanctum, quod tunc influit, etiam aliquid timoris cum sancta reverentia inducit.

5535. Et dixit ad illos Jacob pater illorum, quod significet perceptionem illis a bono veri, constat a significatione dicere in historicis Verbi, quod sit perceptio, de qua saepe prius; et a repraesentatione Jacobi, quod sit bonum veri, de qua mox supra n: 5533.

5536. Me orbavistis, quod significet quod sic non Ecclesia magis, constat ex repraesentatione Jacobi, qui hoc de se dicit, quod sit bonum veri, de qua n: 3659. 3669. 3677. 3775. 4234. 4273. 4538; et quia est bonum veri, est quoque Ecclesia, nam essentiale Ecclesiae est bonum, quare sive dicas bonum veri, sive Ecclesiam, idem est, nam homo apud quem est bonum veri apud illum est Ecclesia, quod Jacob sit Ecclesia, videatur n: 4286. 4520; inde etiam est, quod filii ejus repraesentent vera Ecclesiae, n: 5403. 5419. 5427. 5458. 5512; et ex significatione orbare, quod sit Ecclesiam suis veris et bonis privare, ut hic illis quae repraesentantur per Josephum, Benjaminem, et Schimeonem, de quibus mox sequitur. Quod or-

bare sit privare Ecclesiam suis veris est quia Ecclesia comparatur conjugio, bonum ejus Marito, et verum uxori, et ex conjugio illo nata vera filiis, ac bona filiabus, et sic porro; cum itaque orbitas seu orbatio dicitur, significat quod Ecclesia privata sit suis veris, et quod inde nulla fiat; in hoc sensu dicitur orbus et orbitas etiam passim alibi in verbo; ut apud Ezechielem „Mittam super vos famem et feram malam, et *orbum faciam te*" V: 17. Apud Eundem „Quando feram malam transire fecero per terram, et *orbaverit illam*, ut fiat desolatio, ita ut non transiens propter feram" XIV: 15. In Levitico „Mittam in vos feram agri, quae *orbabit vos*, et exscindet bestiam vestram, et imminuet vos, ut vastentur viae vestrae" XXVI: 22, ibi fames pro defectu cognitionum boni et veri, et inde desolatione, fera mala pro falsis ex malis, terra pro Ecclesia; mittere famem et feram malam et orbare terram, pro per falsa ex malis destruere Ecclesiam, ita illam veris prorsus privare. Apud Jeremiam „Ventilabo eas ventilabro in portis terrae, *orbabo*, perdam populum meum" XV: 7; ibi etiam orbare pro privare veris. Apud Eundem „Da filios eorum fami, et defluere fac illos per manum gladii, *ut fiant uxores eorum orbae et viduae*" XVIII: 21; ut fiant uxores eorum orbae et viduae pro quod absque veris et bono. Apud Hoscheam „Ephraimi, sicut avis avolabit gloria eorum, a partu, et a ventre, et a conceptione; quia si educaverint filios suos, tunc *orbas faciam eos* ab homine" IX: 11. 12, similiter. Apud Ezechielem „Ambulare faciam super vobis hominem, populum meum, qui haereditario possidebunt te, et eris illis in haereditatem, *nec addes amplius orbare eos*. Sic dixit Dominus Jehovih, quoniam dicunt vobis, consumens hominem tu, *et orbans populos tuos* fuisti" XXXVI: 12, orbare etiam ibi pro privare veris. Apud Esaiam „Jam audi hoc delicata, sedens secure, dicens in corde tuo, ego et non sicut ego praeterea, non sedebo vidua, *nec cognoscam orbitatem*: atqui venient tibi duo ista momento in die uno, *orbitas* et viduitas" XLVII: 8. 9, de filia Babelis et Chaldaea, hoc est, de illis qui sunt in sancto externo et prophano interno, et se ex sancto externo Ecclesiam vocant; orbitas et viduitas pro privatione veri et boni. Apud Eundem „Tolle circumcirca oculos tuos, et vide omnes congregantur, veniunt tibi, adhuc dicent in auribus

tuis *filii orbitatum tuarum*, angustus est mihi locus, recede mihi ut habitem: tu vero dices in corde tuo, quis genuit mihi hos, cum tamen ego *orba* et solitaria, exul et remota, quis ergo hos educavit, ego relicta fui sola, hi ubi fuerunt" XLIX: 18. 20. 21, ibi de Zione seu Ecclesia coelesti, et de ejus fructificatione post vastationem; filii orbitatum pro veris, quibus in vastatione privata fuit, restitutis, et in immensum auctis.

5537. Joseph non est, quod significet internum quod non sit, constat a repraesentatione Josephi, quod quia est coeleste spiritualis, est internum Ecclesiae, de qua n: 5469. 5471. [29]

5538. Et Schimeon non est, quod significet fides voluntate quod nec sit, constat ex repraesentatione Schimeonis, quod sit fides voluntate, de qua n: 3869. 3870. 3871. 3872. 4497. 4502. 4503. 5482.

5539. Et Benjaminem sumitis, quod significet si etiam medium aufertur, constat ex repraesentatione Benjaminis, quod sit Medium, de qua n: 5411. [30] 5413. 5443.

5540. Super me erunt omnia [haec], quod significet quod sic destructum erit id quod est Ecclesiae, constat ex repraesentatione Jacobi, qui de se hoc dicit, quod sit Ecclesia, de qua n: 5536; in Ecclesia cum non internum est, quod repraesentatur per Josephum, nec fides voluntate, quae repraesentatur per Schimeonem, et si aufertur medium conjungens, quod repraesentatur per Benjaminem, destructum est id quod est Ecclesiae; haec sunt quae significantur per super me erunt omnia.

5541. Et dixit Ruben ad patrem suum, quod significet illa quae fidei intellectu sunt appercepta a bono veri, constat ex significatione dicere in historicis Verbi, quod sit appercipere, de qua saepius prius; ex repraesentatione Rubenis, quod sit fides doctrina et intellectu, de qua n: 3861. 3866. 5472, proinde illa quae sunt illius fidei; et ex repraesentatione Jacobi, qui hic est pater ad quem Ruben dixit, quod sit bonum veri, de qua n: 3659. 3669. 3677. 3775. 4234. 4273. 4538. 5533; inde patet, quod per dixit Ruben ad patrem suum significentur illa quae fidei intellectu sunt appercepta a bono veri. Quod Ruben hic loquatur, est quia agitur de Ecclesia, in qua fides doctrina ac intellectu apparenter primas agit, et quoque docet, hic quid faciendum, ne illa quae Ecclesiae sunt destruantur.

5542. Dicendo, duos filios meos mori facias, quod significet quod fidei utrumque nec victurum, constat ex significatione duorum filiorum Rubenis, quod sit fidei utrumque, per Rubenem enim repraesentatur fides doctrina et intellectu, filii ejus sunt binae doctrinae quae Ecclesiae, nempe doctrina veri et doctrina boni, seu doctrina fidei et doctrina charitatis; quod utrumque hoc fidei seu Ecclesiae non victurum, nisi medium, quod per Benjaminem repraesentatur, conjungatur, significatur per quod duos filios meos mori facias, nisi adduxero Benjaminem ad te; per haec verba confirmat Ruben, quod actum foret cum Ecclesia, nisi medium sit: nisi hic sensus internus foret in illis verbis, Ruben nunquam dixisset ad patrem suum, quod mori faceret duos filios suos nisi reduxerit Benjaminem, ita enim proposuisset exstirpare adhuc unam familiam; quod, quia contra fas, nefarium foret; sed sensus internus docet, quare ita dictum.

5543. Nisi adduxero illum ad te, quod significet nisi medium conjungatur, constat ex repraesentatione Benjaminis, qui hic est ille quem adduceret, quod sit medium, de qua n: 5411. 5413. 5443. 5539; et ex significatione adducere, quod sit conjungi.

5544. Da illum super manum meam, quod significet quantum in sua potentia, constat ex significatione manus, quod sit potentia, de [qua] n: 878. 3387. 4931 ad 4937. 5327. 5328; dare illum super manum suam, est in proprio sensu ipsi illum confidere; at quia fidei intellectu, quae repraesentatur per Rubenem, est parum potentiae, cui confidendum, verum enim quod fidei potentiam suam habet a bono quod charitatis, n: 3563, idcirco per da illum super manum meam, significatur quantum in sua potentia.

5545. Et ego adducam illum ad te, quod significet quod restituetur, constat absque explicatione.

5546. Et dixit, non descendet filius meus vobiscum, quod significet quod non demittet se versus inferiora, constat ex significatione descendere, quod praedicetur versus inferiora, de qua [n:] 5406, hic ad vera scientifica quae in naturali exteriori, n: 5492. 5495. 5497. 5500, quae repraesentantur per filios Jacobi.

5547. Quia frater ejus mortuus est, quod significet quoniam internum non adest, constat ex repraesentatione Josephi, qui hic est frater, quod sit coeleste spiritualis seu verum a Divino, proinde internum Ecclesiae, de qua n: 5469; et ex significatione mortuus esse, quod hic sit non adesse, erat enim in vivis, sed non aderat.

5548. Et ille solus est relictus, quod significet quod is loco interni nunc, constare potest ex eo, quod quia internum, quod Josephus, non aderat, et is solus ex illa matre, quod is nunc etiam sicut ille: Josephus etiam et Benjamin, uterque, internum repraesentant, et decem reliqui filii Jacobi externum, n: 5469.

5549. Et obveniat illi damnum in via qua ibitis in illa, quod significet quod cum solis veris in naturali separatis ab interno periturum, constat ex illis quae supra n: 5413, explicata sunt, ubi similia.

5550. Et descendere facietis canitiem meam, quod significet quod sic erit ultimum Ecclesiae, constat ex significatione canitiei, cum agitur de Ecclesia, quod sit ultimum ejus: ultimum per canitiem significatur etiam apud Esaiam „Attendite ad Me, domus Jacobi, et omnes reliquiae domus Israëlis, portati ab utero, lati a vulva: *usque etiam ad senectutem* Ego idem, et *usque ad canitiem* Ego, portabo" XLVI: 4; domus Jacobi pro Ecclesia Externa, domus Israëlis pro Ecclesia interna; ab utero et vulva, pro a principio ejus; ad senectutem et ad canitiem, pro ad ultimum ejus. Et apud Davidem „Plantati in domo Jehovae, in atriis Dei nostri germinabunt; adhuc proventum habebunt *in canitie*" Psalm: XCII: 14. 15, in canitie pro in ultimo.

5551. In maerore sepulchrum, quod significet absque spe resuscitationis, constat ex significatione maeroris hic, quod sit absque spe, cum enim non amplius aliqua spes, tunc maeror; et ex significatione sepulchri, quod sit resurrectio et regeneratio, de qua n: 2916. 2917. 3256. 4621, ita resuscitatio, nempe Ecclesiae; si enim in Ecclesia non Internum, quod Josephus, nec Medium, quod Benjamin, neque fides voluntate seu charitas, quae Schimeon, non amplius est aliqua spes ejus resuscitationis. Quod sepulchrum sit resuscitatio, apparet quidem alie-

num, sed hoc est idea quam homo de sepulchro habet, sepulchrum enim a morte non separat, et ne quidem a cadavere quod in sepulchro; verum Angeli in coelo non talem de sepulchro ideam habere possunt, sed prorsus aliam quam homo, nempe ideam resurrectionis seu resuscitationis; homo enim, cum cadaver ejus mandatur sepulchro, resuscitatur in alteram vitam; quapropter de sepulchro non habent mortis, sed vitae ideam, consequenter resuscitationis.

Continuatio de Correspondentia cum Maximo Homine; hic de Correspondentia Cutis, Capillorum et Ossium cum illo.

5552. *Cum Correspondentia ita se habet; quae in homine maximam vitam habent, ea correspondent illis Societatibus in coelis, quae maximam vitam, et inde maximam felicitatem ibi habent, ut sunt illae, quibus correspondent sensoria hominis externa, et interna, et quae intellectus et voluntatis sunt; at quae in homine minorem vitam habent, ea correspondent talibus societatibus, quae in minore ibi vita sunt, ut sunt cuticulae quae* [31] *ambiunt universum corpus, tum Cartilagines et Ossa, quae fulciunt et sustentant omnia quae in corpore sunt; et quoque Capilli, qui ex cuticulis erumpunt: quaenam et quales societates sunt, quibus illa et haec correspondent, etiam dicendum.*

5553. *Societates, quibus Cuticulae correspondent, sunt in introitu ad Coelum; et illis datur perceptio, quales spiritus sunt qui ad primum limen alluunt, quos vel rejiciunt vel admittunt; sic ut dici queant introitus seu limina coeli.*

5554. *Sunt perplures societates, quae constituunt Integumenta externa corporis, cum differentia a facie ad plantas pedis, nam ubivis est differentia; cum illis multum loquutus sum: quoad spiritualem vitam fuerunt tales, ut sibi persuaderi passi fuerint* [32] *ab aliis, quod ita sit, et cum audiverant confirmatum ex sensu literae Verbi, crediderint prorsus, et permanserint in opinione, et vitam secundum illa instituerint non*

malam: at cum illis non facile commercium ab aliis, qui non similis indolis sunt, haberi potest, nam opinionibus captis tenaciter inhaerent, nec se inde duci rationibus patiuntur: Ex hac tellure perplures tales sunt, quia Orbis noster in externis est, et quoque reagit contra interna, sicut solet Cutis.

5555. *Qui in vita corporis nihil nisi quam communia fidei sciverant, sicut quod proximus amandus, et ex communi illo principio benefecerant aeque malis ac probis, absque discrimine, dixerunt enim quod quisque sit proximus: tales, cum vixerunt in mundo, se multum seduci passi sunt* [a] *dolosis, hypocritis, et simulatoribus: similiter fit illis in altera vita, nec curant quid illis dicitur, nam sensuales sunt, et in rationes non intrant. Hi quoque constituunt cutem, sed exteriorem minus sensibilem. Loquutus cum illis, qui cutem Cranii constituunt: sed tales sunt cum multa differentia, sicut est Cutis illa in variis locis, ut in diversis locis Cranii, versus occiput, sinciput, tempora, in facie, super thoracem, abdomen, lumbos, pedes, brachia, manus, digitos.*

5556. *Quinam Cutem squamosam constituunt, etiam scire datum est; illa cutis prae involucris reliquis, est minime sensibilis, obsita enim est squamis, quae ad subtile cartilagineum accedunt: societates, quae illam constituunt, sunt qui ratiocinantur de omnibus rebus, num ita sit, vel non ita sit, nec vadunt ulterius; quando loquutus cum illis, percipere dabatur, quod prorsus nihil caperent quid verum vel non verum; et illi, quo magis ratiocinantur, eo minus capiunt: videntur usque sibi sapientes prae aliis, nam in facultate ratiocinandi ponunt sapientiam; prorsus non sciunt, quod praecipuum sapientiae sit percipere absque ratiocinatione, quod ita sit, vel non ita. Sunt eorum plures ex illis qui in mundo tales facti sunt ex confusione boni et veri per philosophica; quibus inde minus sensus communis.*

5557. *Sunt etiam spiritus, per quos alii loquuntur, et ii vix intelligunt quid dicunt; id fassi sunt; sed usque multum loquuntur: tales fiunt illi, qui in vita corporis modo blaterarunt, et nihil cogitaverunt quid dixerant, et amaverunt loqui de omnibus: dictum, quod cohortes sint, et quod aliquae eorum referant membranas quae tegunt viscera corporis, aliquae*

cuticulas quae a sensitivo parum trahunt; sunt enim modo vires passivae, et agunt nihil ex se, sed ex aliis.

5558. *Sunt spiritus,* [*qui*] *dum aliquid scire volunt, dicunt quod ita sit, sic unus post alterum in societate; et tunc, cum dicunt, observant num id fluat libere, absque aliquo renisu spirituali, dum enim non ita est, tunc percipitur ut plurimum renisus ab interiori; si non ab iis appercipitur renisus, putant quod ita sit; et id non aliunde sciunt: tales sunt, qui glandulas cutaneas constituunt; sed eorum duo sunt genera, unum quod affirmat, quia apparet fluentia, ut dictum, ex qua conjectant, quod quia non renisus, sit conveniens formae coelesti, consequenter vero, et sic quod affirmatum; alterum genus, quod audacter affirmat, quod ita sit, tametsi id non sciunt.*

5559. *Repraesentative ostensa mihi est conformatio contexturarum in cuticulis; conformatio apud illos, apud quos extrema illa correspondebant interioribus, seu materialia ibi obediebant spiritualibus, fuit contextus pulcher, ex spiris mirabiliter consertis, ad modum laciniarum, quae describi nusquam possunt, erant coloris caerulei. Postea repraesentatae sunt formae adhuc magis continuae, subtiliores, et concinniores: taliter apparent cuticulae hominis regenerati. Qui autem dolosi fuerunt, apud illos extrema illa apparent sicut conglutinationes ex meris serpentibus; et qui magici, sicut intestinalia foeda.*

5560. *Societates spirituum, quibus Cartilagines et Ossa correspondent, sunt perplures; sed sunt tales, quibus perparum vitae spiritualis inest; sicut perparum vitae est Ossibus respective ad mollia quae cingunt; ut pro exemplo, sicut est Cranio et ossibus Capitis respective ad utrumque Cerebrum, et medullam oblongatam, et ad substantias sensitivas inibi; et quoque sicut est vertebris et costis, respective ad Cor et pulmones; et sic porro.*

5561. *Ostensum quam parum vitae spiritualis illis inest qui ossa referunt; alii spiritus per illos loquuntur, et ipsi parum sciunt quid dicunt, sed usque loquuntur, in eo solo jucundum ponentes. In talem statum rediguntur illi, qui vitam malam egerant, et tamen reliquias aliquas boni in se habuerunt reconditas; hae reliquiae faciunt illud parum vitae spiri-*

tualis, post plurium saeculorum vastationes: quid reliquiae, videatur n: 468. 530. 560. 561. 660. 1050. 1738. [33] 1906. 2284. 5135. 5342. 5344. *Dictum, quod illis parum vitae spiritualis sit; per vitam spiritualem intelligitur illa vita, quae est Angelis in coelo; ad hanc vitam introducitur homo in mundo per illa quae sunt fidei et charitatis; ipsa affectio boni quod est charitatis, et affectio veri quod fidei, est vita spiritualis: vita hominis absque illa, est vita naturalis, mundana, corporea, terrestris, quae non est vita spiritualis, si non haec in illa sit, sed est vita qualis animalibus in communi.*

5562. *Qui e vastationibus emergunt, et illis usibus, quibus ossa, inserviunt, non habent aliquam cogitationem determinatam, sed communem paene indeterminatam, sunt sicut illi qui distracti vocantur, quasi non in corpore, sunt lenti, hebetes, stupidi, tarditas est illis in omnibus; usque tamen aliquoties non intranquillum, quia curae non penetrant, sed in commune eorum obscurum dissipantur.*

5563. *In cranio sentiuntur aliquoties dolores, nunc in una parte, nunc in altera, et appercipiuntur quasi nuclei ibi qui separati a reliquis ossibus, qui ita dolent; per experientiam scire datum est, quod talia existant a falsis quae ex cupiditatibus; et, quod mirabile, falsorum genera et species certa in cranio loca habent, quod etiam per plurem experientiam mihi notum factum est. Tales nuclei, qui sunt indurationes, apud illos, qui reformantur, franguntur et ad mollitiem rediguntur, et hoc variis modis, in genere per informationes in bono et vero, per influxus veritatum acerbos, quod fit cum dolore interiori, tum per discerptiones actuales, quod fit cum dolore exteriori. Falsa enim ex cupiditatibus talis naturae sunt, ut indurent; sunt enim contraria veris, et vera, quia determinantur secundum formam coeli, fluunt sicut sponte, libere, leniter, molliter; at falsa, quia in contrarium tendunt, habent determinationes oppositas, unde fluidum, quod est formae coeli, sistitur, inde indurationes. Inde est, quod qui in odio internecino fuerunt, ac in vindictis talis odii, et ex his in falsis, crania habeant prorsus indurata, et quidam sicut ebena, per quae nulli radii lucis, quae sunt vera, penetrant, sed prorsus reflectuntur.*

5564. *Sunt spiritus statura parvi, qui, cum loquuntur, tonant, unus quandoque sicut agmen; ita loqui, est illis innatum; non sunt ex hac tellure, sed ex alia, de qua, ex Divina Domini Misericordia, quando de incolis variarum tellurum. Dicebatur, quod illi referant Cartilaginem scutiformem, quae est ante pectoris cameram, et inservit pro fulcro costis anterius, et quoque musculis variis soni.*

5565. *Sunt etiam qui Ossa adhuc duriora referunt, sicut Dentes, sed de illis non multum scire datum est; solum quod illi, qui vix aliquid vitae spiritualis residuum habent, cum sistuntur videndi in luce coeli, non appareant in aliqua facie, sed solum quoad dentes loco faciei; facies enim repraesentat interiora hominis, ita ejus spiritualia et coelestia, hoc est, illa quae sunt fidei et charitatis; qui itaque in vita corporis non aliquid vitae talis sibi comparaverant, illi taliter apparent.*

5566. *Quidam ad me venit, apparuit sicut nubes nigra, circa quam stellae vacillantes, stellae vacillantes in altera vita cum apparent, significant falsa, sed stellae fixae vera; appercepi quod spiritus esset qui accedere voluit, cum accessit, timorem incussit, hoc possunt quidam spiritus, imprimis latrones; ex eo concludere potui quod latro fuerit; is cum prope me erat, volebat me omni conatu infestare per artificia magica, sed incassum; extendebat manum ut exerceret potentiam imaginariam, sed id prorsus nihil effecit. Ostensum dein, quali facie esset, facies nulla erat, sed nigerrimum quid loco ejus, et ibi apparuit os dire et ferociter diductum, sic ut esset ingluvies, in qua exstabant dentes in serie; verbo erat sicut canis rabidus diducto rictu, adeo ut rictus esset non facies.*

5567. *Quidam se lateri meo sinistro applicabat, et tunc non sciebam unde et qualis esset, egit etiam obscure; voluit quoque interius in me penetrare, sed rejectus est; is induxit sphaeram idearum cogitationis communem, talem, ut describi nequeat, similem sphaeram communem non memini me prius appercepisse; nullis principiis ille alligatus fuit, sed in communi erat contra omnes, quos refellere et vituperare dextre et ingeniose potuerat, tametsi is non sciret quid verum; miratus quod tale ingenium daretur, quod nempe ingeniose alios posset refellere, et tamen ex nulla apud se cognitione veri. Postea*

abiit, sed mox rediit, cum lagena fictili in manu, et voluit dare mihi aliquid inde bibendum; erat inibi tale ex phantasia, quod adimeret intellectum eis qui biberent; hoc repraesentabatur, quia illos, qui ei adhaeserant in mundo, deprivaverat intellectu veri et boni, sed usque ei adhaerebant. Is quoque in luce coeli, non apparebat in facie, sed modo quoad dentes, ex causa quia irridere aliis potuerat, et usque nihil veri ipse sciebat. Quis esset, dictum mihi, cum vixit inter famigeratos fuit, et notum aliquibus quod talis.

5568. *Aliquoties apud me fuerant, qui striderent dentibus; erant ex infernis, ubi illi, qui non solum vitam malam egerant, sed etiam se confirmarunt contra Divinum, et omnia deduxerunt ad naturam; illi strident dentibus cum loquuntur, quod tetrum auditu.*

5569. *Sicut est Correspondentia ossium et cuticularum, etiam est correspondentia capillorum, hi enim ex radicibus in cuticulis propullulant; quicquid est correspondentiae cum Maximo Homine, hoc apud spiritus et angelos est, nam unusquisque Maximum Hominem ut imago refert: sunt ideo Angelis comae, decenter et ordinate dispositae; comae repraesentant naturalem eorum vitam, et ejus correspondentiam cum vita eorum spirituali: quod comae seu capilli significent illa quae vitae naturalis sunt, videatur n:* 3301, *et tondere comas, quod sit accommodare naturalia ut decentia sint, ita decora, n:* 5247.

5570. *Sunt plures, cumprimis foeminae, quae in decoris posuerunt omne, nec cogitaverunt altius, et vix aliquid de vita aeterna; hoc foeminis ignoscitur usque ad aetatem juvenilem, cum desiit ardor qui praecedere solet conjugium: sed si in aetate adultiore in illis perseverant, cum aliter possunt intelligere, tunc trahunt naturam quae manet post mortem: tales in altera vita apparent longis et expansis super faciem comis, quas quoque pectunt, elegantiam in illis ponentes; nam pectere comas significat accommodare naturalia ut decora appareant, n:* 5247; *inde cognoscuntur ab aliis quales sunt; spiritus enim scire possunt ex coma, ejus colore, longitudine, diffusione, quales fuerant quoad vitam naturalem in mundo.*

5571. *Qui crediderunt quod natura esset omne, et in hoc*

se confirmarunt, et quoque inde vitam securam egerunt, non agnoscentes aliquam vitam post mortem, ita nec infernum, nec coelum; tales, quia pure naturales, cum apparent in luce coeli, non illis apparet aliqua facies, sed loco ejus barbatum, capillare, intonsum, nam, ut supra dictum, facies repraesentat spiritualia et coelestia interius apud hominem, capillitium autem naturalia.

5572. *Sunt perplures hodie in Christiano orbe, qui naturae omnia adscribunt, et vix aliquid Divino; sed inter illos, sunt plures in una gente quam in altera; licet itaque memorare commercium sermonis, quod cum aliquibus ex illa gente, in qua perplures tales sunt, habui.*

5573. *Quidam supra caput inconspicuus aderat, sed quod adesset ex nidore adusti cornu seu ossis, et ex foetore dentium, percipere datum; postea veniebat magna turba, sicut nimbus, ab inferiori versus superiora a tergo, etiam inconspicui, et supra caput subsistebant; putabam quod inconspicui essent quia subtiles, sed dictum quod, ubi sphaera spiritualis, ibi inconspicui sint, ast ubi sphaera naturalis ibi conspicui; et vocati sunt naturales inconspicui. Primum, quod de illis detectum erat, quod summo studio, calliditate et arte conniterentur, ut nihil propalaretur de illis; ob quem finem etiam callebant surripere aliis eorum ideas, et inducere alias, quibus impediebant ne detegerentur; hoc satis diu perstabat; inde cognoscere datum, quod tales in vita corporis fuerint, ut non voluerint propalari quicquam ex illis quae agebant et cogitabant, aliam faciem et aliam loquelam praeferendo; sed usque non praetexebant alia, ut per mendacia deciperent. Perceptum, quod, qui aderant, in vita corporis negotiatores fuerint, sed tales, quod jucundum vitae in ipsa negotiatione, non ita in divitiis, habuerint, et sic quod negotiatio fuerit quasi anima eorum; quapropter de hac cum illis loquutus sum, et dicere datum, quod negotiatio nihil impediat, quin in coelum venire possint, et quod in coelo sint aeque divites ac pauperes; sed objiciebant, quod eorum opinio fuerit, si salvarentur, quod abdicarent se negotiatione, [34] darent omnia sua pauperibus, et se miseros facerent; sed illis respondere datum est, quod non ita se res habeat, et quod aliter cogitaverint illi apud illos, qui in coelo*

sunt quia boni Christiani fuerunt, et usque opulenti, et aliqui eorum inter opulentissimos, hi habuerunt commune bonum, et amorem erga proximum pro fine, et mercaturam exercuerunt modo functionis causa in mundo, et praeterea non posuerunt cor in illis: at quod illi infra sint, est causa, quia mere naturales fuerint, et ideo non crediderunt vitam post mortem, nec infernum, nec coelum, imo nec aliquem spiritum, et quod illis non cordi fuerit quacunque arte deprivare alios suis bonis, et quod absque misericordia videre potuerint perire integras domos sui lucri causa; et quod ideo subsannaverint omnes qui de spirituali vita cum illis loquuti sunt. Qualem fidem habuerunt de vita post mortem, de coelo et de inferno, etiam ostensum est; apparuit quidam qui in Coelum sublatus est a sinistro versus dextrum, et dictum, quod nuper aliquis mortuus sit, et ab angelis deductus immediate in coelum; de illo sermo fuit, ast illi, tametsi viderunt quoque, usque incredulitatis sphaeram habebant perquam fortem, et illam circumspargebant, adeo ut contra quod viderunt, sibi et aliis persuadere voluerint, et quia tanta illis incredulitas, dicere illis datum est, si forte vidissent in mundo resuscitari aliquem mortuum jacentem in lectica, dicebant, quod primum non credidissent, nisi plures mortuos resuscitatos vidissent, et si hoc vidissent, quod usque attribuissent tale causis naturalibus; dicebant postea, cum aliquamdiu relicti fuissent suis cogitationibus, quod primum credidissent quod fraus, et cum evictum quod non fraus, quod credidissent animam mortui secretam communicationem habuisse cum illo qui resuscitaret, et tandem quod aliquod secretum esset quod non comprehenderent, quia in natura dantur perplura incomprehensibilia; ac ita quod nusquam potuissent credere, quod tale ex aliqua vi supra naturam exstiterit; inde detectum, qualis eorum fides fuerat, quod nempe nusquam adduci potuerint ad credendum, quod aliqua vita post mortem esset, nec quod infernum; nec quod coelum; ita quod prorsus naturales essent. Tales cum apparent in luce coeli, etiam absque facie apparent, et loco ejus densum crinitum.



GENESEOS

CAPUT QUADRAGESIMUM TERTIUM.

1. Et fames ingravescebat in terra.

2. Et factum, sicut absolvissent comedere annonam, quam adduxerunt ex Aegypto, et dixit ad illos pater illorum, revertimini, emite nobis parum cibi.

3. Et dixit ad eum Jehudah, dicendo, contestando contestatus in nos vir, dicendo, non videbitis facies meas, absque quod frater vester vobiscum.

4. Si sis tu mittens fratrem nostrum nobiscum, descendemus et ememus tibi cibum.

5. Et si non tu mittens, non descendemus, quia vir dixit ad nos, non videbitis facies meas absque quod frater vester vobiscum.

6. Et dixit Israël, quare male fecistis mihi, ad indicandum viro an adhuc vobis frater.

7. Et dixerunt, interrogando interrogavit vir ad nos, et ad nativitatem nostram, dicendo, an adhuc pater vester vivit, an sit nobis frater, et indicavimus ei juxta os verborum illorum; an sciendo scivimus quod diceret, descendere facite fratrem vestrum.

8. Et dixit Jehudah ad Israëlem patrem suum, mitte puerum mecum, et surgemus, et ibimus, et vivemus, et non moriemur, etiam nos, etiam tu, etiam infantes nostri.

9. Et spondebo pro illo, e manu mea quaeres illum, nisi adduxero illum ad te, et statuero illum coram te, et peccabo tibi omnibus diebus.

10. Quia ni forte tardaverimus, quod nunc reversi fuerimus his duabus vicibus.

11. Et dixit ad illos Israël pater illorum, si ita ergo hoc, facite, accipite e decantatione terrae in vasis vestris, et descendere facite viro munus, parum resinae, et parum mellis, ceram, et stacten, nuces terebinthinas et amygdalas.

12. Et argenti duplum accipite in manibus vestris, et argentum reductum in ore manticarum vestrarum reducetis in manu vestra, forte error hoc.

13. Et fratrem vestrum accipite, et surgite, revertimini ad virum.

14. Et Deus Schaddai det vobis misericordias coram viro, et mittat vobis fratrem vestrum alterum, et Benjaminem; et ego quemadmodum orbatus sum, orbatus ero.

15. Et acceperunt viri munus hoc, et duplum argenti acceperunt in manu sua, et Benjaminem, et surrexerunt, et descenderunt Aegyptum, et steterunt coram Josepho.

16. Et vidit Joseph cum illis Benjaminem, et dixit ei qui super domo sua, adduc viros domum, et mactando macta, et praepara, quia mecum comedent viri in meridie.

17. Et fecit vir quemadmodum dixit Joseph, et adduxit vir viros domum Josephi.

18. Et timuerunt viri quod adducti domum Josephi, et dixerunt, super verbum argenti reducti in manticis nostris in initio nos adducimur; ad devolvendum super nos, et ad conjiciendum se super nos, et ad sumendum nos ad servos, et asinos nostros.

19. Et accesserunt ad virum, qui super domo Josephi, et loquuti ad illum ostio domus.

20. Et dixerunt, in me domine mi, descendendo descendimus in initio ad emendum cibum.

21. Et factum, cum veniremus ad diversorium, et aperuimus manticas nostras, et ecce argentum cujusvis in ore manticae suae, argentum nostrum in pondere suo, et reducimus illud in manu nostra.

22. Et argentum alterum descendere facimus in manu nostra ad emendum cibum, non scimus quis posuit argentum nostrum in manticis nostris.

23. Et dixit, pax vobis, ne timeatis, Deus vester, et Deus patris vestri dedit vobis absconditum donum in manticis ve-

stris, argentum vestrum venit ad me; et eduxit ad illos Schimeonem.

24. Et adduxit vir viros domum Josephi, et dedit aquam, et lavarunt pedes suos, et dedit pabulum asinis illorum.

25. Et praepararunt munus, usque ad venire Joseph in meridie, quia audiverunt quod ibi comederent panem.

26. Et venit Joseph domum, et adduxerunt ei munus, quod in manu illorum, domum, et incurvabant se ei ad terram.

27. Et interrogavit illos ad pacem; et dixit, an pax patri vestro seni, quem dixistis, an adhuc is vivit.

28. Et dixerunt, pax servo tuo patri nostro, adhuc ille vivit, et deflexerunt se, et incurvarunt se.

29. Et sustulit oculos suos, et vidit Benjaminem fratrem suum, filium matris suae, et dixit, an hic frater vester minimus, quem dixistis ad me, et dixit, Deus gratiosus sit tibi, fili mi.

30. Et festinavit Joseph, quia commovebantur commiserationes ejus ad fratrem suum, et quaerebat flere, et venit cubiculum, et flevit ibi.

31. Et lavit facies suas, et exivit, et continuit se, et dixit, ponite panem.

32. Et posuerunt illi soli, et illis solis, et Aegyptiis comedentibus cum eo solis, quia non possunt Aegyptii comedere cum Hebraeis panem, quia abominatio id Aegyptiis.

33. Et sederunt coram eo, primogenitus secundum primogenituram suam, et minorennis secundum minorennitatem suam, et obstupuerunt viri quisque ad socium suum.

34. Et extulit portiones ex faciebus suis ad illos, et multiplicavit portionem Benjaminis prae portionibus omnium illorum quinque mensuris; et bibebant, et large bibebant cum eo.

CONTENTA.

5574. Continuatur de conjunctione Verorum Ecclesiae in naturali, quae sunt decem filii Jacobi, cum Coelesti spiritualis seu Vero a Divino quod est Josephus, per Medium quod est Benjamin: sed in hoc Capite in sensu interno modo agitur de influxu communi, qui conjunctionem praecedit.

SENSUS INTERNUS.

5575. Vers: 1. 2. 3. 4. 5. *Et fames ingravescebat in terra. Et factum, sicut absolvissent comedere annonam, quam adduxerunt ex Aegypto, et dixit ad illos pater illorum, revertimini, emite nobis parum cibi. Et dixit ad eum Jehudah, dicendo, contestando contestatus in nos vir, dicendo, non videbitis facies meas absque quod frater vester vobiscum. Si sis tu mittens fratrem nostrum nobiscum, descendemus, et ememus tibi cibum. Et si non tu mittens, non descendemus, quia vir dixit ad nos, non videbitis facies meas, absque quod frater vester vobiscum.* Et fames ingravescebat, significat desolationem ex indigentia spiritualium: in terra, significat circa illa quae erant Ecclesiae: et factum, significat novum: sicut absolvissent comedere annonam, significat cum vera deficerent: quam adduxerunt ex Aegypto, significat quae ex scientificis: et dixit ad illos pater illorum, significat perceptionem ab illis quae Ecclesiae: revertimini, emite nobis parum cibi, significat quod, ut vivant, comparent sibi bonum veri spiritualis: et dixit ad eum Jehudah, significat bonum Ecclesiae: dicendo, contestando contestatus in nos vir, significat quod illis aversum spirituale ab interno: dicendo, non videbitis facies meas, significat quod nulla commiseratio: absque quod frater vester vobiscum, significat nisi sit medium vobis: si sis tu mittens fratrem nostrum nobiscum, significat si ita ab Ecclesia sit, ut adjungatur quod erit medium: descendemus et ememus tibi cibum, significat quod tunc ibi comparabitur bonum veri: et si non tu mittens, significat si non: non descendemus, significat quod comparari nequeat: quia vir dixit ad nos, significat perceptionem de spirituali: non videbitis facies meas, significat quod nulla commiseratio: absque quod frater vester vobiscum, significat nisi sit medium vobis.

5576. Et fames ingravescebat, quod significet desolationem ex indigentia spiritualium, constat ex significatione famis, quod sit defectus cognitionum boni et veri, de qua n: 3364. 5277. 5279. 5281. 5300, et inde desolatio, n: 5360. 5376. 5415: et quia desolatio existit ex penuria et inde indigentia spi-

ritualium, per famem etiam haec significatur. Fames in mundo spirituali, seu in coelo, non est fames pro cibo, nam Angeli materiali cibo non vescuntur, est hic cibus pro corpore quod circumfert homo in mundo, sed est fames pro tali cibo, qui mentes eorum nutrit; is cibus est intelligere verum et sapere bonum, qui cibus vocatur cibus spiritualis; et quod mirum, etiam Angeli nutriuntur illo cibo; quod constare mihi potuit ex eo, quod infantes, qui infantes mortui sunt, postquam in coelo instructi sunt in veris quae intelligentiae et bonis quae sapientiae, non appareant amplius ut infantes, sed ut adulti, et hoc secundum incrementum in bono et vero: tum ex eo, quod Angeli continuo desiderent illa quae intelligentiae et sapientiae sunt; et quando in vespera sunt, hoc est, in statu cum illa deficiunt, quod tantum sint in non felicitate respective, et quod tunc nihil plus esuriant et appetant, quam ut e novo illucescat illis mane, et in vitam felicitatis, quae est intelligentiae et sapientiae, redeant: quod intelligere verum et velle bonum, sit cibus spiritualis, constare quoque potest cuivis qui reflectit; qui cibo materiali pro nutritione corporis fruitur, si simul quoque hilari animo est, et in sermocinatione de talibus quae favent, tunc cibus materialis, qui pro corpore, melius nutrit, indicium quod correspondentia sit inter cibum spiritualem qui animae, et cibum materialem qui corporis: et porro ex eo, qui in desiderio est imbuendi animum talibus quae scientiae, intelligentiae, et sapientiae sunt, quando ab illis detinetur, quod tunc incipiat contristari et angi, et sicut is qui in fame, desiderare, ut ad spiritualem suum cibum, ita ad nutritionem animae suae, redeat. Quod cibus spiritualis sit, qui nutrit animam, sicut cibus materialis corpus, constare quoque potest ex Verbo; ut apud Mosen „Non per panem solum vivit homo, sed *per omne enuntiatum oris Jehovae vivit homo*" Deut: VIII: 3. Matth: IV: 4: enuntiatum oris Jehovae, est in genere Divinum Verum quod procedit a Domino, ita omne Verum sapientiae, in specie Verbum, in quo et ex quo illa quae sapientiae. Et apud Johannem „Operamini *Cibum*, non qui perit, *sed cibum qui manet in vitam aeternam*, quem Filius hominis vobis dabit" VI: 27; quod ille cibus sit verum sapientiae, quod procedit a Domino, constat: inde quoque sciri potest, quid intelligitur per haec Domini verba in eodem Ca-

pite „ Caro mea est vere *cibus*, et sanguis meus vere est potus" ibid: Vers: 56; quod nempe Caro Domini sit Divinum Bonum, n: 3813, et Sanguis Ipsius Divinum Verum, n: 4735; cum enim Dominus Humanum suum totum Divinum fecit, tunc caro non aliud est quam Divinum Bonum, et sanguis Divinum Verum, quod in Divino non intelligendum materiale, constare potest; quapropter cibus in supremo sensu, hoc est, cum praedicatur de Domino, est Bonum Divini amoris ad salvandum Genus humanum: hic cibus quoque est, qui intelligitur per Domini verba apud Johannem „ Jesus dixit discipulis, *Ego cibum habeo quem edam*, quem vos nescitis: *cibus meus* est ut faciam voluntatem Ipsius qui misit Me, et perficiam Ipsius opus" IV: 32. 34; facere voluntatem Ipsius qui misit, et perficere Ipsius opus, est salvare genus humanum; Divinum ex quo id, est Divinus Amor. Ex his nunc patet, quid in sensu spirituali per famem intelligitur.

5577. In terra, quod significet circa illa quae erant Ecclesiae, constat ex significatione terrae in Verbo, quod sit Ecclesia, hic itaque quae sunt Ecclesiae, nam quae significant Ecclesiam, etiam significant illa quae sunt Ecclesiae, haec enim faciunt illam: quod Terra sit Ecclesia in Verbo, est quia terra Canaan fuit, in qua ab antiquissimis temporibus fuerat Ecclesia: inde cum in Verbo nominatur Terra, intelligitur terra Canaan, et cum haec, intelligitur Ecclesia; qui enim in spirituali mundo sunt, cum terra nominatur, non morantur in idea terrae, sed in idea gentis quae ibi, nec in idea gentis, sed in idea qualis illius gentis, proinde in idea Ecclesiae cum terra dicitur et per eam intelligitur terra Canaan. Inde patet, quantum hallucinantur, qui credunt, quod die ultimi judicii, nova terra et novum coelum, exstiturum secundum Prophetica in Veteri Testamento, et apud Johannem in Novo, ubi tamen per Novam Terram non aliud intelligitur, quam nova Ecclesia externa, et per novum Coelum nova Ecclesia interna; tum qui credunt, ubi nominatur in Verbo universa terra, quod aliud intelligatur quam Ecclesia: inde patet, quam parum capiunt Verbum, qui non sensum sanctiorem, quam qui ex sola litera elucet, ei inesse putant. Quod in Terra Canaane fuerit Ecclesia ab antiquissimis temporibus, n: 3686. 4447. 4454. 4516. 4517. 5136. Quod per Terram in

Verbo significetur Ecclesia, n: 662. 1066. 1067. 1262. 1413. 1607. 2928. 4447. Quod per novum Coelum et novam terram, nova Ecclesia interna et externa, n: 1733. 1850. 2117. 2118 f. 3355 f. 4535.

5578. Et factum, quod significet novum, constat ex significatione fuit et factum, quod involvat statum novum, de qua n: 4979. 4987. 4999. 5074. 5466; in lingua originali antiquitus non distinguebantur sensus per signa, sed textus fuit continuus, ad imitamen loquelae coelestis, sed loco signorum istorum fuit *Et*, et quoque *fuit* vel *factum;* inde est, quod haec toties occurrant, et quod fuit seu factum significet novum.

5579. Sicut absolvissent comedere annonam, quod significet cum vera deficerent, constat ex significatione annonae, quod sit verum, de qua n: 5276. 5280. 5292. 5402; quod verum deficeret, significatur per quod absolvissent comedere illam. In spirituali mundo ita se habet, quod satientur veris et bonis, haec enim sunt illis qui ibi cibus, n: 5576; at cum haec cesserant illis in usum, iterum in indigentiam veniunt: se habet hoc sicut nutritio hominis per cibum materialem, hic cibus cum cesserat in usum, iterum fames venit; haec fames, quae est indigentia spiritualium, in spirituali mundo est vespera, seu umbra diei eorum, at post illam venit diluculum et mane; ita vices ibi alternantur; in vesperam illam, seu in spiritualem famem veniunt, ut appetant et desiderent vera et bona, quae cum esuriuntur nutritioni melius cedunt, sicut cibus materialis famelico. Ex his constare potest, quid intelligitur per indigentiam spiritualium cum vera deficerent.

5580. Quam adduxerunt ex Aegypto, quod significet quae ex scientificis, constat ex significatione Aegypti, quod sint scientifica, de qua n: 1164. 1165. 1186. 1462; quod *ex illis*, significatur per quod adduxerint inde: per Aegyptum in bono sensu significantur scientifica quae sunt Ecclesiae, nempe quae inserviunt formae Ecclesiae, videatur n: 4749. 4964. 4966; per talia introducitur homo in vera Ecclesiae, sicut per atrium in domum; sunt enim illa scientifica, quae primum incurrunt in sensus, et sic aperiunt viam ad interiora, nam notum est, quod sensualia externa primum apud hominem aperiantur et dein sensualia interiora, et denique intellectualia, et cum aperta

sunt intellectualia, quod haec repraesententur in illis ut capi queant: causa est, quia intellectualia ex sensualibus exsurgunt per modum extractionis, sunt enim intellectualia conclusiones, quae cum factae, separantur et sublimius vadunt; haec operatur influxus spiritualium, qui per coelum a Domino: ex his patet, quomodo se habet cum veris, quod ex scientificis.

5581. Et dixit ad illos pater illorum, quod significet perceptionem ab illis quae Ecclesiae, constat ex significatione dicere in historicis Verbi, quod sit perceptio, de qua saepius prius; et a repraesentatione Israëlis, qui hic est pater, quod sit Ecclesia; quod Israël sit Ecclesia interna spiritualis, et Jacob externa, videatur n: 4286. 4292. 4570; pater dicitur quia per patrem in Verbo etiam significatur Ecclesia, et quoque per matrem, sed per matrem Ecclesia quoad verum, et per patrem Ecclesia quoad bonum; causa est, quia Ecclesia est Conjugium spirituale, quod est a bono ut a patre, et a vero ut a matre.

5582. Revertimini; emite nobis parum cibi, quod significet quod ut vivant, comparent sibi bonum veri spiritualis, constat ex significatione emere, quod sit sibi comparare et appropriare, de qua n: 4397. 5374. 5397. 5406. 5410. 5426; et ex significatione cibi, quod sit bonum veri, de qua n: 5340. 5342, hic bonum veri spiritualis, nam de hoc bono in sequentibus agitur; quod sit ut vivant, sequitur.

5583. Et dixit ad eum Jehudah, quod significet bonum Ecclesiae, constat ex repraesentatione Jehudae, quod sit bonum Ecclesiae, de qua n: 3654: quod Jehudah nunc loquatur de Benjamine, et prius Ruben de eodem, Cap: praec: Vers: 36. 37, est arcanum, quod non nisi quam a sensu interno patere potest; pariter, quod cum Ruben de Benjamine loquutus est, Jacob dicatur Jacob, Cap: praec: Vers: 36, hic autem cum Jehudah de Benjamine loquitur, Jacob dicatur Israël, Vers: 6. 8. 11; quod tale aliquid involvat, a nemine negari potest, sed quid involvit, nequaquam a sensu literae historico sciri potest; sicut etiam alibi, ubi Jacob, nunc Jacob, nunc Israël dicitur, n: 4286; arcanum, quod involvit, in sequentibus, ex Divina Domini Misericordia, dicetur. Quod hic Jehudah nunc loquatur, est quia agitur de bono veri spiritualis, quod comparandum, n: 5282; idcirco hic Jehudah, qui est bonum Ecclesiae,

loquitur cum Israële, qui est bonum veri spiritualis, et spondet pro Benjamine qui est Medium, nam Medium conjungetur per bonum.

5584. Dicendo, contestando contestatus in nos vir, quod significet quod illis aversum spirituale ab interno, constat ex significatione contestando contestari quod sit aversus esse, nam contestatus est quod non viderent facies illius, nisi frater eorum esset cum illis, haec contestatio est aversionis, nam per non videre facies ejus significatur quod nulla commiseratio, de qua mox sequitur; et ex repraesentatione Josephi, quod sit Divinum spirituale, seu quod idem, verum a Divino, de qua n: 3969, qui hic, quia vir dicitur, est spirituale seu verum influens ab interno.

5585. Dicendo, non videbitis facies meas, quod significet quod nulla commiseratio, constat a significatione facierum, cum praedicantur de homine, quod sint interiora ejus, nempe affectiones et inde cogitationes, de qua n: 358. 1999. 2434. 3527. 3573. 4066. 4796. 4797. 5102; at cum praedicantur de Domino, quod sit Misericordia seu commiseratio, inde non videre facies, est non misericordia, seu nulla commiseratio, Dominus enim per Josephum hic in supremo sensu repraesentatur; non quod nulla commiseratio sit apud Dominum, est enim ipsa Misericordia, sed cum non medium est quod conjungit, tunc apparet homini quasi nulla commiseratio in Domino; causa est [1] quia si non medium conjungens, nulla receptio boni est, et cum nulla receptio boni, est malum loco ejus; si homo tunc ad Dominum clamat, quia ex malo clamat, ita pro se contra omnes, nulla auditio est, hoc apparet sicut nulla commiseratio. Quod facies Jehovae seu Domini sit Misericordia, constare potest ex Verbo; est enim facies Jehovae seu Domini in proprio sensu ipse Amor Divinus, et quia est amor Divinus est Misericordiae, nam haec ex amore est erga genus humanum in tantis miseriis constitutum. Quod facies Jehovae seu Domini sit Divinus Amor, constare potest ex facie Domini, cum Dominus coram Petro, Jacobo, et Johanne transformatus fuit, hoc est, cum illis Divinum suum ostendit, tunc „*facies Ipsius sicut sol splenduit*" Matth: XVII: 2, quod sol sit Divinus amor, ostensum videatur n: 30 ad 38. 1521. 1529. 1530. 1531. 2441. 2495. 3636.

3643. 4060. 4321 f. 4696: Ipsum Divinum Domini nusquam apparuerat in aliqua facie, sed Divinum Humanum Ipsius et per illud sicut in illo Divinus amor, seu respective ad genus humanum, Divina Misericordia; haec, nempe Divina Misericordia in Divino Humano, vocatur Angelus facierum, apud Esaiam „*Misericordias Jehovae* memorare faciam; retribuet eis secundum Misericordias suas, et secundum multitudinem *Misericordiarum suarum*, et factus iis in Salvatorem; et *Angelus facierum Ipsius* salvavit eos, *propter Amorem Ipsius*, et propter clementiam Ipsius" LXIII: 7. 8. 9; Angelus vocatur, quia Angeli in Verbo in sensu interno significant aliquid Domini, n: 1925. 2821. 4085, hic Ipsius Misericordiam, quapropter dicitur Angelus facierum. Quod facies Jehovae seu Domini sit Misericordia, et quoque Pax et Bonum, quia haec sunt Misericordiae, constare etiam potest a sequentibus locis; in Benedictione „*Lucere faciat Jehovah facies suas ad te*, et *misereatur tui*. *Elevet Jehovah facies suas ad te*, et ponat tibi *pacem*" Num: VI: 25. 26; lucere facere facies quod sit misereri, et elevare facies quod sit dare pacem, manifeste patet. Apud Davidem „Deus *misereatur nostri*, et benedicat nobis, *lucere faciat facies suas nobis*" Psalm: LXVII: 2, facies etiam hic pro Misericordia. Apud Eundem „Deus reduc nos, et *lucere fac facies tuas*, ut salvemur" Psalm: LXXX: 4. 8. 20. similiter. Apud Eundem „Libera me e manu hostium meorum, et persecutorum meorum, *lucere fac facies tuas super servum tuum*" Psalm: XXXI: 16. 17: pariter Psalm: CXIX: 134. 135. Apud Danielem „Audi Deus noster orationem servi tui, et preces ejus, *et lucere fac facies tuas super sanctuarium*, quod desolatum est" IX: 17, [2] lucere facere facies etiam pro misereri. Apud Davidem „Multi dicentes, quis videre nos faciet *bonum*, *attolle super nos lucem facierum tuarum*" Psalm: IV: 7. 8; attollere lucem facierum, pro dare bonum ex Misericordia. Apud Hoscheam „*Quaerant facies meas*, cum angustia illis, mane quaerant Me" V: 15. Apud Davidem „*Quaerite facies meas*, *facies tuas Jehovah quaero*" Psalm: XXVII: 8: 9. Apud Eundem „Quaerite Jehovam, et robur Ipsius, *quaerite facies Ipsius* jugiter" Psalm: CV: 4, quaerere facies Jehovae pro misericordiam Ipsius. Apud Eundem „Ego in justitia *videbo facies tuas*" Psalm: XVII: 15: et apud Mat-

thaeum „ Videte ne contemnatis ullum ex pusillis his; dico enim vobis, quod Angeli eorum in coelis *semper videant faciem patris mei*, qui in coelis est" XVIII: 10; videre facies Dei pro frui pace et bono ex Misericordia. Oppositum autem est, occultare seu abscondere, ut et avertere, facies, quae significant non misereri; ut apud Esaiam „ In inundatione irae meae, *abscondi facies* momento a te, sed cum *Misericordia* aeternitatis *miserebor* tui" LIV: 8; inundatio irae pro tentatione, in qua quia Dominus apparet non misereri, dicitur abscondi facies momento a te. Apud Ezechielem „ *Avertam facies meas ab illis*" VII: 22. Apud Davidem „ Quousque Jehovah oblivisceris mei in aeternum, *quousque occultabis facies tuas a me*" Psalm: XIII: 2. Apud Eundem „ *Ne abscondas facies tuas a me*, ne rejicias in ira servum tuum" Psalm: XXVII: 8. 9. [3] Apud Eundem „ Quare Jehovah deseris animam meam, *abscondis facies tuas a me*" Psalm: LXXXVIII: 15. Apud Eundem, „ Festina, responde mihi Jehovah, consumtus est spiritus meus, *ne absconde facies tuas a me*, ut similis fiam descendentibus in foveam; fac me audire sub matuta *Misericordiam tuam*" Psalm: CXLIII: 7. 8. Et apud Mosen „ Excandescet ira mea contra populum hunc in die illo, ut deseram eos, et *occultabo facies meas ab illis*, unde erit ad consumendum. *Ego occultando occultabo facies meas* in die illo, propter omne malum quod fecerunt" Deut: XXXI: 17. 18; excandescere ira pro se avertere, n: 5034, et occultare facies pro non misereri: haec praedicantur de Jehovah seu Domino, tametsi Ille nusquam irascitur, et nusquam avertit seu occultat facies suas, sed ex apparentia apud hominem qui est in malo, ita dicitur; homo enim, qui est in malo, se avertit, et sibi occultat facies Domini, hoc est, Misericordiam Ipsius a se removet: quod mala apud hominem sint quae hoc faciunt, etiam ex Verbo constare potest; ut apud Micham „ *Jehovah occultabit facies suas ab illis* in tempore illo, *sicut mala reddiderunt opera sua*" III: 4. Apud Ezechielem „ Propterea quod praevaricati sunt in Me, ideo *abscondi facies meas ab illis:* juxta immunditiem eorum, et juxta praevaricationes eorum egi cum illis, et *abscondi facies meas ab illis*" XXXIX: 23. 24; [4] imprimis apud Esaiam „ Iniquitates vestrae sunt, quae separant inter vos et inter Deum vestrum;

et *peccata vestra abscondere faciunt facies a vobis* LIX: 2; ex his et pluribus aliis locis patet sensus internus, qui passim exstat, et quaerenti invenitur.

5586. Absque quod frater vester vobiscum, quod significet nisi sit medium vobis, [5] constat ex repraesentatione Benjaminis, quod sit medium, de qua n: 5411. 5413. 5443: Medium quod Benjamin repraesentat, est medium inter Internum et Externum, seu inter Spiritualem et Naturalem hominem, estque verum boni quod procedit a vero ex Divino, quod repraesentatur per Josephum; verum boni illud vocatur spirituale coelestis; quod Benjamin sit spirituale coelestis, videatur n: 3969. 4592: sunt Internum hominis et Externum ejus distinctissima inter se, nam Internum ejus est in luce coeli, et externum in luce mundi; et quia distinctissima sunt, non possunt conjungi nisi per medium, quod ab utroque trahet.

5587. Si sis tu mittens fratrem nostrum nobiscum, quod significet si ita ab Ecclesia sit ut adjungatur, quod erit medium, constat ex repraesentatione Israëlis, qui mitteret, quod sit Ecclesia, de qua n: 4286, inde si sis tu mittens, est si ita ab Ecclesia; et ex repraesentatione Benjaminis, qui hic est frater eorum, quod sit medium, de qua mox supra n: 5586: inde patet, quod per si sis tu mittens fratrem nostrum nobiscum, significetur si ita ab Ecclesia sit ut Externum ejus adjungatur Interno, quod erit medium.

5588. Descendemus et ememus tibi cibum, quod significet quod tunc comparabitur bonum veri, constat ex significatione emere, quod sit sibi comparare et appropriare; et ex significatione cibi, quod sit bonum veri, de quibus supra n: 5582.

5589. Et si non tu mittens, quod significet si non, nempe sit ab Ecclesia ut adjungatur, patet ab illis quae mox supra n: 5587.

5590. Non descendemus, quod significet quod comparari nequeat, constat ab illis quae mox supra n: 5588, dicta sunt.

5591. Quia vir dixit ad nos, quod significet perceptionem de spirituali, constat ex significatione viri, quod sit spirituale ab interno, de qua supra n: 5584; et ex significatione dicere in historicis Verbi, quod sit perceptio, de qua saepe prius.

5592. Non videbitis facies meas, quod significet quod nulla

commiseratio, constat ab illis quae supra n: 5585, explicata sunt, ubi eadem verba.

5593. Absque quod frater vester vobiscum, quod significet nisi sit medium vobis, constat ex illis, quae supra n: 5586. 5587, de Benjamine, qui hic est frater, quod sit medium, dicta sunt.

5594. Vers: 6. 7. 8. 9. 10. *Et dixit Israël, quare male fecistis mihi, ad indicandum viro, an adhuc vobis frater. Et dixerunt, interrogando interrogavit vir ad nos, et ad nativitatem nostram, dicendo, an adhuc pater vester vivit, an sit vobis frater, et indicavimus ei juxta os verborum illorum; an sciendo scivimus, quod diceret, descendere facite fratrem vestrum. Et dixit Jehudah ad Israëlem patrem suum, mitte puerum mecum, et surgemus, et ibimus, et vivemus, et non moriemur, etiam nos, etiam tu, etiam infantes nostri. Ego spondebo pro illo, e manu mea quaeres illum, nisi adduxero illum ad te, et statuero illum coram te, et peccabo tibi omnibus diebus. Quia ni forte tardaverimus, quod nunc reversi fuerimus his duabus vicibus.* Et dixit Israël, significat perceptionem ex bono spirituali: quare male fecistis mihi, ad indicandum viro, an adhuc frater, significat quod separarent a se bonum veri, ad conjungendum illud spirituali ab interno: et dixerunt, interrogando interrogavit vir ad nos, significat quod clare perciperet quae in naturali: et ad nativitatem nostram, significat de veris fidei ibi: dicendo, an adhuc pater vester vivit, significat et de bono spirituali a quo illa: an sit nobis frater, significat de interiori vero: et indicavimus ei juxta os verborum illorum, significat quod apperciperet illa congrue: an sciendo scivimus quod diceret, descendere facite fratrem vestrum, significat quod non credidimus quod vellet ut ipsi conjungeretur verum boni: et dixit Jehudah ad Israëlem patrem suum, significat perceptionem a bono Ecclesiae de illis: mitte puerum mecum, significat ut adjungeretur ei: et surgemus, et ibimus, et vivemus, et non moriemur, significat vitam spiritualem secundum gradus: etiam nos, significat externum Ecclesiae: etiam tu, significat internum ejus: etiam infantes nostri, significat quae adhuc interius: et spondebo pro illo, significat quod adjungetur interea sibi: e manu mea quaeres illum, significat quod non avelletur quantum

in ejus potentia: nisi adduxero illum ad te, et statuero illum coram te, significat nisi prorsus restitueretur Ecclesiae: et peccabo tibi omnibus diebus, significat quod non bonum Ecclesiae erit amplius: quia ni forte tardaverimus, significat immorationem in statu dubitationis: quod nunc reversi fuerimus his duabus vicibus, significat quod vita spiritualis exterior et interior.

5595. Et dixit Israël, quod significet perceptionem ex bono spirituali, constat a significatione dicere, quod sit percipere, de qua prius; et a repraesentatione Israëlis, quod sit bonum spirituale, de qua n: 3654. 4598, et quia Israël est bonum spirituale, est quoque Ecclesia spiritualis interna, n: 3305. 4286, nam Ecclesia illa est Ecclesia ex bono spirituali. Bonum spirituale est verum, quod factum bonum; verum enim fit bonum, cum vivitur secundum illud, tunc enim transit in voluntatem, et a voluntate in actum, et fit vitae, et cum verum fit vitae non amplius dicitur verum sed bonum; at voluntas quae transformat verum in bonum, est nova voluntas in parte intellectuali; id bonum est quod vocatur bonum spirituale: bonum spirituale distinguitur a bono coelesti in eo, quod bonum coeleste implantatum sit in ipsa parte voluntaria hominis; at de hac re saepius prius actum est. Quod nunc Jacob non dicatur Jacob, ut in priori Capite, Vers: 36, sed Israël, est quia hic agitur de bono, at in Capite praeced: de vero; quapropter in praecedente Capite loquutus est Ruben, per quem repraesentatur verum doctrinae Ecclesiae, n: 3861. 3866. 4731. 4734. 4761. 5542, in hoc autem Capite loquitur Jehudah, per quem repraesentatur bonum Ecclesiae, n: 3654. 5583: quod de bono nunc agatur, est quia hac vice conjunctio fit interni, quod Josephus, cum Externo quod decem filii Jacobi, per medium, quod Benjamin; et conjunctio Interni cum Externo fit per bonum.

5596. Quare male fecistis mihi ad indicandum viro an adhuc frater, quod significet quod separarent a se verum boni ad conjungendum illud spirituali ab interno, constat ex significatione malefacere, quod sit separare, nam quod separarent ab illo Benjaminem, est quod vocat malefacere; ex significatione indicare, quod sit dare quod alter cogitet et super quod reflectat, n: 2862. 5508, proinde communicare, n: 4856, [6] inde est etiam conjungere, nam cum transit in voluntatem alterius,

fit ex communicato conjunctio, sicut cum Josephus audivit quod Benjamin adhuc viveret, et esset apud patrem suum, quod vellet ut ad se veniret, et dein quod solus apud se esset, sibi conjunctus, ut patet ab historicis quae sequuntur; ex repraesentatione Josephi, quod sit Divinum spirituale, qui cum vir vocatur, quod sit spirituale ab interno, de qua n: 5584; et a repraesentatione Benjaminis, qui hic est frater eorum de quo indicaverunt, quod sit verum boni, [7] de qua n: 5586: ex his patet, quod per quare malefecistis mihi ad indicandum viro an adhuc frater, significetur quod separarent a se verum boni ad conjungendum illud spirituali ab interno.

5597. Et dixerunt, interrogando interrogavit vir ad nos, quod significet quod clare perciperet quae in naturali, constat ex significatione interrogare, quod sit cogitationem alterius percipere, de qua sequitur; et ex repraesentatione decem filiorum Jacobi, qui hic sunt nos, quod sint illa Ecclesiae quae in naturali, de qua n: 5403. 5419. 5427. 5458. 5512. Quod interrogare sit cogitationem alterius percipere, est causa, quia in coelo est communicatio omnium cogitationum, usque adeo ut nullus opus habeat alterum interrogare quid cogitat; inde est, quod interrogare significet alterius cogitationem percipere; quale enim in terra, in sensu interno est quale in coelo.

5598. Et ad nativitatem nostram, quod significet de veris fidei ibi, constat ex significatione nativitatis, quod sit veri a bono, seu fidei a charitate, de qua n: 1145. 1255. 4070. 4668: quod nativitas in sensu interno sit id, est quia in coelo non alia nativitas intelligitur, quam quae vocatur regeneratio, quae fit per verum fidei et bonum charitatis; per hanc nativitatem a filiis hominis fiunt filii Domini, hi sunt qui dicuntur a Deo nati, Joh: I: 13: secundum varietates boni a vero et veri a bono in nativitate illa sunt fraternitates seu consanguinitates et affinitates in coelo; nam in coelo sunt perpetuae varietates, sed varietates disponuntur a Domino ut referant familias, in quibus fratres, sorores, generi, nurus, nepotes, neptes, et sic porro; in genere tamen omnes disponuntur in talem formam, ut simul unum faciant; sicut varietates in Corpore humano, ubi nullum membrum alteri absolute simile est, imo nec una pars in aliquo membro alteri; usque tamen omnia illa varia in talem formam dis-

posita sunt, ut agant sicut unum, et unumquodvis concurrat ad alterius agendum prope vel remote; cum talis est forma in homine, concludi potest qualis forma erit in coelo, cum quo correspondentia est omnium quae in homine, quod nempe perfectissima.

5599. Dicendo, an adhuc pater vester vivit, quod significet et de bono spirituali a quo illa, constat ex repraesentatione Israëlis, qui hic est pater, quod sit bonum spirituale, de qua n: 3654. 4598. 5595; [8] quia ab illo bono, ut a patre, descendunt vera fidei, n: 5598, dicitur a quo illa.

5600. An sit nobis frater, quod significet de interiori vero, constat ex repraesentatione Benjaminis, quod sit spirituale coelestis, seu quod idem, verum boni aut interius verum; quod Benjamin sit verum in quo bonum, seu spirituale coelestis, videatur n: 3969. 4592; interius hoc verum est id quod est medium inter verum a Divino et verum in naturali.

5601. Et indicavimus ei juxta os verborum ejus, quod significet quod apperciperet illa congrue, constat ex significatione indicare, quod sit appercipere, de qua n: 3608; in spirituali enim mundo seu in coelo, non opus habent ut indicent quid cogitant, est enim communicatio omnium cogitationum, n: 5597, quapropter indicare in sensu spirituali significat appercipere; et ex significatione juxta os verborum ejus, quod sit congrue, nam sunt illa quae appercipere voluit.

5602. An sciendo scivimus quod diceret, descendere facite fratrem vestrum, quod significet quod non credidimus [quod vellet] ut ipsi conjungeretur verum boni, constat a significatione an sciendo scire quod diceret, quod sit non credere; et ex repraesentatione Benjaminis, qui hic est frater, quod sit verum boni, de qua mox supra n: 5600; quod hoc illi conjungeretur, significatur per quod descendere facerent, ut patet ab illis quae supra n: 5596, dicta sunt.

5603. Et dixit Jehudah ad Israëlem patrem suum, quod significet perceptionem a bono Ecclesiae de illis, constat ex significatione dicere in historicis Verbi, quod sit percipere, de qua saepius prius; a repraesentatione Jehudae, quod sit bonum Ecclesiae, de qua supra n: 5583; et a repraesentatione Israëlis, quod sit Ecclesia interna spiritualis, de qua n: 3305. 4286;

inde patet, quod per dixit Jehudah ad Israëlem patrem suum, significetur perceptio Ecclesiae a bono suo.

5604. Mitte puerum mecum, quod significet ut adjungeretur ei, nempe bono Ecclesiae, quod per Jehudam repraesentatur, constat ex significatione mittere cum illo, quod sit ei non reliquis adjungere, nam dicitur in sequentibus „Spondebo pro illo, e manu mea quaeres illum;" et ex repraesentatione Benjaminis, qui hic est puer, quod sit interius verum, de qua mox supra n: 5600: puer dicitur, quia id quod est interius, in Verbo respective vocatur puer, ex causa quia plus innocentiae est in interiori quam in exteriori, et innocentia significatur per infantem, et quoque per puerum, n: 5236.

5605. Et surgemus, et ibimus, et vivemus, et non moriemur, quod significet vitam spiritualem secundum gradus, constat a significatione surgere, quod sit elevatio ad superiora seu interiora, proinde ad illa quae sunt vitae spiritualis, de qua n: 2401. 2785. 2912. 2927. 3171. 4103. 4881; a significatione ire, quod sit vivere, de qua n: 3335. 3690. 4882. 5493, et quia sequitur „et vivemus" ire significat primam vitam spiritualem; ex significatione vivere, quod sit vita spiritualis, non enim alia vita in sensu interno Verbi intelligitur; et ex significatione non mori, quod sit non amplius damnari, seu extra statum damnationis esse, nam non alia mors in sensu interno Verbi quam mors spiritualis quae est damnatio, intelligitur; inde patet, quod per surgemus, et ibimus, et vivemus, et non moriemur, significetur vita secundum gradus, nempe introductio ad vitam per surgere, primum vitae per ire, ipsa vita per vivere, eductio ab illis quae non vitae per non mori. Quod ire in sensu interno sit vivere, apparet ei qui non de vita spirituali aliquid novit, alienum; sed hoc similiter se habet, sicut proficisci quod sit vitae ordo et vitae successivum, n: 1293. 4375. 4554. 4585, et sicut peregrinari quod sit instrui et secundum id vivere, n: 1463. 2025. 3672; dici quidem potest causa, cur ire, proficisci, et peregrinari illa significant, sed causa est talis, ut vix recipi possit ab illis, qui non sciunt, quomodo cum motibus in altera vita se habet; motus ibi et progressiones non aliud sunt, quia non aliunde, quam mutationes status vitae, hae mutationes apparent in externis prorsus sicut progressiones a loco in lo-

cum; quod ita sit, a multa experientia ex altera vita confirmari potest; ambulavi enim ibi in spiritu cum illis, et inter illos, per eorum plures mansiones, et hoc tametsi quoad corpus mansissem in eodem loco; et quoque loquutus sum cum illis quomodo id posset fieri, et instructus, quod sint mutationes status vitae, quae in mundo spirituali faciunt progressiones; quod etiam confirmabatur per id, quod spiritus per mutationes status inductas, possint sisti in alto et momento in profundo, tum longe in occidente et momento in oriente, et sic porro; sed, ut dictum, hoc non potest non ut alienum apparere ei, qui non de vita in mundo spirituali aliquid novit; sunt enim ibi non spatia, nec tempora, sed pro illis sunt status vitae; hi status in externis producunt apparentiam prorsus vivam progressionum et motuum; apparentia illa est tam viva et realis, sicut est apparentia ipsius vitae, nempe quod vita sit in nobis, ac ita nostra, cum tamen vita influit a Domino, Qui est fons unde omne vitae, videatur n: 2021. 2658. 2706. 2886. 2887. 2888. 3001. 3318. 3337. 3338. 3484. 3619. 3741. 3742. 3743. 4151. 4249. 4318. 4319. 4320. 4417. 4523. 4524. 4882. Quia ire et moveri significant vivere, ideo ab Antiquis dictum fuit, quod „*in Deo moveamur*, vivamus, et simus," et per moveri intellectum externum vitae, per vivere internum ejus, et per esse intimum.

5606. Etiam nos, quod significet externum Ecclesiae, constat ex repraesentatione decem filiorum Jacobi, qui hic sunt nos, quod sint externum Ecclesiae, de qua n: 5469.

5607. Etiam tu, quod significet internum ejus, constat ex repraesentatione Israëlis, qui hic est tu, quod sit internum Ecclesiae, de qua n: 4286. 4292. 4570.

5608. Etiam infantes nostri, quod significet quae adhuc interius, constat ex significatione infantum, quod sint illa quae interiora sunt, n: 5604; quod interiora per infantes et quoque per pueros significentur, est quia per illos et hos significatur Innocentia, et innocentia est intimum. In coelis se ita habet, intimum seu tertium coelum consistit ex illis qui in innocentia sunt, sunt enim in amore in Dominum, et quia Dominus est Ipsa Innocentia, idcirco illi qui ibi, quia in amore in Ipsum sunt, in innocentia sunt; qui tametsi sapientissimi omnium in coelis sunt, usque apparent aliis sicut infantes; inde est, et quo-

que ex eo quod infantes in innocentia sint, quod per infantes in Verbo significetur Innocentia. Quia intimum coelorum est innocentia, ideo interius apud omnes, qui in coelis sunt, erit innocentia; se habet hoc, sicut successiva se habent ad coëxistentia, seu illa quae inter se per gradus distincta sunt ad illa quae ex illis existunt, nam omne quod simul existit, oritur a successivis, cum illa ex his existunt, locant se in eodem ordine, in quo fuerunt prius distincta per gradus; sicut illustrationis causa, successiva sunt et inter se distincta, Finis, Causa, et effectus, haec cum simul existunt, in eodem ordine se locant, nempe intime finis, dein causa, et ultimo effectus, effectus est coëxistens, in quo nisi causa sit, et in causa finis, non est effectus, nam si ab effectu removes causam, destruis effectum, et magis si a causa removes finem, a fine enim habet causa ut sit causa, et a causa effectus ut sit effectus: ita quoque est in spirituali mundo; sicut finis, causa, et effectus, distincta sunt inter se, ita in spirituali mundo, amor in Dominum, charitas erga proximum, et opera charitatis; haec tria cum unum fiunt, seu simul existunt, erit primum in secundo, et secundum in tertio; ut in operibus charitatis, nisi in illis interius sit charitas ex affectione seu corde, non sunt opera charitatis, et nisi interius in charitate sit amor in Deum, non est charitas, quare si aufers id quod interius est, cadit exterius, nam exterius existit et subsistit a suis interioribus ordine: ita se habet cum Innocentia, haec unum facit cum amore in Dominum, nisi illa interius sit in charitate, non est charitas, consequenter nisi charitas in qua innocentia sit intus in operibus charitatis, non sunt opera charitatis; inde est, quod apud omnes qui in coelis, erit interius innocentia; quod ita sit, et quod per infantes significetur innocentia, constat apud Marcum „Jesus dixit discipulis, sinite *infantes* venire ad Me, et ne prohibete eis, talium enim est Regnum Dei: amen dico vobis, quisquis non acceperit regnum Dei ut *infans*, non ingredietur in illud. Suscipiens igitur illos in ulnas, posuit manum super eos, et benedixit eis" X: 14. 15. 16. Luc: XVIII: 15. 16. 17. Matth: XVIII: 3; quod per infantes hic significetur innocentia, constare potest, quia apud infantes est innocentia, et quia innocentiae in coelo apparent ut infantes; quod nemo intrare possit in coelum, nisi aliquid innocentiae habeat, videatur n: 4797;

et praeterea infantes se regi patiuntur ab angelis, qui sunt Innocentiae, et nondum ex proprio, sicut adulti, qui semet ex suo judicio et sua voluntate regunt; quod infantes ab angelis illis se regi patiantur, constat ex Domini verbis apud Matthaeum „Videte ne contemnatis ullum *ex pusillis his;* dico enim vobis, *quod Angeli eorum in coelis* semper videant faciem Patris mei" XVIII: 10; nemo videre faciem Dei potest, nisi ex innocentia. In sequentibus etiam locis per infantes significatur innocentia; apud Matthaeum „Ex ore *Infantum* et *Lactentium* perfecisti laudem" XXI: 16. Psalm: VIII: 3. Apud Eundem „Abscondisti hoc sapientibus, et intelligentibus, et revelasti ea *Infantibus*" XI: 25. Luc: X: 21; innocentia enim, quae per infantes significatur, est ipsa sapientia, nam genuina innocentia habitat in sapientia, n: 2305. 2306. 4797, inde dicitur, quod ex ore infantum et lactentium perfecisti laudem; tum quod talia revelata sunt infantibus. Apud Esaiam „Juvenca et ursus pascent, una cubabunt foetus eorum, et *ludet lactens super foramine viperae*" XI: 7. 8, [9] ibi de Regno Domini, et in specie de statu pacis et innocentiae ibi; lactens pro innocentia; quod nihil mali illis accidere possit qui in innocentia sunt, significatur per quod ludet lactens super foramine viperae, viperae sunt qui dolosissimi; agitur in eo Capite aperte de Domino. Apud Joëlem „Clangite buccina in Zione, congregate populum, sanctificate congregationem, colligite senes, congregate *Infantes* et *sugentes ubera*" II: 16; senes pro sapientibus, infantes et sugentes ubera pro innocentibus. In sequentibus locis etiam per infantes intelligitur innocentia, sed in his quod destructa; apud Jeremiam „Quare vos facientes malum magnum contra animas vestras, ad exscindendum vobis virum, et foeminam, *infantem* et *lactentem*, e medio Jehudae ut non relinquam vobis reliquias" XLIV: 7. Apud Eundem „Tolle ad Ipsum manus tuas super anima *Infantum tuorum*, qui deficiunt per famem in capite omnium platearum" Thren: II: 19. Apud Ezechielem „Transite per Hierosolymam, et percutite, nec parcat oculus vester, neque clementia utamini, senem, juvenem, et virginem, et *infantem*" IX: 5. 6. Apud Micham „Mulieres populi mei expellitis e domo deliciarum cujusque, *a cum Infantibus ejus* auferunt honorem meum in perpetuum" II: 9. Quod autem Infantum inno-

centiam attinet, est illa solum externa, non autem interna, et quia non interna, non potest conjuncta esse cum aliqua sapientia; Angelorum autem, imprimis Tertii Coeli, innocentia est interna, ac ita conjuncta cum sapientia, n: 2305. 2306. 3494.[10] 4563. 4797; homo etiam ita creatus est, ut cum senescit, et fit sicut infans, quod tunc innocentia sapientiae se conjungat cum innocentia ignorantiae, quae fuerat ei in infantia, et sic ut verus infans transeat in alteram vitam.

5609. Et spondebo pro illo, quod significet quod adjungetur interea sibi, constat ex significatione spondere pro aliquo, quod sit esse pro illo, ut quoque patet a nunc sequentibus, imprimis ab illis quae Jehudah ad Josephum Cap: seq: XLIV, Vers: 32. 33, de sponsione sua loquutus est; et quia spondere est esse pro illo, etiam est ut in via sit cum illo sibi adjunctus.

5610. E manu mea quaeres illum, quod significet quod non avelletur quantum in sua potentia, constat ex significatione manus, quod sit potentia, de qua n: 878. 3387. 4931 ad 4937. 5327. 5328. 5544; quod sit quantum in sua potentia, est quia sponsio seu vadimonium non ultra vadit; quod verum est, et quale est, sensus internus exponit; et ex significatione quaerere ab illo, quod sit non avelli, nam qui ab altero quaeritur, ei adjunctus et ab illo indivulsus erit.

5611. Nisi adduxero illum ad te, et statuero illum coram te, quod significet quod prorsus restituetur Ecclesiae, constat ex significatione adducere ad illum, et statuere coram illo, quod sit prorsus restituere; et a repraesentatione Israëlis, ad quem restitueretur, quod sit Ecclesia, de qua n: 3305. 4286. 5595.

5612. Et peccabo tibi omnibus diebus, quod significet quod non bonum Ecclesiae erit amplius, constat ex repraesentatione Jehudae, qui de se haec dicit, quod sit bonum Ecclesiae, de qua n: 5583. 5603; a significatione peccare, quod sit disjunctio, de qua n: 5229. 5474, ita quod non erit, nam quod disjungitur ab aliquo, hoc non est cum illo magis; et ex significatione omnibus diebus, quod sit in perpetuum, ita non amplius. Haec dicta sunt, quia bonum Ecclesiae dari non potest absque medio inter internum et externum, quod repraesentatur per Benjaminem, influit enim tam bonum quam verum Ecclesiae ab Interno per Medium in Externum, consequenter quantum interest

ut bonum Ecclesiae sit, tantum ut sit medium; idcirco Jehudah spondet pro Benjamine: quod non bonum Ecclesiae absque medio detur, significatur per haec verba Jehudae; et quod nec verum Ecclesiae, per verba Rubenis n: 5542.

5613. Quia ni forte tardaverimus, quod significet immorationem in statu dubitationis, constat a significatione tardare, quod sit status dubitationis, nam sicut ire, progredi, proficisci, peregrinari, significant statum vitae, n: 5605, ita tardare statum dubitationis, nam cum status vitae est in statu dubitationis, tunc externum est in statu tardationis; hoc quoque videndum sistitur in ipso homine, cum mens ejus haeret in aliquo dubio, tunc sistit gradum, et pensitat; causa est, quia dubitatio statum vitae haerentem et utrinque pendentem facit, consequenter progressionem externam, quae est effectus. [11] Inde patet, quod per ni forte tardaverimus, significetur immoratio in statu dubitationis.

5614. Quod nunc reversi fuerimus his duabus vicibus, quod significet quod vita spiritualis exterior et interior, constat ex significatione ire, quod sit vivere, de qua supra n: 5605, [12] quare redire, est inde vivere; illuc enim iverunt, ut frumentum sibi compararent, et per frumentum significatur bonum veri, ex quo vita spiritualis; et ex significatione his duabus vicibus, quod, quia se refert ad vitam, sit vita exterior et interior, nam per annonam, quam prima vice acceperunt, significata est vita exterior seu in naturali, ex causa quia erant absque medio, de qua re in Capite praecedente, at per frumentum quod hac vice accipiunt, significatur vita interior, nam nunc erant cum Benjamine, qui medium, de qua re in hoc et in sequente Capite; inde est, quod per nunc reversi fuerimus his duabus vicibus significetur vita spiritualis exterior et interior. Quod haec significentur, non potest non apparere alienum, imprimis qui nihil de spirituali novit, apparet enim sicut reverti his duabus vicibus, ne quidem aliquid commune habeat cum vita spirituali, quae significatur, sed usque est ille sensus internus verborum: si credere velis, ipsa cogitatio interior hominis qui in bono est hoc capit, quia ea est in sensu interno, tametsi homo cum in corpore est id alte ignorat, nam sensus internus, seu sensus spiritualis, qui est interioris cogitationis, cadit, illo nesciente, in

P

ideas materiales et sensuales, quae participant de tempore et spatio, et de talibus quae in mundo, et sic non apparet quod cogitatio ejus interior sit talis; est enim cogitatio ejus interior, qualis est angelorum, nam ejus spiritus cum illis in societate est: quod cogitatio hominis, qui in bono est, sit secundum sensum internum, constare potest ex eo, quod post mortem, cum in coelum venit, illico absque ulla informatione, in sensu interno sit, quod nullatenus esset, nisi in mundo quoad interiorem cogitationem in illo sensu fuisset; quod in illo sit, causa est, quia correspondentia est inter spiritualia et naturalia, talis, ut ne quidem minimum sit, cujus non detur correspondentia; idcirco quia mens interior seu rationalis hominis qui in bono est, in spirituali mundo est, et mens ejus exterior seu naturalis in naturali mundo, non potest aliter quam quod utraque mens cogitet, sed interior spiritualiter, et exterior naturaliter, et quod spirituale cadat in naturale, et unum agant per correspondentiam: quod mens interior hominis, cujus cogitationis ideae vocantur intellectuales, et dicuntur immateriales, non cogitet ex vocibus alicujus linguae, consequenter non ex formis naturalibus, constare potest ei, qui potest de his reflectere, nam cogitare potest momento, quod vix potest per horam eloqui, ita per universalia, quae in se comprehendunt perplura singularia; illae ideae cogitationis sunt spirituales; et non aliae, cum Verbum legitur, quam sicut est sensus internus; tametsi homo hoc nescit, ex causa, ut dictum, quia spirituales illae ideae per influxum in naturale sistunt ideas naturales, et sic ideae spirituales non apparent, usque adeo, ut homo credat, nisi instructus fuerit, quod spirituale non sit, nisi sit quale est naturale, imo quod non aliter cogitet in spiritu, quam sicut loquitur in corpore, taliter Naturale obumbrat Spirituale.

5615. Vers: 11. 12. 13. 14. *Et dixit ad illos Israël pater illorum, si ita ergo hoc, facite, accipite ex decantatione terrae in vasis vestris, et descendere facite viro munus, parum resinae, et parum mellis, ceram et stacten, nuces terebinthinas et amygdalas. Et argenti duplum accipite in manibus vestris, et argentum reductum in ore manticarum vestrarum reducatis in manu vestra, forte error hoc. Et fratrem vestrum accipite, et surgite, et revertimini ad virum. Et Deus Schad-*

dai det vobis misericordias coram viro, et mittat vobis fratrem vestrum alterum, et Benjaminem, et ego quemadmodum orbatus sum orbatus ero. Et dixit ad illos Israël pater illorum, significat perceptionem ex bono spirituali: si ita ergo, facite, significat si non aliter fieri possit, ita fiat: accipite ex decantatione terrae in vasis vestris, significat eximiora Ecclesiae in veris fidei: et descendere facite viro munus, significat ad obtinendam gratiam: parum resinae et parum mellis, significat vera boni naturalis exterioris et jucundum ejus: ceram et stacten, significat vera boni naturalis interioris: nuces terebinthinas et amygdalas, significat bona vitae illis veris correspondentia: et argenti duplum accipite in manibus vestris, significat verum acceptum in potentiis: et argentum reductum in ore manticarum vestrarum reducatis in manu vestra, significat quod per verum gratis datum in exteriori naturali submitterent se, quantum possibile: forte error hoc, significat ne adversus sit: et fratrem vestrum accipite, significat quod sic illis bonum fidei: et surgite, revertimini ad virum, significat vitam a vero spirituali: et Deus Schaddai, significat consolationem post dura: det vobis misericordias coram viro, significat ut verum spirituale gratiose vos accipiat: et mittat vobis fratrem vestrum alterum, significat ut det bonum fidei: et Benjaminem, significat utque verum interius: et ego quemadmodum orbatus sum orbatus ero, significat quod Ecclesia, antequam illa fiunt, erit sicut privata suis veris.

5616. Dixit ad illos Israël pater illorum, quod significet perceptionem ex bono spirituali, constat ex significatione dicere in historicis Verbi, quod sit perceptio; et ex repraesentatione Israëlis, quod sit bonum spirituale, de quibus supra n: 5595; pater dicitur, quia vera, quae repraesentant filii ejus, sunt ex illo bono ut a patre.

5617. Si ita ergo, facite, quod significet si non aliter fieri possit, ita fiat, constare potest absque explicatione.

5618. Accipite ex decantatione terrae in vasis vestris, quod significet eximiora Ecclesiae in veris fidei, constat ex significatione decantationis, quod sint eximia, de qua sequitur; ex significatione terrae, quod sit Ecclesia, de qua supra n: 5577; et ex significatione vasorum, quod sint vera fidei, de qua n: 3068. 3079. 3316. 3318. Decantatio dicitur, quia vox illa in

P*

Lingua originali derivatur a cantatione, inde decantatio terrae significat productiones decantatas et laudatas, proinde in sensu interno eximiora.

5619. Et descendere facite viro munus, quod significet ad obtinendam gratiam, constat ex significatione offerre munus viro, hic Josepho, qui vocatur dominus terrae, quod sit ad obtinendam gratiam: solenne fuerat in Ecclesia repraesentativa Antiqua, et inde in Judaica, judicibus, et postea regibus et sacerdotibus dare aliquid muneris cum illos adirent, mandatum etiam hoc fuit; causa erat, quia munera, quae illis dabant, repraesentabant talia apud hominem, quae offerri debent Domino cum aditur, quae sunt quae ex Libero, proinde ex ipso homine, nam liberum ejus est quod ex corde, et quod ex corde est ex voluntate, et quod ex voluntate est ex affectione quae amoris, et quod ex affectione quae amoris est liberum, ita ipsius hominis, n: 1947. 2870 ad 2893. 3158; ex hoc ab homine dabitur munus Domino cum aditur; hoc munus erat, quod repraesentabatur; reges enim repraesentabant Dominum quoad Divinum Verum, n: 1672. 2015. 2069. 3009. 3670. [13] 4581. 4966. 5044; et sacerdotes quoad Divinum bonum, n: 1728. 2015 f. 3670: quod munera illa essent initiationes, videatur n: 4262; et initiationes sunt ad obtinendam gratiam.

5620. Parum resinae et parum mellis, quod significet vera boni naturalis exterioris, et jucundum ejus, constat ex significatione resinae, quod sit verum boni, seu verum ex bono, de qua n: 4748; causa quod resina id significet, est, quia inter unguentosa est, et quoque inter aromatica; quae aromatica sunt, illa significant talia quae sunt veri ex bono, et magis cum etiam unguentosa sunt et inde aliquid ex oleo trahunt, nam oleum significat bonum, n: 886. 3728. 4582: resina illa quod aromatica fuerit, videatur Gen: Cap: XXXVII: 25, ac ideo quoque eadem vox in lingua originali balsamum significat; quod illa unguentosa seu crasse oleosa, constat; inde nunc est, quod per resinam significetur Verum boni quod in naturali, hic in exteriori, quia primo loco ponitur, et adjungitur melli, quod est jucundum ibi. Quod Mel sit jucundum, est quia est dulce, et omne dulce in naturali mundo correspondet jucundo et amoeno in spirituali; quod dicatur jucundum ejus, nempe veri ex bono

in naturali exteriori, est quia omne verum, et magis verum boni suum jucundum habent, sed jucundum ex affectione eorum, et inde usu. Quod mel sit jucundum, constare potest etiam ab aliis locis in Verbo, ut apud Esaiam „Virgo concipiet et pariet filium; et vocabit nomen Ejus Immanuel (Deus nobiscum:) butyrum et mel comedet, ad sciendum Ipsum reprobare malum, et eligere bonum" VII: 14. 15, ibi de Domino, butyrum pro coelesti, Mel pro eo quod ex coelesti. Apud Eundem „Erit, prae multitudine faciendi lac, comedet butyrum; et butyrum et *mel* comedet omnis residuus in medio terrae" VII: 22, ibi de Regno Domini, lac pro bono spirituali, butyrum pro bono coelesti, et mel quod ex illis, ita pro felici, amoeno, jucundo. Apud Ezechielem „Sic ornata es auro et argento; et vestes tuae byssus et sericum, et acupictum; similam et *Mel* et oleum comedisti, unde pulchra facta es valde admodum; et prosperata es usque ad regnum: simila, oleo et *melle* cibavi te; tu autem dedisti illud coram illis in odorem quietationis" XVI: 13. 19, ibi de Hierosolyma, per quam intelligitur Ecclesia spiritualis, describitur qualis fuit apud Antiquos, et dein qualis facta est: quod ornata fuerit auro et argento, est quod bono et vero coelesti et spirituali; vestes ejus byssus, sericum, et acupictum pro veris in rationali et utroque naturali; simila pro spirituali, mel pro ejus amoeno, et oleum pro ejus bono; quod per singula illa significentur talia quae sunt coeli, cuivis potest constare. Apud Eundem „Jehudah et terra Israëlis fuerunt negotiatores tui in triticis minnith et pannag, et *Melle* et oleo, et balsamo" XXVII: 17, ibi de Tyro, per quam significatur Ecclesia spiritualis, qualis in initio fuit, et qualis postea facta, sed quoad cognitiones boni et veri, n: 1201; Mel etiam ibi pro amoeno et jucundo ex affectionibus sciendi et discendi bona et vera coelestia et spiritualia. Apud Mosen „Equitare facis eum super excelsa terrae, et cibat proventu agrorum, sugere facit eum *mel e rupe*, et oleum ex saxo petrae" Deut: XXXII: 13; etiam ibi de Ecclesia Antiqua spirituali; sugere mel e rupe, pro jucundum ex veris scientificis. Apud Davidem „Cibo eos ex adipe tritici, et e *petra melle* saturo eos" Psalm: LXXXI: 17, e petra melle saturare, pro ex veris fidei jucundo. In Deuteronomio „Jehovah deducens te ad terram bonam, terram fluviorum aquae, fontium,

et abyssorum, exeuntium e valle, et e monte, terram tritici et hordei, et vitis, et ficus, et malogranati, terram olivae olei *et mellis*" VIII: 7. 8; de terra Canaane, in sensu interno de Regno Domini in coelis; terra olivae olei et mellis pro bono spirituali et ejus amoeno: inde etiam terra Canaan vocatur „terra fluens *lacte* et *melle*" Num: XIII: 27. Cap: XIV: 7. 8. Deut: XXVI: 9. 15. Cap: XXVII: 3. Jerem: XI: 5. Cap: XXXII: 22. [14] Ezech: XX: 6, per terram Canaan ibi in sensu interno intelligitur, ut dictum, Regnum Domini, fluens lacte pro abundantia coelestium spiritualium, et melle pro abundantia felicitatum et jucunditatum inde. Apud Davidem „Judicia Jehovae veritas, justa sunt simul, desiderabilia prae auro, et prae obryzo multo, et *dulcia prae melle*, et *stillatione favorum*" Psalm: XIX: 11, Judicia Jehovae pro Vero Divino, dulcia prae melle et stillatione favorum pro jucundis ex bono et amoenis ex vero. Apud Eundem „Dulcia sunt palato meo verba tua, *prae melle* ori meo" Psalm: CXIX: 103, similiter. Manna, quae erat pro pane Jacobi posteris in deserto, ita describitur apud Mosen „Man erat sicut semen coriandri, album, et gustus ejus sicut *placentae melle subactae*" Exod: XVI: 31, Man quia significabat Verum Divinum, quod a Domino per coelum descendit, proinde Ipsum Dominum quoad Divinum Humanum, ut Ipse docet Joh: VI: 51. 58, est enim Divinum Humanum Domini ex quo omne verum Divinum, imo de quo omne verum Divinum; et quia ita, describitur manna quoad jucundum et amoenum per gustum, qui esset sicut placentae melle subactae, quod gustus sit jucundum boni et amoenum veri, videatur n: 3502. Johannes Baptista, quia repraesentabat Dominum quoad Verbum, quod est Divinum Verum in terra, pariter ac Elias, n: 2762. 5247 f, ideo is fuit Elias qui ante Dominum venturus, Malach: III: 23. Matth: XVII: 10. 11. 12. Marc: IX: 11. 12. 13. Luc: I: 17, quare indumenta illius et alimenta, erant significativa, de quibus apud Matthaeum „Johannes habebat indumentum suum ex pilis cameli, et cingulum coriaceum circa lumbum suum, alimentum ejus erant locustae et *mel agreste*" III: 4. Marc: I: 6, indumentum ex pilis cameli significabat Verbum, qualis est ejus sensus literalis quoad verum, qui sensus est indumentum pro sensu interno, quod nempe naturalis, significatur enim naturale

per pilos, tum per camelos; et alimentum quod locustae et mel agreste, significabat Verbum, qualis est ejus sensus literalis quoad bonum, ejus jucundum significatur per mel agreste. Etiam jucundum Veri Divini quoad sensum externum, describitur per mel apud Ezechielem „ Dixit ad me, fili hominis, ventrem tuum ciba, et viscera tua imple volumine hoc, quod Ego dans tibi: cumque comedi, *fuit in ore meo sicut mel quoad dulcedinem* " III: 3. Et apud Johannem „ Angelus dixit mihi, accipe Libellum et devora illum, amarum quidem reddet ventrem tuum, *sed in ore tuo erit dulcis sicut mel:* accepi itaque Libellum e manu Angeli, et devoravi, qui erat *in ore meo sicut mel dulcis*, sed cum comedissem illum, amarus redditus est venter meus: tunc dixit mihi, oportet te rursus prophetare super populos et gentes, et linguas, et reges multos " Apoc: X: 9. 10. 11; volumen apud Ezechielem, et libellus apud Johannem, pro Vero Divino, hoc quod in externa forma appareat jucundum, significatur per quod sapor esset dulcis sicut mellis, Verum enim Divinum, sicut Verbum, in externa forma seu in sensu literali est jucundum, quia ad favorem cujusvis per interpretationes se explicari patitur; non autem sensus internus, qui ideo significatur per saporem amarum, hic enim sensus detegit interiora hominis; quod sensus externus [15] sit jucundus, est causa, quae dicta, quod quae ibi ad favorem explicari queant, sunt ibi modo communia vera, et communia sunt talia, antequam qualificata sunt per particularia, et haec per singularia; tum jucundus est, quia est naturalis, et spirituale se recondit intus; jucundus etiam erit, ut homo recipiat, hoc est, ut introducatur et non in primo limine deterreatur. Favus apiarius et piscis assus, quos comedit Dominus post resurrectionem, apud discipulos, etiam Verbi sensum externum significabant, piscis quoad ejus verum, et favus apiarius quoad ejus amoenum, de quibus ita apud Lucam „ Jesus dixit, habetis ne aliquid edulii hic, illi dederunt Ipsi piscis assi partem, et de favo apiario, quae accipiens coram illis comedit " XXIV: 41. 42. 43; et quia illa significantur, ideo Dominus ad illos dicit „ Haec sunt verba quae loquutus sum ad vos cum adhuc essem vobiscum, quod oporteret impleri omnia quae scripta sunt in Lege Mosis, et Prophetis, et Psalmis, de Me " ibid: Vers: 44; apparet sicut talia non significarentur, quia quod haberent

piscis assi partem et favum apiarium, videtur sicut ex fortuito, at usque fuerat ex proviso, non solum hoc, sed etiam reliqua quoad omnium minima, quae in Verbo; quia talia significabantur, ideo loquebatur Dominus de Verbo, quod in illa scripta sint de Ipso; at quae de Domino scripta sunt in Verbo Veteris Testamenti in sensu literae, pauca sunt, sed quae in sensu interno, sunt omnia, inde enim sanctum Verbi est; haec intelliguntur per quod oporteret impleri omnia quae scripta sunt in Lege Mosis, et Prophetis, et Psalmis de Ipso. Ex his nunc constare potest, quod per Mel significetur jucundum, quod ex bono et vero, seu ex eorum affectione, et quod in specie significetur jucundum externum, ita exterioris naturalis; hoc jucundum, quia tale est, ut e mundo per sensualia sit, et sic in se plura ex amore mundi contineat, idcirco vetitum erat, ut mel adhiberetur in minchis, de quo ita in Levitico „ Omnis mincha, quam adferetis Jehovae, non conficietur fermentata; ullum enim fermentum, aut *ullum mel non*, de quo adoleatis ignitum Jehovae " II: 11, mel pro jucundo externo tali, quod quia in se ex amore mundi continet, etiam fermenti instar erat, quapropter prohibebatur: quid fermentum seu fermentatum, videatur n: 2342.

5621. Ceram et stacten, quod significet vera boni naturalis interioris, constat ex significatione cerae, hic cerae aromaticae, quod sit verum boni, de qua sequitur; et ex significatione stactes, quod quoque sit verum ex bono, de qua n: 4748; quod sint naturalis interioris, est quia aromata illa puriora sunt, quam resina et mel, et ideo secundo loco nominantur, talia enim in Verbo recensentur secundum ordinem. Per ceram ibi non intelligitur cera vulgaris, sed cera aromatica, quae sicut storax, haec cera per vocem, qua exprimitur in Lingua originali, significatur, etiam per eandem aroma; inde patet, cur cera illa aromatica significat verum boni; omnia enim aromata, quia suaveolentia, in sensu interno significant vera quae ex bono; hoc constare potest ex eo, quod vera quae ex bono in coelo percipiantur ita amoene, sicut suaveolentia in mundo; quapropter etiam cum perceptiones angelorum vertuntur in odores, quod saepe fit ex beneplacito Domini, tunc sicut fragrantiae ex aromatibus et ex floribus, sentiuntur; inde est, quod thura et

suffimenta ex grate odoratis confecta fuerint, et in usum sanctum adhibita, et inde quoque est quod aromatica immixta fuerint oleo unctionis; qui nescit, quod talia trahant causam ex perceptivis in coelo, opinari potest, quod solum mandata fuerint, ut gratum redderent cultum externum, sed tunc nihil de coelo, seu nihil sancti inesset, consequenter talia cultus in se non Divinum haberent. Videantur quae prius de his ostensa sunt, nempe quod thura et suffimenta, tum fragrantia in oleo unctionis, fuerint repraesentativa spiritualium et coelestium, n: 4748. Quod sphaerae fidei et amoris vertantur in odores gratos, et quod inde odores grati et suaveolentes, tum aromatici, significent vera fidei quae ex bono amoris, n: 1514. 1517. 1518. 1519. 4628.

5622. Nuces therebinthinas et amygdalas, quod significet bona vitae illis veris correspondentia, constat ex significatione nucum therebinthinarum, quod sint bona vitae correspondentia veris boni naturalis exterioris, quae per resinam significantur, de qua sequitur; et ex significatione amygdalorum, quod sint bona vitae correspondentia veris boni naturalis interioris, quae per ceram aromaticam et stacten significantur. Quod nuces illae significent talia, est quia sunt fructus, et fructus in Verbo significant opera, fructus arborum utilium bona opera, seu quod idem, bona vitae, nam bona vitae quoad [16] usum sunt bona opera. Quod Nuces therebinthinae significent bona vitae veris boni naturalis exterioris correspondentia, est quia sunt arboris minus nobilis, et quae exteriora sunt, per talia, quae minus nobilia sunt, significantur; causa est, quia exteriora in se crassiora sunt interioribus, nam sunt communia ex perpluribus interiorum composita. At quod amygdalae significent bona vitae veris boni naturalis interioris correspondentia, est quia amygdalus est arbor nobilior; ipsa arbor significat in spirituali sensu perceptionem Veri interioris quod ex bono, ejus flos verum interius quod ex bono, et ejus fructus bonum vitae ex illo; in hoc sensu dicitur Amygdalus apud Jeremiam „ Factum est verbum Jehovae, dicendo, quid vides Jeremia, et dixi, *baculum amygdali* ego video; tum dixit Jehovah ad me, probe fecisti videndo, quia vigilans Ego super Verbo meo, ut faciam illud" I: 11: baculus pro potentia, amygdalus pro perceptione veri interioris,

hic quia praedicatur de Jehovah, pro vigilatione super illo, verbum pro vero. Per amygdalas quae effloruerunt ex baculo Aharonis pro tribu Levi, etiam significantur bona charitatis seu bona vitae, de quibus ita apud Mosen „Factum postridie, cum intravit Moses in tentorium conventus, ecce effloruerat baculus Aharonis pro tribu Levi, et produxerat florem, ut floreret flos, et ferret *amygdalas*" Num: XVII: 23; hoc signum erat, quod illa tribus electa fuerit in sacerdotium, quia per illam significata fuit charitas, n: 3875. 3877. 4497. 4502. 4503, quae est essentiale Ecclesiae spiritualis.

5623. Et argenti duplum accipite in manibus vestris, quod significet verum acceptum in potentiis, constat a significatione argenti, quod sit verum, de qua n: 1551. 2954; a significatione dupli, quod sit successive alterum, de qua n: 1335, nempe verum quo gratis donati, et quo rursus donandi: et a significatione manuum, quod sint potentiae, de qua n: 878. 3387. 4931 ad 4937. 5327. 5328. Verum in potentiis est in facultatibus recipiendi, ita secundum facultates; at facultates seu potentiae recipiendi verum, se habent prorsus secundum bonum, nam illos Dominus adjungit bono, cum enim Dominus influit cum bono etiam influit cum facultate; inde verum acceptum in potentiis est secundum bona; quod facultates recipiendi verum se habeant secundum bonum, constare potest a multa experientia in altera vita; qui ibi in bono sunt, illi habent non modo facultatem percipiendi verum, sed etiam recipiendi, at secundum quantum boni et quale boni, in quo sunt: qui autem in malo sunt, illi vicissim nullam facultatem recipiendi verum habent: hoc venit ex volupi, et inde desiderio; qui in bono sunt, illis volupe est bonum perficere per verum, nam bonum suum quale accipit a veris, quare etiam desiderant vera; at qui in malo sunt, illis volupe est malum, et hoc per falsa confirmare; quare etiam desiderant falsa; et quia desiderant falsa, aversantur vera; inde est, quod illis nulla facultas recipiendi vera, rejiciunt enim, vel suffocant, vel pervertunt illa, ut primum ad aurem aut in cogitationem veniunt. Praeterea unusquisque homo, qui sanae mentis est, in facultate est recipiendi vera, sed facultatem illam exstinguunt illi qui ad malum se convertunt, at facultatem illam elevant illi qui ad bonum.

5624. Et argentum reductum in ore manticarum vestrarum reducatis in manu vestra, quod significet quod per verum gratis datum in exteriori naturali submitterent se, quantum possibile, constat ex significatione argenti reducti, quod sit verum gratis datum, de qua n: 5530; ex significatione in ore manticae, quod sit in limine naturalis exterioris, de qua n: 5497; et ex significatione in manu, quod sit in potentia, de qua mox supra n: 5623, ita quantum possibile; quod se submitterent per id verum, significatur per quod reducerent; in spirituali enim mundo, reducere verum ad Dominum a quo gratis id acceperunt, est se per illud submittere; quomodo autem se per id submiserunt, patet ex loquela cum viro, qui super domum Josephi, Vers: 18 ad 24.

5625. Forte error hoc, quod significet ne adversus sit, constat a significatione erroris, quod sit adversum, nam talis error hic intelligitur, sicut quod obliti argentum dare, et sic reduxerint illud, quisque in suo sacco, ob quam causam illis adversus posset esse, ut quoque crediderunt, „ timuerunt enim quod adducti domum Josephi, et dixerunt, super verbum argenti reducti in manticis nostris in initio nos adducimur, ad devolvendum super nos, et ad conjiciendum se super nos et ad sumendum nos ad servos, et asinos nostros " Vers: 18: praeterea peccatum significat disjunctionem et aversionem, n: 5229. 5474, ita error, si ei peccatum inest, sed minorem, quapropter dicitur ne adversus sit.

5626. Et fratrem vestrum accipite, quod significet quod sic illis bonum fidei, constat ex repraesentatione Schimeonis, qui hic est frater quem acciperent, quod sit fides voluntate, de qua n: 3869. 3870. 3871. 3872. 4497. 4502. 4503. 5482, ita bonum fidei, nam verum fidei cum transit in voluntatem, fit bonum fidei, transit enim tunc verum in vitam hominis, et cum ibi est, tunc spectatur non sicut quod sciendum, sed quod faciendum, ex quo mutat suam essentiam, et fit actuale; inde non vocatur amplius verum, sed bonum.

5627. Et surgite, revertimini ad virum, quod significet vitam a vero spirituali, constat a significatione surgere, quod sit elevatio ad interiora, proinde ad spiritualia, de qua n: 2401. 2785. 2912. 2927. 3171. 4103. 4881; a significatione reverti,

quod sit vita inde, de qua supra n: 5614; et a repraesentatione Josephi, cum vir vocatur, quod sit verum spirituale, de qua n: 5584.

5628. Et Deus Schaddai, quod significet consolationem post dura, constat ex significatione Schaddai, quod sit tentatio, et post tentationem consolatio, de qua n: 1992. 4572, hic itaque consolatio post dura quae passi sunt in Aegypto; quod sit consolatio post dura, patet quoque a verbis quae continenter sequuntur „det vobis misericordias coram viro.” Quod Schaddai significet tentationem et post tentationem consolationem, est quia Antiqui insigniverunt Unicum Deum variis nominibus, secundum varia quae ab Ipso; et quia crediderunt etiam Tentationes ab Ipso fuisse, vocaverunt tunc Deum, Schaddai, at per id nomen non alium Deum intellexerunt, sed Unicum quoad Tentationes; verum cum Antiqua Ecclesia declinavit, coeperunt tot deos colere, quot nomina Unici Dei fuerunt, et quoque ex se plures superaddiderunt; hoc tandem ita invaluit, ut unaquaevis familia haberet suum deum, et prorsus distinguerent illum a reliquis qui ab aliis colebantur; familia Therachi, e qua Abraham, pro suo deo colebat Schaddai, videatur n: 1356. 1992. 2559. 3667, inde non solum Abraham, sed etiam Jacob, ut suum deum agnoscebant, et quoque in terra Canaan; at ne a religioso suo cogerentur, nemo enim a suo sancto cogitur, permittebatur hoc illis; sed quia ab Antiquis per illum intellectus fuit ipse Jehovah seu Dominus, qui ita appellatus cum tentationes subiverunt, ideo Jehovah seu Dominus recepit hoc nomen, apud Abrahamum, ut patet ex Genes: Cap: XVII, Vers: 1, et quoque apud Jacobum, Genes: Cap: XXXV: 11. Quod non modo tentatio, sed etiam consolatio per Schaddai significetur, est quia post omnes tentationes spirituales sequitur consolatio; quod ab experientia in altera vita scire datum est, cum enim ibi aliquis dura patitur a spiritibus malis, per infestationes, excitationes ad mala, et persuasiones ad falsa, post cum spiritus mali remoti sunt, recipitur is ab angelis, et in statum solatii per jucundum ejus genio conforme perducitur.

5629. Det vobis misericordias coram viro, quod significet ut verum spirituale gratiose vos recipiat, constat ex significatione dare misericordias, quod sit gratiose recipere; et ex re-

praesentatione Josephi, quod, cum vir dicitur, sit verum spirituale, ut supra n: 5627.

5630. Et mittat vobis fratrem vestrum alterum, quod significet ut det bonum fidei, constat a repraesentatione Schimeonis, qui hic est frater alter, quod sit bonum fidei, ut supra n: 5626: quod mittere sit dare, est quia mittere dicitur applicate ad personam, at dare applicate ad rem, quae per personam significatur.

5631. Et Benjaminem, quod significet utque verum interius, constat ex repraesentatione Benjaminis, quod sit verum interius, de qua supra n: 5600.

5632. Et ego quemadmodum orbatus sum orbatus ero, quod significet quod Ecclesia, antequam illa fiunt, erit privata suis veris, constat a repraesentatione Israëlis, qui de se hoc loquitur, quod sit Ecclesia, de qua n: 3305. 4286; et a significatione orbari, quod sit privari veris quae sunt Ecclesiae, de qua n: 5536: quod ita antequam illa fiunt, patet, si enim non bonum fidei, quod repraesentatur per Schimeonem, n: 5630, et si non verum interius, quod medium, quod repraesentatur per Benjaminem, non est Ecclesiae aliquod verum, nisi tale verum quod solum est in ore, non autem in corde.

5633. Vers: 15. 16. 17. *Et acceperunt viri munus hoc, et duplum argenti acceperunt in manu sua, et Benjaminem, et surrexerunt, et descenderunt Aegyptum; et steterunt coram Josepho. Et vidit Joseph cum illis Benjaminem, et dixit ei qui super domo sua, adduc viros domum, et mactando macta, et praepara, quia mecum comedent viri in meridie. Et fecit vir quemadmodum dixit Joseph, et adduxit [vir] viros domum Josephi.* Et acceperunt viri munus, significat quod vera secum haberent per quae obtinerent gratiam: et duplum argenti acceperunt in manu sua, significat etiam verum acceptum in potentia: et Benjaminem, significat et quoque medium: et surrexerunt et descenderunt Aegyptum, significat elevationem ad vitam sibi comparandam ex interioribus scientificorum: et steterunt coram Josepho, significat praesentiam coelestis spiritualis ibi: et vidit Joseph cum illis Benjaminem, significat apperceptionem Medii spiritualis apud vera, a coelesti spiritualis: et dixit ei qui super domo sua, significat ad id quod Ecclesiae externae: adduc vi-

ros domum, significat quod vera in naturali illuc introducerentur: et mactando macta et praepara, significat per bona naturalis exterioris: quia mecum comedent viri in meridie, significat quod conjungentur quando cum medio: et fecit vir quemadmodum dixit Joseph, significat effectuationem: et adduxit vir viros domum Josephi, significat introductionem primam in bonum quod a coelesti spiritualis.

5634. Et acceperunt viri munus hoc, quod significet quod vera secum haberent per quae obtinerent gratiam, constat a significatione virorum, quod sint vera, de qua n: 3134; et ex significatione muneris, quod dabatur cum adirent reges et sacerdotes, quod sit ad obtinendam gratiam, de qua n: 5619.

5635. Et duplum argenti acceperunt in manu sua, quod significet etiam verum acceptum in potentia, constat ex illis quae supra n: 5623 dicta, ubi eadem verba: ibi etiam videatur, quid per verum acceptum in potentia intelligitur.

5636. Et Benjaminem, quod significet et quoque medium, constat a repraesentatione Benjaminis, quod sit medium, de qua n: 5411. 5413. 5443.

5637. Et surrexerunt et descenderunt Aegyptum, quod significet elevationem, ad vitam sibi comparandam ex interioribus scientificorum, constat a significatione surgere, quod sit elevatio ad illa quae sunt vitae spiritualis, de qua n: 2401. 2785. 2912. 2927. 3171. 4103. 4881; a significatione descendere, quod sit ad vitam sibi comparandam; involvit enim hic descendere simile quod prius, quo nempe per haec verba „Mitte puerum mecum, et surgemus, et ibimus, et vivemus, et non moriemur," Vers: 8, per quae significatur vita spiritualis secundum gradus, de quibus n: 5605; et a significatione Aegypti, quod sint scientifica, de qua n: 1164. 1165. 1186. 1462. 4749. 4964. 4966, hic interiora scientificorum, quia ibi coeleste spiritualis, quod per Josephum repraesentatur; quapropter mox dicitur, et steterunt coram Josepho. Interiora scientificorum sunt quae spiritualia in naturali, et spiritualia ibi sunt, quando scientifica ibi illustrata sunt a luce coeli, et tunc illustrata sunt a luce coeli, cum homo fidem habet doctrinalibus quae e Verbo, et tunc fidem habet cum in bono charitatis est; tunc enim a bono charitatis, sicut a flamma illustrantur vera et sic scientifica,

haec inde spiritualem suam lucem habent: inde constare potest, quid per interiora scientificorum intelligitur.

5638. Et steterunt coram Josepho, quod significet praesentiam coelestis spiritualis ibi, constat a significatione stare coram aliquo, quod sit praesentia; et a repraesentatione Josephi, quod sit coeleste spiritualis, de qua saepe prius; quod coeleste spiritualis praesens esset in utroque naturali, repraesentabatur per Josephum, quod dominus factus super totam Aegyptum, hoc est, quod intelligitur per praesentiam coelestis spiritualis in interioribus scientificorum, scientifica enim sunt in naturali, videatur n: 5316. 5324. 5326. 5327. 5328. 5333. 5337. 5373, [17] vera quae repraesentantur per decem filios Jacobi, sunt vera in naturali.

5639. Et vidit Joseph cum illis Benjaminem, quod significet apperceptionem medii spiritualis apud vera, a coelesti spiritualis, constat ex significatione videre, quod sit intelligere et appercipere, de qua n: 2150. 2807. 3764. 4567. 4723. 5400; ex repraesentatione decem filiorum Jacobi, qui sunt *cum illis*, seu cum quibus Joseph vidit Benjaminem, quod sint vera in naturali, de qua n: 5403. 5419. 5427. 5458. 5512; [18] et ex repraesentatione Benjaminis, quod sit medium, de qua n: 5411. 5413. 5443, quod hic medium spirituale dicatur, est quia vera quae per decem filios Jacobi repraesentantur, nunc conjungenda erant cum Vero a Divino quod Josephus, et conjunctio illa non fit nisi per medium quod spirituale; quare cum id medium apperceptum, tunc statim [19] sequitur „quod Josephus diceret ad virum super domo sua, adduc viros domum, et mactando macta, et praepara, quia mecum comedent viri in meridie" per quae significatur, quod introducerentur et conjungerentur quia cum Medio. Quid Spirituale respective ad Naturale, paucis adhuc dicendum, quia plerique qui in orbe Christiano ignorant quid spirituale, usque adeo, ut cum audiunt vocem illam, haereant, et dicant secum, quod spirituale quid sit nemo sciat: spirituale in sua essentia apud hominem, est ipsa affectio boni et veri propter bonum et verum et non propter se, tum affectio justi et aequi propter justum et aequum et non propter se, cum homo sentit in se jucundum et amoenum, et magis si faustum et beatum ex illis, hoc apud il-

lum est spirituale, quod non venit ex naturali sed ex spirituali mundo seu e coelo, hoc est, per coelum a Domino: hoc nunc est spirituale, quod cum apud hominem regnat, afficit et quasi tingit omne quod cogitat, quod vult et quod agit, et facit ut cogitata, et ex voluntate acta participent ex spirituali, usque tandem, ut cum e mundo naturali in mundum spiritualem transit, illa etiam apud eum spiritualia fiant. Verbo, affectio charitatis et fidei, hoc est, boni et veri, ac jucundum et amoenum, et magis faustum et beatum inde, quae interius apud hominem sentiuntur, et illum faciunt hominem vere Christianum, est Spirituale. Quod plerique in orbe Christiano ignorent, quid spirituale, est quia fidem faciunt essentialem Ecclesiae, et non charitatem; inde quia pauci illi, qui de fide solliciti sunt, parum, si quicquam, cogitant de charitate, et norunt quid charitas, inde, quia non cognitio, nec est perceptio affectionis quae charitatis, et qui non in affectione charitatis est, nequaquam potest scire quid spirituale; imprimis hodie, cum vix ulla charitas alicui est, quia est ultimum tempus Ecclesiae. Sed sciendum, quod spirituale in communi sensu significet affectionem tam boni quam veri, inde coelum vocatur mundus spiritualis, et sensus internus Verbi sensus spiritualis, at in specie id quod est affectionis boni vocatur coeleste, et id quod est affectionis veri, spirituale.

5640. Et dixit ei qui super domo sua, quod significet ad id quod est Ecclesiae externae, constat ex repraesentatione illius qui super domo, quod sit Ecclesia externa, cum is qui in domo sit Ecclesia interna, de qua n: 1795; et quia in sensu interno non spectatur persona, sed res, n: 5225. 5287. 5434, ideo per illum qui super domo, significatur id quod est Ecclesiae externae.

5641. Adduc viros domum, quod significet, quod vera in naturali illuc introducerentur, constat ex significatione filiorum Jacobi, quod sint vera Ecclesiae in naturali, de qua n: 5403. 5419. 5427. 5458. 5512, quod introducerentur illuc, significatur per adduc illos domum.

5642. Et mactando macta et praepara, quod significet per bona naturalis exterioris, constat ex significatione mactare, quod involvat id quod mactabatur, nempe bovem, juvencum, hircum, aut aliud pecus, quod sint bona naturalis, quod bos ac

juvencus sint bona naturalis, videatur n: 2180. 2566. 2781. 2830, hic bona naturalis exterioris, quia per illa nunc primum ad conjunctionem introducebantur; nam quod adduxit viros domum Josephi, significat introductionem primam in bonum quod a coelesti spiritualis, videatur infra n: 5645; quia juvencus et bos significabant bona naturalis, etiam omnis operatio significabat bonum illud, unum enim involvebat alterum.

5643. Quia mecum comedent viri in meridie, quod significet quod conjungentur quando cum medio, constat ex significatione comedere, quod sit communicari, conjungi, et appropriari, de qua n: 2187. 2343. 3168. 3513 f. 3596. 3832; et quia erant cum medio spirituali, quod Benjamin, n: 5639, [20] dicitur in meridie, nam meridies significat statum lucis, ita statum spiritualem, qui per medium, n: 1458. 3708.

5644. Et fecit vir quemadmodum dixit Joseph, quod significet effectuationem, constat absque explicatione.

5645. Et adduxit vir viros domum Josephi, quod significet introductionem primam in bonum quod a coelesti spiritualis, constat ex significatione adducere, quod sit introductio, ut supra n: 5641; [21] ex significatione filiorum Jacobi, quod sint vera Ecclesiae in naturali, de qua n: 5403. 5419. 5427. 5428. 5512; ex significatione domus, quod sit bonum, de qua n: 3652. 3720. 4982, inde etiam domus est Ecclesia, n: 3720, nam Ecclesia est Ecclesia a bono; et ex repraesentatione Josephi, quod sit coeleste spiritualis, de qua saepe prius; ex quibus patet, quod per adduxit vir viros domum Josephi, significetur quod introducerentur vera in naturali in bonum quod a coelesti spiritualis. Quod introductio prima sit, quae significatur, est quia nunc solum comedebant apud Josephum, et non agnoverunt illum, per id conjunctio communis significatur, quae conjunctio est introductio prima, influit enim tunc communiter verum a Divino, nec cognoscitur; at cum appercipitur verum quod influit, tunc est conjunctio altera, quae conjunctio significatur per quod Josephus se manifestaret fratribus, de qua in Cap: seq: XLV.

5646. Vers: 18. 19. 20. 21. 22. 23. *Et timuerunt viri quod adducti domum Josephi, et dixerunt, super verbum argenti reducti in manticis nostris in initio nos adducimur, ad*

devolvendum super nos, et ad conjiciendum se super nos, et ad sumendum nos ad servos, et asinos nostros. Et accesserunt ad virum qui super domo Josephi, et loquuti ad illum ostio domus. Et dixerunt, in me domine mi, descendendo descendimus in initio ad emendum cibum. Et factum, cum veniremus ad diversorium, et aperuimus manticas nostras, et ecce argentum cujusvis in ore manticae suae, argentum nostrum in pondere suo, et reducimus illud in manu nostra. Et argentum alterum descendere facimus in manu nostra ad emendum cibum, non scimus quis posuit argentum nostrum in manticis nostris. Et dixit, pax vobis, ne timeatis, Deus vester, et Deus patris vestri dedit vobis absconditum donum in manticis vestris, argentum vestrum venit ad me: et eduxit ad illos Schimeonem. Et timuerunt viri, significat retractionem: quod adducti domum Josephi, significat quod vera quae naturalis adjungerentur et subjicerentur interno: et dixerunt, super verbum argenti reducti in manticis nostris in initio nos adducimur, significat quia verum in exteriori naturali apparet gratis donatum, quod ideo subjicerentur: ad devolvendum super nos, et ad conjiciendum se super nos, significat quod propter id sub potestatem absolutam redigerentur: et ad sumendum nos in servos, et asinos nostros, significat usque ut quicquid in utroque naturali nihili sit: et accesserunt ad virum qui super domo Josephi, significat doctrinalia Ecclesiae: et loquuti ad illum ostio domus, significat consultationem ex illis de introductione: et dixerunt, in me domine mi, significat testificationem: descendendo descendimus in initio ad emendum cibum, significat animum comparandi bonum veris: et factum, cum veniremus ad diversorium, et aperuimus manticas nostras, significat introspectionem in naturale exterius: et ecce argentum cujusvis in ore manticae suae, significat quod perspectum, quod vera quasi gratis donata: argentum nostrum in pondere suo, significat vera secundum statum cujusvis: et reducimus illud in manu nostra, significat quod submittantur quae gratis donata quantum possibile: et argentum alterum descendere facimus in manu nostra ad emendum cibum, significat quod animus sit per verum aliunde comparare bonum: non scimus quis posuit argentum nostrum in manticis nostris, significat non fidem ex ignorantia

a quo verum in naturali exteriori; et dixit pax vobis; ne timeatis, significat quod bene sit, ne desperent: Deus vester et Deus patris vestri, significat Divinum Humanum Domini: dedit vobis absconditum donum in manticis vestris, significat quod ab Ipso absque ulla eorum prudentia: argentum vestrum venit ad me, significat quod videbitur sicut verum comparatum ab illis: et eduxit ad illos Schimeonem, significat quod adjunxerit veris velle.

5647. Et timuerunt viri, quod significet retractionem, constat ex significatione timere, quod hic sit retractio, nempe a conjunctione cum interno; timor ex variis causis existit, prout ex periculis vitae, jacturae lucri, ut et honoris et famae, tum ne alicui servituti adducantur, et sic pereat liberum, et cum libero jucundum vitae, de hac re in his sequentibus agitur, timuerunt enim ne adjungerentur interno, et per id suum proprium amitterent, et cum proprio suum liberum, et cum libero jucundum vitae, nam hoc a libero dependet; inde est, quod per timuerunt viri, significetur retractio, nempe ne adjungantur. Hic in antecessum paucis dicendum, quomodo [22] cum conjunctione illa, nempe cum conjunctione Externi seu Naturalis hominis cum interno seu spirituali se habet; Externus seu Naturalis homo a prima vitae aetate regnat, nec scit quod Internus seu spiritualis homo sit; quapropter cum homo reformatur, et incipit fieri spiritualis seu internus a naturali seu externo, tunc primum rebellat naturale; docetur enim quod naturalis homo subjugandus sit, hoc est, omnes ejus concupiscentiae cum illis quae confirmant, exstirpandae, inde cum Naturalis homo sibi relinquitur cogitat, quod sic prorsus pereat, nam non scit aliter quam quod naturale sit omne, et ignorat plane quod immensa et ineffabilia sint in spirituali; cumque naturalis homo sic cogitat, tunc retrahit se, et non vult subjici spirituali; hoc nunc est, quod hic per timorem significatur.

5648. Quod adducti domum Josephi, quod significet quod vera quae naturalis, adjungerentur et subjicerentur interno, constat a significatione adduci domum Josephi, quod sit conjungi et subjici interno, per Josephum enim repraesentatur Internum, quia Verum a Divino, seu coeleste spiritualis, de qua n: 5307. 5331. 5332. 5417. 5469; et per domum significatur

tam internum hominis, quam externum ejus, n: 3128. 3538. 4973. 5023, hic internum, quia dicitur domus Josephi; et per adduci, nempe ad internum, significatur adjungi, et quia adjungi, significatur subjici; causa est, quia naturale cum adjungitur interno, tunc ei subjicitur, imperium enim quod prius fuerat naturali homini, fit dein spirituali; de quo imperio in sequentibus, ex Divina Domini Misericordia, dicetur. Paucis dicendum, quomodo se habet cum sensu interno; Verbi sensus internus est imprimis pro illis, qui in altera vita, illi qui ibi, cum apud hominem sunt qui legit Verbum, percipiunt illud secundum sensum internum, non autem secundum sensum externum, nullas enim voces humanas intelligunt, sed solum sensum vocum, et hunc non secundum cogitationes hominis naturales, sed secundum suas cogitationes quae spirituales, in spiritualem hunc sensum transmutatur illico sensus naturalis qui apud hominem, se habet hoc sicut qui linguam alius vertit in suam, quae alia, quod fit subito, ita sensus cogitationis humanae naturalis in spiritualem, spiritualis enim lingua seu loquela est angelis propria, naturalis autem homini; quod tam subita transmutatio unius quasi linguae in alteram, est quia est correspondentia omnium et singulorum quae in mundo naturali cum illis quae in mundo spirituali. Nunc quia sensus internus Verbi imprimis est pro illis qui in spirituali mundo, idcirco talia hic in sensu interno memorantur, quae pro illis sunt, et quae illis amoena et jucunda; at quo interiora talia sunt, eo remotiora sunt a captu hominum, quibus illa quae mundi et corporis sunt, modo amoena et jucunda sunt, et cum ita, spiritualia, quae sensus interni sunt, pro vili habent, et quoque fastidiunt; exploret quisque apud se, annon ei nauci et fastidio sint, quae in sensu interno in his, quae nunc sequuntur, continentur, cum tamen talia sunt, quibus societates angelicae quam maxime delectantur; inde quoque reflectenti patere potest, quale discrimen est inter jucunda hominum et jucunda angelorum, tum in quibus angeli ponunt sapientiam, et in quibus homines, quod nempe angeli ponant sapientiam in talibus, quae homo nauci habet et aversatur, et quod homo sapientiam ponat in talibus, quae angeli prorsus non curant, et plures in talibus quae Angeli rejiciunt et fugiunt.

5649. Et dixerunt, super verbum argenti reducti in man-

ticis nostris nos adducimur, quod significet quia verum in exteriori naturali apparet gratis donatum, quod ideo subjicerentur, constat ex significatione argenti reducti, quod sit verum gratis donatum, de qua n: 5530. 5624; ex significatione manticae, quod sit limen naturalis exterioris, de qua n: 5497; et ex significatione adduci, quod sit adjungi et subjici, de qua mox supra n: 5648. Hoc ita se habet; quia perceptum, quod vera scientifica in exteriori naturali essent gratis donata, et ideo allicerentur ad conjungendum se interno, et sic ei subjicerentur, inde, ut mox supra dictum, privarentur suo libero, et sic omni jucundo vitae: quod ita sit, nempe quod percipiatur quod vera scientifica gratis donata sint, et id in naturali vel exteriori vel interiori, est prorsus ignotum homini, causa est, quia is in nulla tali perceptione est, ne hilum enim scit quid ei gratis donatur, minus quid in naturali exteriori, et quid in interiori reponitur; quod id non percipiat, communis causa est, quod mundana et terrestria ei cordi sint, non autem coelestia et spiritualia, et quod ideo non credat aliquem influxum per coelum a Domino, ita nequaquam quod aliquid ei donetur; cum tamen omne id verum, quod rationaliter concludit ex scientificis, et putat quod ex propria potentia, sit tale quod ei donatur; minus potest homo percipere, num id positum sit in exteriori naturali vel in interiori, quia ignorat quod naturale sit binum, nempe exterius quod accedit ad sensus externos, et interius quod recedit ab illis et convertit se ad rationale; quia homo in ignorantia est de his et illis, idcirco nihil perceptionis habere potest de talibus, cognitio rei praecedet ut sit ejus perceptio: at societates angelicae haec probe et clare sciunt et percipiunt, non modo quid illis gratis donatur, sed etiam ubinam id est; quod constare potest ab hac experientia; cum aliquis spiritus, qui in bono est et inde in facultate, in societatem angelicam venit, tunc is simul venit in omnem scientiam et intelligentiam quae societati est, in qua non prius fuerat, et tunc non aliter scit, quam quod sciverit id et intellexerit ita prius et a se, at cum reflectit, appercipit quod id ei per societatem illam Angelicam a Domino gratis donetur; et quoque scit ex societate angelica ubinam est, num id in naturali exteriori aut in naturali interiori sit; sunt enim societates angelicae quae in exteriori naturali, et sunt quae in in-

teriori; at naturale non illis est naturale quale homini, sed est naturale spirituale, quod spirituale factum est per id, quod conjunctum et subjectum sit spirituali. Ex his constare potest, quod quae hic in sensu interno memorantur, actualiter ita existant in altera vita, quod nempe appercipiant quid illis gratis donatur, tum ubinam id reponitur, tametsi homo hodie nihil de talibus sciat; at in antiquis temporibus, illi qui fuerunt ab Ecclesia, talia sciverunt, scientifica eorum docebant; et quoque doctrinalia, fuerunt illi interiores homines, sed ab illis temporibus homines successive facti sunt exteriores, usque adeo ut hodie in corpore sint, ita in extremo; cujus rei indicium est, quod ne quidem sciant quid spirituale et quid internum, et quod nec credant quod sint; imo ad tale extremum in corpore ab interioribus abiverunt, ut ne quidem credant quod vita sit post mortem, nec quod coelum nec infernum; imo ex recessione ab interioribus usque in tale extremum, tam stupidi in spiritualibus facti sunt, ut credant vitam hominis similem esse vitae bestiarum, et sic hominem similiter moriturum; et quod mirabile, tale credunt eruditi prae simplicibus, et qui aliter credit, pro simplici ab illis habetur.

5650. Ad devolvendum super nos, et ad conjiciendum se super nos, quod significet quod propter id sub potestatem absolutam redigerentur, constat a significatione devolvere super aliquem, quod sit sistere illum in culpa; et a significatione conjicere se super aliquem, quod sit redigere sub potestatem, hic absolutam, sequitur enim, „ad sumendum nos in servos, [et] asinos nostros." Haec se ita habent, antequam conjungitur naturalis homo spirituali, seu externus interno, relinquitur ei cogitare, num velit ut concupiscentiae oriundae ex amore sui et mundi, et talia quibus illas defenderat, aboleantur, ac ut cedat imperium spirituali seu interno; tale relinquitur ei cogitare, ut ex libero eligat quod libet; cum naturalis homo absque spirituali de hoc cogitat, tunc rejicit illud, amat enim suas concupiscentias, quia amat se et mundum, inde fit anxius, et putat si illae abolerentur, quod non plus vitae ei superesset, nam in naturali seu externo homine ponit omne, vel putat quod postea ex se nihil poterit, et quod omnia quae cogitabit, quae volet, et quae aget, per coelum influent, ita quod sui juris non erit amplius;

cum naturalis homo sibi relictus in hoc statu est, retrahit se et resistit: at cum aliquid lucis per coelum a Domino influit in ejus naturale, incipit is aliter cogitare, nempe quod praestet ut spiritualis homo dominium habeat, nam sic potest cogitare bonum et velle bonum, et sic potest in coelum venire, non autem si naturalis homo dominaturus, et cum cogitat quod omnes angeli in universo coelo tales sint, et quod inde illi in ineffabili gaudio sint; tunc pugnat cum naturali homine, et tandem vult spirituali subordinari; in hoc statu ponitur homo qui regenerandus, ex causa ut in libero se possit vertere quo velit, et quantum se in libero vertit ad hoc, tantum regeneratur. Illa et haec sunt, de quibus in sensu interno hic agitur.

5651. Et ad sumendum nos in servos, et asinos nostros, quod significet usque ut quicquid in utroque naturali nihili sit, constat ex repraesentatione decem filiorum Jacobi, qui haec de se loquuntur, quod sint vera in naturali, de qua n: 5403. 5419. 5427. 5458. 5512; ex significatione servorum, quod sint levia, n: 2541, [23] hic nihili, de quo sequitur; et ex significatione asinorum, quod sint illa quae in naturali, quae sunt scientifica, de qua n: 5492, hic in naturali exteriori, quia vera quae significantur per filios Jacobi, sunt in naturali interiori. Cum hoc, quod quicquid in utroque naturali nihili sit, ita se habet; ut homo spiritualis fiat, oportet ut naturale ejus nihili fiat, hoc est, ut prorsus nihil ex se possit; quantum enim naturale ex se potest, tantum spirituale non potest; naturale enim ab infantia nihil aliud imbuerat, quam quae sunt cupiditatum sui et mundi, ita contraria charitati, haec mala faciunt ut bonum per internum hominem a Domino influere nequeat, nam quicquid influit, in naturali vertitur in malum, est naturale planum in quo terminatur influxus; quapropter nisi naturale, hoc est, malum et falsum quae formaverant naturale, nihili fiat, nequaquam potest bonum per coelum a Domino influere, non habet hospitium, sed dissipatur, in malo enim et falso morari non potest; inde est, quod tantum claudatur internum, quantum naturale non fit nihil; notum hoc quoque est in Ecclesia ex doctrinali, quod vetus homo exuendus, ut novus induatur; regeneratio non aliud est, quam ut naturale subjugetur, et spirituale dominium obtineat; et tunc subjugatur naturale, cum ad correspondentiam

redigitur; cumque naturale ad correspondentiam redactum est, tunc non reagit magis, sed agit sicut imperatur, et sequitur ad nutum spiritualis, vix aliter quam actus corporis sequuntur ad nutum voluntatis, ac loquela cum facie secundum influxum cogitationis; inde patet, quod naturale prorsus nihili fieri debeat quoad velle, ut homo spiritualis fiat: Sed sciendum, quod vetus naturale nihili fiet, hoc enim formatum est a malis et falsis, cumque id nihili factum est, tunc donatur homo novo naturali, quod vocatur naturale spirituale, spirituale ex eo, quia spirituale est quod agit per illud, seque manifestat per illud, sicut causa per effectum, notum est, quod causa sit omne effectus; inde naturale novum quoad cogitare, velle, et effectum agere, non est nisi quam repraesentativum spiritualis; cum hoc fit, tunc homo recipit bonum a Domino, et cum recipit bonum, donatur is veris, et cum donatur veris, perficitur intelligentia et sapientia, et cum perficitur intelligentia et sapientia, beatur felicitate in aeternum.

5652. Et accesserunt ad virum qui super domo Josephi, quod significet doctrinalia Ecclesiae, constat ex significatione Viri super domo Josephi, quod sit id quod est Ecclesiae externae, de qua supra n: 5640, ita doctrinale, nam hoc est Ecclesiae; praeterea per virum significatur verum, ita doctrinale, n: 3134, et per domum Ecclesia, n: 1795; et quia Josephus est Internum, n: 5469, domus Josephi est Ecclesia interna; doctrinale ex Verbo est quod super domo illa, inserviendo et ministrando.

5653. Et loquuti ad illum ostio domus, quod significet consultationem ex illis de introductione, constat ex significatione loqui ad illum, nempe ad virum super domo Josephi, quod sit consultatio ex illis, nempe ex doctrinalibus; et ex significatione ostii domus, quod sit introductio, de qua n: 2356. 2385, hic a naturali seu externo homine ad spiritualem seu internum, de qua re agitur: quia hoc significatur, in Lingua Originali non dicitur ad ostium domus, sed ostium domus.

5654. Et dixerunt, in me domine mi, quod significet testificationem, constat ex ipsa hac formula, quod sit testificationis, nempe quod verum sit quod loquentur de argento quod in ore manticae cujusvis repertum.

5655. Descendendo descendimus initio ad emendum cibum, quod significet animum comparandi bonum veris, constat a significatione descendere, quod sit animus seu intentio, qui enim descendit aut confert se alicubi, est ex animo, hic ad comparandum bonum veris, quod significatur per ad emendum cibum, per emere enim significatur comparare et appropriare, n: 5374. 5397. 5406. 5414. 5426, et per cibum, bonum veri, n: 5340. 5342, hic bonum veris, quae repraesentantur per filios Jacobi, qui de se illa loquuntur.

5656. Et factum, cum veniremus ad diversorium, et aperuimus manticas nostras, quod significet introspectionem in naturale exterius, constat ex significatione diversorii, quod sit naturale exterius in genere, de qua n: 5495; ex significatione aperire, quod sit introspectio, qui enim aperit, est propter introspectionem; et ex significatione manticae, quod sit naturale exterius in specie, de qua n: 5497.

5657. Et ecce argentum cujusvis in ore manticae suae, quod significet, quod perspectum quod vera quasi gratis donata, constat ex significatione argenti cujusvis in sacco, quod sint vera donata gratis, de qua n: 5530. 5624, similiter argentum cujusvis in ore manticae, cum differentia, quod per hoc significentur, vera quae donata gratis, quod in limine naturalis exterioris reposita sint, nam per os manticae significatur limen exterioris naturalis, n: 5497. Quod significetur hic *quasi* gratis donata, est quia in statu dubitativo sunt, num conjungi velint interno, nihili fiant, et cum quis in statu dubitativo est, etiam de veris quae confirmant sentit dubitative.

5658. Argentum nostrum [24] in pondere suo, quod significet vera secundum statum cujusvis, constat ex significatione argenti, quod sit verum, de qua n: 1551. 2954; et a significatione ponderis, quod sit status rei quoad bonum, de qua n: 3104; ita vera secundum statum cujusvis, est secundum bonum quod recipere possunt. Pondera et mensurae multis in locis in Verbo nominantur, at in sensu interno non significant pondera et mensuras, sed pondera significant status rei quoad bonum, et mensurae status rei quoad verum; sicut etiam gravitas et extensio, gravitas quae in mundo naturali correspondet bono in mundo spirituali, et extensio vero; causa est, quia in coelo, unde cor-

respondentiae, non datur gravitas, nec extensio, quia non spatium, apparent quidem gravia et extensa apud spiritus, sed sunt apparentiae oriundae ex statibus boni et veri in coelo superiori. Quod Argentum significet verum, notissimum fuerat Antiquis temporibus, inde Antiqui tempora a prima aetate ad ultimum mundi, distinxerunt in saecula aurea, argentea, cuprea, et ferrea, quibus etiam adjecerunt argillacea; saecula aurea vocaverunt illa tempora, cum innocentia et integritas fuit, et cum quisque bonum faciebat ex bono, et justum ex justo; argentea autem dixerunt illa tempora, cum non amplius innocentia erat, sed usque species integritatis, quae non constabat in eo, quod bonum facerent ex bono, sed in eo quod verum facerent ex vero; saecula autem cuprea et ferrea appellabant illa quae adhuc inferiora sunt: quod ita appellaverint tempora, non erat ex comparatione, sed ex correspondentia; sciverunt enim antiqui, quod argentum corresponderet vero, et quod aurum bono, et hoc ex communicatione cum spiritibus et angelis, cum enim in coelo superiori loquela est de bono, apparet infra apud illos qui in primo seu ultimo coelo sub illis sunt, aureum; et cum loquela est de vero, apparet ibi argenteum, quandoque ita, ut non modo parietes conclavium, ubi habitant, coruscent auro et argento, sed etiam ipsa atmosphaera ibi; et quoque apud angelos primi seu ultimi coeli, qui in bono sunt ex bono, apparent mensae ex auro, candelabra ex auro, et plura alia; apud illos autem qui in vero sunt ex vero, apparent talia ex argento: sed quis hodie novit, quod saecula ab antiquis vocata fuerint aurea et argentea ex correspondentia, imo quis hodie aliquid de correspondentia novit; et qui hoc non novit, et magis qui volupe et sapiens in eo ponit, ut disputet num sit vel non sit, is ne quidem potest minimum scire de innumerabilibus quae correspondentiae sint.

5659. Et reducimus illud in manu nostra, quod significet quod submittantur quae gratis donata, quantum possibile, constat ex significatione reducere, quod hic sit submittere; et ex significatione in manu nostra, quod sit quantum possibile, de quibus supra n: 5624; quod gratis donata, significatur per argentum in ore manticae, quod reducerent, n: 5657. [25]

5660. Et argentum alterum descendere facimus in manu nostra, quod significet quod animus sit per verum aliunde com-

parare bonum, constat ex significatione argenti, quod sit verum, de qua mox supra n: 5657, et quia per argentum significatur verum, per argentum alterum significatur verum aliud, inde significatur verum aliunde; quia non aliud verum datur quod genuinum, quam a Domino qui gratis donat, ita nec aliunde ipsum verum; et ex significatione descendere facere, quod sit animus comparandi, nempe bonum veri quod per frumentum, quod emerent, significatur: sensus literae historicus involvit, quod argentum alterum etiam veniret ad Josephum, ad emendum ab illo cibum, sic non aliunde, at sensus internus non manet in sensu literae historico, hunc sensum non curat, sed in ipsa re, de qua agitur, quae res est, si ut servi subjicerentur propterea quod aliqua vera in naturali exteriori gratis donata sunt quod aliunde compararent sibi bonum per verum; talis etiam est series in sensu interno, nam mox dicitur „ non scimus quis posuit argentum in manticis nostris," per quae significatur, quod non crederent quia non scirent, a quo verum in naturali exteriori: Similiter existit in altera vita apud spiritus, qui per vera initiantur in bonum, et imprimis in hoc, quod omne bonum et verum a Domino influat, et cum appercipiunt quod influat omne quod cogitant et volunt, et sic quod a se cogitare et velle non possint, tunc repugnant quantum possunt, credunt quod sic vita propria illis nulla foret, et sic quod periret omne jucundum, nam hoc in proprio ponunt; ac insuper, si non possent agere bonum a se, nec credere verum a se, quod remitterent manus, nihil ex se agendo et cogitando, et exspectarent influxum: ita cogitare illis permittitur, etiam in tantum, ut paene concludant apud se, quod non velint inde bonum et verum accipere, sed aliunde, ubi non talis orbatio proprii est; etiam quandoque datur illis inquirere ubi id inveniant; at postea cum nullibi inveniunt, illi qui regenerantur, redeunt, et ex libero eligunt quoad velle et cogitare duci a Domino; informantur etiam tunc, quod accepturi sint proprium coeleste, quale est angelis, et cum hoc proprio etiam beatum et felix in aeternum. Quod proprium coeleste attinet, hoc ex nova voluntate, quae datur a Domino, existit, et differt a proprio hominis, in eo, quod non magis spectent se in omnibus et singulis quae agunt, ac in omnibus et singulis quae discunt et docent, sed quod tunc

spectent proximum, publicum, Ecclesiam, Regnum Domini, et sic ipsum Dominum; fines vitae sunt qui mutantur, fines spectandi inferiora, nempe mundum et semet, removentur, et fines spectandi superiora, loco illorum substituuntur; fines vitae non aliud sunt quam ipsa vita hominis, nam fines sunt ipsum velle hominis, et sunt ipsi ejus amores, nam quae homo amat, haec vult et pro fine habet; qui proprio coelesti donatur, is etiam in tranquillo est, et in pace, nam fidit Domino, et credit quod nihil mali illum attingat, et novit quod concupiscentiae illum non infestent; et praeterea, qui in proprio coelesti sunt, in ipso libero sunt, nam duci a Domino est liberum, ducitur enim in bono, a bono ad bonum; inde constare potest, quod sint in beato et felici, nam nihil est quod turbat, non aliquid amoris sui, consequenter non aliquid inimicitiae, odii, vindictae; nec aliquid amoris mundi, consequenter non aliquid fraudis, timoris, irrequiei.

5661. Non scimus quis posuit argentum in manticis nostris, quod significet non fidem ex ignorantia a quo verum in naturali exteriori, constat ex significatione non scire, quod in sensu spirituali sit non credere, seu non fides; a significatione quis posuit, quod sit ignorantia a quo; a significatione argenti, quod sit verum, de qua n: 5658; et a significatione manticae, quod sit naturale exterius, de qua n: 5497.

5662. Et dixit pax vobis, ne timeatis, quod significet, quod bene sit, ne desperent, constat ex significatione pacis, quod sit bene esse, de qua sequitur; et a significatione ne timeatis, quod sit ne desperent; agitur enim in sensu interno de mutatione status, quod non amplius ex propria potentia compararent sibi vera, et per vera bonum, sed quod illis ex Domino donarentur; et quia putarunt, quod sic amissuri proprium, ita liberum, consequenter omne jucundum vitae, in desperatione fuerunt, ut ab illis quae praecedunt, patet; inde est, quod per ne timeatis hic significetur ne desperent; timor enim ex variis causis oritur, n: 5647, inde etiam varia significat. Quod Pax sit bene esse, est quia est intimum, et inde universale regnans in omnibus et singulis in coelo; est enim Pax in coelo, sicut in terra Ver, seu sicut aurora, quae non afficiunt per sensibiles varietates, sed per amoenum universale quod influit in singula quae percipiun-

tur, et non modo ipsam perceptionem, sed etiam singula objecta amoenitate imbuit: hodie vix aliquis novit, quid Pax, ubi nominatur in Verbo, ut in Benedictione „ Elevet Jehovah facies suas super te, et *ponat tibi Pacem*" Num: VI: 26, et alibi; credit paene unusquisque, quod pax sit securitas ab hostibus, et quod sit tranquillitas in domo, et inter socios; sed haec pax non ibi intelligitur, verum Pax quae immensum illam pacem transcendit, est Pax coelestis, de qua mox supra; hac pace nemo donari potest, nisi qui ducitur [2q] a Domino, ac in Domino est, hoc est, in coelo, ubi Dominus est omne in omnibus; pax enim coelestis influit, cum cupiditates oriundae ex amore sui et mundi sublatae sunt, nam hae sunt quae tollunt pacem, infestant enim interiora hominis, et faciunt ut tandem ponat in irrequie quietem, et in infestis pacem, quia in malis jucundum; quamdiu homo in his est, nequaquam scire potest quid pax, imo tamdiu credit, quod pax illa nihili sit; et si quis dicit, quod tunc illa pax ad perceptionem veniat, cum jucunda ex amore sui et mundi sublata sunt, ridet, causa est, quia in jucundo mali, quod est oppositum paci, ponit pacem. Quia pax talis est, nempe omnium felicitatum et beatitudinum intimum, et inde universale in singulis regnans, ideo Antiqui pro communi formula usi sunt, dicere, Pax vobis, cum intelligerent ut bene sit, ac interrogare num pax illis, cum intelligerent num bene sit. Videantur quae prius de Pace dicta et ostensa sunt, nempe, Quod Pax in coelis sit instar veris et aurorae in terris, n: 1726. 2780. Quod Pax sit in supremo sensu Dominus, in repraesentativo Regnum Ipsius, et quod sit Divinum Domini afficiens bonum ab intimo, n: 3780. 4681. Quod omnis irrequies a malo et falso, pax autem a bono et vero, n: 3170.

5663. Deus vester et Deus patris vestri, quod significet Divinum Humanum Domini, constare potest ex eo, quod ubi in Verbo Deus aut Jehovah nominatur, intelligatur Dominus, et non alius, n: 1343. 1736. 2921. 3035; et cum dicitur Deus vester et Deus patris vestri, hoc est, Deus Israëlis et Jacobi, et filiorum ejus, intelligitur Divinum Humanum Domini, et quidem quoad Divinum Naturale, n: 3305. 4286. 4570, nam Israël repraesentabat Dominum quoad Naturale interius, et Jacob quoad exterius, et filii quoad vera in illo Naturali. Quod

per Deum et Jehovam in Verbo intellectus sit Dominus, Ecclesia Judaica non noverat, nec Ecclesia Christiana hodie novit; quod Ecclesia Christiana hoc non noverit, est quia Divinum in tres personas distinxit; at Antiqua Ecclesia, quae fuit post diluvium, et imprimis Ecclesia Antiquissima quae fuit ante diluvium, non alium per Jehovam et Deum intellexerunt, quam Dominum, et quidem Ipsum quoad Divinum Humanum; noverunt etiam de Ipso Divino quod in Domino, et quod Ipse vocat Patrem suum, at de Ipso illo Divino quod in Domino, non cogitare potuerunt, sed de Divino Humano, consequenter non alii Divino conjungi, conjunctio enim fit per cogitationem quae intellectus, et per affectionem quae voluntatis, ita per fidem et per amorem; cum enim cogitatur de Ipso Divino, cadit cogitatio sicut in universum interminatum, et sic dissipatur, unde nulla conjunctio, aliter cum cogitatur de Ipso Divino ut Divinum Humanum; et noverunt, quod, nisi cum Divino conjungerentur, non salvari possent; idcirco fuit Divinum Humanum, quod antiquae Ecclesiae adoraverunt, Jehovah etiam in Divino Humano se manifestavit apud illos; et Divinum Humanum fuit Ipsum Divinum in coelo, coelum enim constituit unum hominem, qui Maximus Homo vocatur, de quo ad finem Capitum hactenus est [27] actum; Divinum hoc in Coelo, non aliud est quam Ipsum Divinum, sed in Coelo ut Divinus Homo; hic Homo est, quem Dominus suscepit, et in se Divinum fecit, et univit Ipsi Divino sicut ab aeterno unitus fuerat, nam ab aeterno fuit unum; et hoc quia Genus humanum aliter non salvari potuisset; non enim amplius sufficere potuit, ut Ipsum Divinum per Coelum, ita per Divinum Humanum ibi, [28] influere posset in mentes humanas, quapropter Ipsum Divinum voluit Divinum Humanum actualiter per susceptum Humanum in mundo, sibi unire; hoc et illud est Dominus.

5664. Dedit vobis absconditum donum in manticis vestris, quod significet quod ab Ipso absque ulla eorum prudentia, constat a significatione absconditi doni, quod sit verum et bonum, quae donantur a Domino, nesciente homine; et ex significatione argenti reducti in saccis aut in manticis, quod sit absque ulla illorum potentia, de qua n: 5488. 5496. 5499; inde patet, quod per dedit vobis absconditum donum in manticis vestris, signifi-

cetur quod ab Ipso, nempe Divino Humano Domini, verum et bonum in naturali, absque ulla eorum potentia, et quia est absque eorum potentia, est absque eorum prudentia; prudentia dicitur, quia prudentia correspondet Providentiae, et quod ex Divina Providentia, non est ex hominis prudentia.

5664 [$\frac{1}{2}$]. Argentum vestrum venit ad me, quod significet quod videbitur sicut verum comparatum ab illis, constat ex significatione argenti, quod sit verum, de qua n: 1551. 2954; quod argentum eorum venerit ad illum, est quod emerint, ita quod ipsi comparaverint sibi; emere enim est comparare, n: 5655; inde est, quod per argentum vestrum venit ad me, significetur verum comparatum ab illis; at quia verum, quod fidei, nusquam comparatur ab aliquo homine, sed insinuatur et datur a Domino, et tamen videtur sicut ab homine, dicitur, quod *videbitur* sicut verum comparatum ab illis. Quod verum insinnetur et detur a Domino, etiam in Ecclesia notum est, docetur enim quod fides non sit ab homine sed a Deo, ita non solum confidentia, sed etiam vera, quae fidei; apparet tamen usque, quod vera quae fidei comparentur ab homine; quod influant, alte ignorat quia non percipit; causa quod non percipiat, est quia clausa sunt ejus interiora, ut non perceptibilem communicationem possit habere cum spiritibus et angelis, illa cum clausa sunt, homo nihil prorsus de influxu scire potest. At sciendum, quod aliud sit vera fidei scire, et aliud vera fidei credere; qui vera fidei modo sciunt, ii illa memoriae indunt sicut res alias quae alicujus scientiae sunt, haec potest homo sibi comparare absque tali influxu, sed vera illa non vitam habent, ut patet ex eo, quod homo malus, etiam pessimus, aeque possit scire vera fidei, ac homo probus et pius; sed apud malos, ut dictum, vitam non habent, cum enim producit illa, tunc spectat in singulis vel sui gloriam, vel lucrum, inde est amor sui et mundi, qui insufflant, et faciunt quasi vitam, sed vita illa est qualis est in inferno, quae mors spiritualis vocatur; inde est, cum producit illa, quod ex memoria producat illa, non autem ex corde: at qui credit vera fidei, is ex corde illa producit cum ex ore, sunt enim apud illum vera fidei ita radicata, ut radicem habeant in memoria externa, et inde versus interiora seu superiora crescant, sicut arbores frugiferae, et quoque sicut arbores ornant se foliis,

et tandem floribus, propter finem ut fructus ferant: ita homo talis, hic quoque per vera fidei nihil aliud intendit, quam usus, qui sunt exercitia charitatis, quae ei sunt fructus; haec sunt quae homo sibi non comparare potest, ne quidem minimum, sed a Domino ei gratis donantur, et hoc singulis momentis vitae ejus, imo si credere velit, singulis momentis innumerabilia; sed quia homo talis est, ut perceptione quod influant careat, si enim perceptionem haberet, rebellaret, sicut supra dictum, quia crederet quod tunc amitteret suum proprium, et cum proprio suum liberum, et cum libero suum jucundum, ac ita nihili fieret, ideo fit ut homo non sciat aliud quam quod a se; hoc nunc est, quod intelligitur per quod *videbitur* sicut verum comparatum ab illis: et praeterea ut homo donetur proprio coelesti et libero coelesti, facere debet bonum ut a se, et cogitare verum ut a se, sed cum reflectit, agnoscet quod illa a Domino, videatur n: 2882. 2888. 2891.

5665. Et eduxit ad illos Schimeonem, quod significet quod adjunxerit veris velle, constat ex repraesentatione Schimeonis, quod sit fides voluntate, seu voluntas faciendi verum quod fidei, de qua n: 3869. 3870. 3871. 3872. 4497. 4502. 4503. 5482; et ex repraesentatione filiorum Jacobi, qui hic sunt *illi* ad quos eduxit Schimeonem, quod sint vera Ecclesiae in naturali, de qua n: 5403. 5419. 5427. 5458. 5512; inde patet, quod per eduxit ad illos Schimeonem, significetur quod adjunxerit veris velle.

5666. Vers: 24. 25. 26. 27. 28. *Et adduxit vir viros domum Josephi, et dedit aquas, et lavarunt pedes suos, et dedit pabulum asinis illorum. Et praepararunt munus, usque ad venire Joseph in meridie, quia audiverunt, quod ibi comederent panem. Et venit Joseph domum, et adduxerunt ei munus, quod in manu illorum, domum, et incurvabant se ei ad terram. Et interrogavit illos ad pacem, et dixit an pax patri vestro seni, quem dixistis, an adhuc is vivit. Et dixerunt, pax servo tuo patri nostro, adhuc ille vivit, et deflexerunt se, et incurvarunt se.* Et adduxit vir viros domum Josephi, significat initiationem ad conjunctionem cum interno: et dedit aquas, significat influxum communem veri ab interno: et lavarunt pedes suos, significat inde purificationem naturalis: et dedit pabulum

asinis illorum, significat instructionem de bono: et praepararunt munus, significat insinuationem: usque venire Joseph in meridie, significat dum internum adesset cum luce: quia audiverunt quod ibi comederent panem, significat apperceptionem quod adjungeretur veris bonum; et venit Joseph domum, significat praesentiam interni: et adduxerunt ei munus quod in manu illorum, significat insinuationem quantum possibile: et incurvarunt se ad terram, significat humiliationem: et interrogavit illos ad pacem, significat perceptionem quod bene sit: et dixit, an pax patri vestro seni, quem dixistis, significat quod etiam bono spirituali: an adhuc is vivit, significat quod ei vita: et dixerunt, pax servo tuo patri nostro, significat inde apperceptionem naturalis, quod bene sit cum bono a quo: adhuc is vivit, significat et quod ei vita, et deflexerunt se, et incurvarunt se, significat humiliationem exteriorem et interiorem.

5667. Et adduxit vir viros domum Josephi, quod significet initiationem ad conjunctionem cum interno, constat ex significatione adducere viros domum Josephi, quod sit vera quae naturalis adjungere interno, de qua supra n: 5648; quod initiatio sit ad conjunctionem, liquet ab illis quae sequuntur, quod comederint ibi, et quod tunc Josephus se illis non manifestaverit, per quae significatur communis influxus, de quo nunc sequitur, qui etiam est initiatio.

5668. Et dedit aquas, quod significet influxum communem veri ab interno, constat a significatione aquarum, quod sint verum, n: 2702. 3058. 3424. 4976, et quidem verum in communi, inde dare aquas, significat influxum communem veri; quod ab interno, est quia erat in domo Josephi, n: 5667. Influxus communis veri, est illuminatio quae dat facultatem appercipiendi et intelligendi verum; illuminatio illa est a luce coeli quae a Domino, quae lux non aliud est quam Divinum Verum, n: 2776. 3138. 3167. 3195. 3222. 3339. 3485. 3636. 3643. 3993. 4302. 1443. 4416. 5400.

5669. Et lavarunt pedes suos, quod significet inde purificationem naturalis, constat a significatione lavare pedes, quod sit purificatio naturalis, de qua n: 3147.

5670. Et dedit pabulum asinis illorum, quod significet instructionem de bono, constat a significatione dare pabulum,

quod sit instruere in bono, per pabulum enim significatur bonum verorum scientificorum, n: 3114: et per dare pabulum, quod est pascere, significatur instruere in illo bono; quod pascere sit instruere, videatur n: 5201; per asinos significantur scientifica, n: 5492: inde patet, quod per dare pabulum asinis, significetur instructio de bono scientificorum; bonum scientificorum, est jucundum ex veris scientificis; vera scientifica sunt communissima vera, quae apparent in luce naturali, quae a luce mundi, sed ut appareant, nempe quod vera sint, erit influxus communis ab interno, n: 5668, hoc est illustratio a luce coeli.

5671. Et praepararunt munus, quod significet insinuationem, constat ex significatione muneris, quod sit obtinere gratiam, de qua n: 5619, ita praeparare munus, est insinuatio.

5672. Usque venire Joseph in meridie, quod significet dum internum adesset cum luce, constat ex significatione usque venire, quod sit cum adesset; a repraesentatione Josephi, quod sit internum, de qua n: 5648; et ex significatione meridiei, quod sit status lucis, de qua n: 1458. 3195. 3708: quod meridies sit status lucis, est quia tempora diei, sicut mane, meridies, vespera, correspondent illustrationibus, in altera vita, et illustrationis ibi sunt, intelligentiae et sapientiae, nam in luce coeli est intelligentia et sapientia, vices illustrationis ibi sunt tales, nempe sicut in terris mane, meridies, vespera; existunt status umbrae sicut quae in vespera, non a Sole ibi, hoc est, Domino, qui semper lucet, sed a proprio angelorum, nam sicut in proprium suum immittuntur, ita in statum umbrae seu vesperae veniunt, et sicut a proprio suo in proprium coeleste elevantur, ita in statum lucis; inde patet, unde est, quod meridies correspondeat statui lucis.

5673. Quia audiverunt quod ibi comederent panem, quod significet apperceptionem quod adjungeretur veris bonum, constat ex significatione audire, quod sit apperceptio, de qua n: 5017; ex significatione comedere, quod sit appropriari et conjungi, de qua n: 2187. 3168. 3596. 3513 f. 3832. 5643; et ex significatione panis, quod sit bonum amoris, de qua n: 2165. 2177. 2187. 3464. 3478. 3735. 3813. 4211. 4217. 4735. 4976.

5674. Et venit Joseph domum, quod significet praesentiam interni, constat ex significatione venire domum, quod sit adesse, seu praesentia, ut supra n: 5672; et ex repraesentatione Josephi, quod sit internum, de qua n: 5648.

5675. Et adduxerunt ei munus quod in manu illorum domum, quod significet insinuationem quantum possibile, constat ex significatione muneris, quod dabatur regibus et sacerdotibus, quod sit obtinere gratiam, ita etiam insinuatio, de qua mox supra n: 5671; et ex significatione quod in manu illorum, quod sit quantum possibile, de qua etiam supra n: 5624. 5659.

5676. Et incurvarunt se ad terram, quod significet humiliationem, constat ex significatione incurvare se ad terram, quod sit humiliare, de qua n: 2153, videatur etiam infra n: 5682.

5677. Et interrogavit illos ad pacem, quod significet perceptionem quod bene sit, constat ex significatione interrogare, quod sit cogitationem alterius percipere, de qua n: 5597; et ex significatione pacis, quod sit bene esse, de qua n: 5662.

5678. Et dixit, an pax patri vestro seni, quem dixistis, quod significet quod etiam bono spirituali, constat ex significatione pacis, quod sit bene esse, ut supra n: 5677; et ex repraesentatione Israëlis, qui hic est pater, quod sit bonum spirituale, de qua n: 3654. 4286. 4598.

5679. An adhuc is vivit, quod significet quod ei vita; constat ex significatione vivere, quod sit vita spiritualis, de qua n: 5407.

5680. Et dixerunt, pax servo tuo patri nostro, quod significet inde apperceptionem naturalis quod bene sit bono a quo, constat ex significatione dicere, quod sit percipere, de qua n: 1898. [29] 1919. 2080. 2619. 2862. 3509. 3395; ex significatione pacis, quod sit bene esse, de qua n: 5662. 5677; et ex repraesentatione Israëlis, quod sit bonum spirituale, de qua mox supra n: 5678, quod bonum pater dicitur, quia ab illo ut a patre sunt vera et bona in naturali, quae repraesentantur per decem filios ejus; et quia vera et bona in naturali per illos repraesentantur, per eosdem etiam naturale significatur, naturale enim est continens, et vera ac bona ibi sunt contenta, quae unum faciunt; inde patet, quod per dixerunt, pax servo tuo patri nostro, significetur inde apperceptio naturalis quod bene

sit bono a quo: *inde* apperceptio dicitur, nempè ab interno, quod per Josephum repraesentatur, n: 5648, quia omnis perceptio naturalis venit a spirituali, et quia a spirituali, venit ab interno, hoc est, per internum a Domino; nusquam aliqua perceptio, ne quidem aliqua cogitationis et affectionis vita est naturali, nisi quae venit a spirituali, sunt enim in naturali ex se omnia mortua, at vivificantur per influxum e spirituali mundo, hoc est, per spiritualem mundum a Domino, in spirituali mundo vivunt omnia ex luce quae a Domino, nam in luce illa est sapientia et intelligentia. Quod hic significetur *inde* apperceptio, seu ab interno, in naturali, etiam sequitur ab illis quae praecedunt n: 5677.

5681. Adhuc is vivit, quod significet et quod ei vita, constat ab illis quae mox supra n: 5679, [30] allata sunt; conferantur quae n: 5407.

5682. Et deflexerunt se, et incurvarunt se, quod significet humiliationem exteriorem et interiorem, constat ex significatione deflectere se, quod sit humiliatio exterior, et ex significatione incurvare se, quod sit humiliatio interior; est enim deflexio minor gradus incurvationis, quapropter etiam est humiliatio exterior; et incurvatio est major gradus, quapropter est humiliatio interior: praeterea deflexio est humiliatio veri, hoc est, illorum qui in vero sunt, ita spiritualium, et incurvatio est humiliatio boni, hoc est, illorum qui in bono sunt, ita coelestium, sic quoque deflexio est humiliatio exterior, et incurvatio humiliatio interior, qui enim in bono sunt, interiores homines sunt, quam illi qui in vero. Haec quae in hac periodo in sensu interno continentur, pleraque explicata sunt quoad solas significationes vocum, ex causa quia sunt talia, quae prius explicata sunt.

5683. Vers: 29. 30. 31. 32. 33. 34. *Et sustulit oculos suos, et vidit Benjaminem fratrem suum, filium matris suae, et dixit, an hic frater vester minimus, quem dixistis ad me, et dixit, Deus gratiosus sit tibi, fili mi. Et festinavit Joseph, quia commovebantur commiserationes ejus ad fratrem suum, et quaerebat flere et venit cubiculum, et flevit ibi. Et lavit facies suas, et exivit, et continuit se et dixit, ponite panem. Et posuerunt illi soli, et illis solis, et Aegyptiis comedentibus cum*

eo solis, quia non possunt Aegyptii comedere cum Hebraeis panem, quia abominatio id Aegyptiis. Et sederunt coram eo, primogenitus secundum primogenituram suam, minorennis secundum minorennitatem suam, et obstupuerunt viri quisque ad socium suum. Et extulit portiones ex faciebus suis ad illos, et multiplicavit portiones Benjaminis, prae portionibus omnium illorum, quinque mensuris; et bibebant, et large bibebant cum eo. Et sustulit oculos suos, significat reflexionem: et vidit Benjaminem, significat apperceptionem medii: fratrem suum, filium matris suae, significat internum a naturali, ut a matre: et dixit, significat perceptionem: an hic frater vester minimus, quem dixistis ad me, significat natum post omnes, ut quoque illis notum: et dixit, Deus gratiosus sit tibi, fili mi, significat quod Divinum etiam apud spirituale coelestis quod medium, quia procedit a coelesti spiritualis quod verum a Divino: et festinavit Joseph, significat ab intimo: quia commovebantur commiserationes ejus, significat misericordiam ex amore: ad fratrem suum, significat erga internum a se: et quaerebat flere, significat effectum misericordiae ex amore: et venit cubiculum, et flevit ibi, significat in se, non apparenter: et lavit facies suas, significat quod disponeret ita: et exivit, significat per remotionem: et continuit se, significat per occultationem: et dixit, ponite panem, significat perceptionem conjunctionis per medium cum veris in naturali: et posuerunt illi soli, et illis solis, significat externam apparentiam quod internum quasi separatum ab illis: et Aegyptiis comedentibus cum eo solis, significat separationem scientificorum quae in inverso ordine: quia non possunt Aegyptii comedere cum Hebraeis panem, significat quod nequaquam conjungi possent cum vero et bono Ecclesiae: quia abominatio id Aegyptiis, significat quod in opposito sint: et consederunt coram eo, significat quod disponerentur a sua praesentia: primogenitus secundum primogenituram suam, et minorennis secundum minorennitatem suam, significat secundum ordinem verorum sub bono: et obstupuerunt viri, quisque ad socium suum, significat mutationem status cujusvis inter se: et extulit portiones a faciebus suis ad illos, significat bona applicata unicuivis ex misericordia: et multiplicavit portionem Benjaminis prae portionibus omnium illorum, significat bonum medio supra bo-

na veris in naturali: quinque mensuris, significat multum auctum: et bibebant, significat applicationem verorum sub bono: et large bibebant, significat abundanter.

5684. Et sustulit oculos suos, quod significet reflexionem, constat a significatione tollere oculos, quod sit cogitatio et intentio, de qua n: 2789. 2829. 4339, et quoque advertentia, n: 4086, ita reflexio, nam reflectere est intendere visum intellectualem, et advertere num ita sit, et postea quod ita sit.

5685. Et vidit Benjaminem, quod significet apperceptionem medii, constat ex significatione videre, quod sit intelligere et appercipere, de qua n: 2150. 2325. 3764. 3863. 4403 ad 4421. 4567. 4723. 5400; et ex repraesentatione Benjaminis, quod sit medium, de qua n: 5411. 5413. 5443. 5639.

5686. Fratrem suum, filium matris suae, quod significet internum a naturali, ut a matre, constat a repraesentatione Benjaminis, qui hic frater et filius matris, quod sit internum, de qua n: 5469, et quia est medium, ideo existit a coelesti spiritualis, quod est Josephus, ut a patre, et a naturali ut a matre, ab utroque enim trahet ut pro medio inserviat; hoc nunc est, quod intelligitur per internum a naturali ut a matre; et quia coeleste spiritualis, quod est Josephus, similiter exstiterat a naturali ut a matre, sed a Divino ut a Patre, ideo vocatur Benjamin, sicut ex nativitate etiam fuerat, frater suus, filius matris suae; in mox sequentibus vocatur etiam filius; frater dicitur omnis a Domino, Qui hic per Josephum in supremo sensu intelligitur, qui aliquid boni charitatis habet a Domino, is quoque vocatur filius matris suae, sed tunc per matrem intelligitur Ecclesia.

5687. Et dixit, quod significet perceptionem, constat a significatione dicere in historicis Verbi, quod sit perceptio, de qua saepius prius; quod dicere sit percipere, est quia in coelo ipsae cogitationes, ex quibus loquela, percipiuntur, aliter ac in mundo, inde est quod percipere in sensu spirituali, sit loqui aut dicere in sensu literali, seu quod idem, in sensu naturali.

5688. An hic frater vester minimus, quem dixistis ad me, quod significet natum post omnes, ut quoque illis notum, constat ex significatione fratris minimi, quod sit qui natus post omnes, de qua sequitur; et ex significatione quem dixistis ad me, quod

sit perceptum ab illis, quod dicere sit perceptum, videatur mox supra n: 5687, ita notum. Quod Benjamin dicatur hic, sicut fuerat, frater eorum minimus, hoc est, natus post omnes seu natu minimus, est quia ita quoque cum Medio, quod repraesentat Benjamin, se habet in sensu spirituali; Medium enim apud hominem nascitur post omnes, cum enim nascitur homo spiritualiter, hoc est, cum renascitur, tunc Rationale ejus, quod est internum humanum, primum a Domino regeneratur, et postmodum Naturale, n: 3286. 3288. 3321. 3493. 4612; Medium itaque, quia trahet ab utroque, nempe a Rationali spirituali seu novo facto, et quoque a Naturali, et quia medium non aliquid trahere potest a Naturali, nisi hoc quoque novum fiat, idcirco non potest Medium nasci quam postea, et quidem secundum gradum quo Naturale regeneratur. Omnia quae de filiis Jacobi memorantur in Verbo, ita ex Providentia contigerant, ob causam, quia de illis et de posteris eorum conscriberetur Verbum, et hoc in se contineret coelestia, et in supremo sensu Divina, quae illi actualiter repraesentarent, ita quoque quod Benjamin quia ultimo natus est ideo repraesentaret Medium inter internum et externum, seu inter coeleste spiritualis, quod fuit Domino in mundo, et inter Naturale quod etiam fuit Domino, et quod Divinum faceret: omnia quae de Josepho et ejus fratribus memorantur, in supremo sensu repraesentant glorificationem Humani Domini, hoc est, quomodo Dominus Humanum in Se Divinum fecit, causa quod id in sensu intimo repraesentetur, est ut Verbum in sensu suo intimo sanctissimum esset; ut et, quod in singulis tale in se contineret, quod intraret in sapientiam Angelicam; nam notum est, quod sapientia angelica ita transcendat intelligentiam humanam, ut ab homine vix quicquam capi possit inde; ipsa quoque felicitas angelorum, est, quod in singulis sit de Domino, nam in Domino sunt: et praeterea, glorificatio Humani Domini est exemplar regenerationis hominis, inde regeneratio hominis etiam simul in sensu interno Verbi, ubi glorificatio Domini, sistitur; regeneratio hominis cum ejus innumerabilibus arcanis etiam intrat in sapientiam angelicam, et sistit eorum felicitatem secundum applicationem ad usus, qui sunt ad reformandum hominem.

5689. Et dixit, Deus gratiosus sit tibi, fili mi, quod signi-

ficet quod Divinum etiam apud spirituale coelestis quod medium, quia procedit a coelesti spiritualis quod verum a Divino, constat ex significatione Deus gratiosus esse, cum dicitur a coelesti spiritualis quod Josephus, ad spirituale coelestis quod Benjamin, et quoque cum vocatur filius suus, quod sit Divinum etiam apud spirituale coelestis quod medium quia procedit a coelesti spiritualis quod Verum a Divino: quod Benjamin sit spirituale coelestis, videatur n: 3969. 4592, et quod sit medium, n: 5411. 5413. 5443. 5639. Quia in supremo sensu, ut supra dictum, internum humanum Domini fuit coeleste spiritualis, et hoc fuit Verum a Divino, seu proximum indumentum Ipsius Divini in Domino, et quia spirituale coelestis, quod medium, processit ab illo, sequitur quod etiam Divinum apud hoc esset; quod procedit ab aliquo, hoc trahit suam essentiam ab illo a quo procedit, sed induitur talibus quae inserviunt communicationi, ita usui in sphaera inferiori; illa quibus induitur, trahuntur a talibus quae in inferiore sphaera sunt, ob finem ut internum, a quo procedit, agere possit in sphaera inferiori per talia quae ibi sunt: quod dat essentiam, est sicut pater, nam essentia est anima, et quod dat indumentum est mater, nam indumentum est animae [31] illius corpus; inde est, quod supra dictum, quod medium trahet ab utroque ut sit medium, suum ab interno ut a patre, et suum ab externo ut a matre.

5690. Et festinavit Joseph, quod significet ab intimo, constat a significatione festinare, quod hic sit quod erumpit ab intimo, nam sequitur, quia commovebantur commiserationes ejus, per quae significatur misericordia ex amore, haec cum erumpit, ex intimo erumpit, et hoc ad primum oculi ictum seu ad primum cogitationis momentum, ideo per festinare hic non aliud significatur quam ab intimo.

5691. Quia commovebantur commiserationes ejus, quod significet misericordiam ex amore, constat ex significatione commoveri commiserationes, quod sit misericordia ex amore; misericordia dicitur, quia nondum ab eo agnitus, ex amore dicitur, quia ut medium processit ab ipso: in Lingua originali commiserationes exprimuntur per vocem, quae intimum et tenerrimum amorem significat.

5692. Ad fratrem suum, quod significet erga internum a

se, constat a repraesentatione Benjaminis, qui hic est frater, quod sit medium, ita quoque internum, de qua n: 5469, et quia ut medium et internum procedit a coelesti spiritualis, quod Josephus, dicitur erga internum *a se.* Quisquis aliquid Divini a Domino, Qui hic est Josephus in supremo sensu, sicut qui aliquid boni charitatis recipit, is frater a Domino vocatur, et quoque filius.

5693. Et quaerebat flere, quod significet affectum misericordiae ex amore, constat a significatione fletus, quod sit effectus misericordiae ex amore, de qua n: 3801. 5480.

5694. Et venit cubiculum et flevit ibi, quod significet in se non apparenter, constat ex significatione venire cubiculum, quod sit in se, ut non appareat. Formula solennis Antiquis fuerat dicere, intrare in cubiculum, et quoque tunc claudere ostium, cum intelligerent facere aliquid quod non appareret; derivata fuit illa formula a significativis in Ecclesia Antiqua; per domum enim in sensu spirituali intelligebant hominem, n: 3128; per conclavia et cubicula intelligebant interiora hominis; inde venire seu intrare in cubiculum significabat in se, consequenter ut non appareat: et quia intrare cubiculum, significativum fuit, ideo in Verbo passim ita dicitur; ut apud Esaiam „Abi popule mi, *intra in cubicula tua*, et *claude januam tuam post te;* occulta te sicut parum momenti, usque dum transit ira" XXVI: 20; quod intrare in cubicula non ibi sit intrare in cubicula, manifeste constat, sed se in occulto tenere, et in se. Apud Ezechielem „Dixit ad me, num vidisti fili hominis, quae seniores domus Israëlis facientes in tenebris, vir in *conclavibus imaginis suae;* dicentes enim, non Jehovah videns nos" VIII: 12; facere in tenebris, vir in conclavibus imaginis suae, pro intus in se, in cogitationibus, interiora cogitationis et affectionis eorum repraesentata erant [32] prophetae per conclavia, et vocata conclavia imaginis. Apud Mosen „Foris orbabit gladius, et *ex conclavibus* terror, tam juvenem, quam virginem, lactentem cum viro senii" Deut: XXXII: 25; gladius pro vastatione veri, et punitione falsi, n: 2799; ex conclavibus terror pro interioribus hominis; quod conclavia ibi non sint conclavia quae intelliguntur, etiam patet. Apud Davidem „Qui irrigat montes e *Conclavibus suis*" Psalm: CIV: 13; irrigare montes in sensu spi-

rituali est benedicere illis qui in amore in Dominum, et in amore erga proximum sunt; quod mons sit coeleste amoris, videatur n: 795. 1430. 4210, inde ex conclavibus suis, est ex interioribus coeli. Apud Lucam „Quaecunque in tenebris dixeritis, in luce audientur; et quod in aurem loquuti fueritis *in cubiculis*, praedicabitur super tectis" XII: 3, Cubicula etiam ibi pro interioribus hominis, nempe quod cogitaverat, quod intenderat, et quod molitus est. Apud Matthaeum „Quando oraveris, *intrato in cubiculum tuum*, et *claudens ostium tuum*, et ora in occulto" VI: 6; intrare in cubiculum et orare, pro non apparenter; hoc enim a repraesentativo dictum est.

5695. Et lavit facies suas, quod significet quod disponeret ita, constat a significatione lavare facies, quod hic sit disponere ita ut non appareat, lavabatur enim facies ne lachrymatio appareret, proinde ita disponebatur, quomodo cum his se habet, in sequentibus, ex Divina Domini Misericordia, dicetur; hic aliquid dicendum de correspondentia faciei cum interioribus; facies est externum interiorum repraesentativum, nam facies ita formata est, ut interiora in illa, sicut in speculo repraesentativo appareant, ac alius inde sciat qua mente sit erga se, sic ut cum loquitur, manifestet sensa animi sui tam per loquelam quam per faciem; talem faciem habuerunt Antiquissimi, qui a coelesti Ecclesia fuerunt; et talem faciem habent omnes Angeli, nam nihil volunt coram aliis celare quid cogitant, cogitant enim non nisi quam bene erga proximum, nec aliquam latentem cogitationem habent, ut proximo velint bene propter se: at infernales, dum non in luce coeli apparent, aliam faciem habent quam quae interioribus correspondet; causa est, quia in vita corporis testati sunt charitatem erga proximum solum sui honoris et lucri causa per faciem, et tamen nusquam voluerunt proximo bene, nisi quantum sibi faveret; inde dispositio faciei eorum contra interiora, quandoque usque adeo, ut inimicitiae, odia, vindictae, et cupiditas necandi, sint intus, et tamen facies disposita ut inde eluceat [33] amor erga illum. Inde constare potest, quantum hodie dissident interiora ab exterioribus: quapropter talium ministeria ambiunt.

5696. Et exivit, quod significet per remotionem, constat ex significatione exire, quod hic sit remotio, nam qui se remo-

vet, exit seu recedit ab altero. Res ita in sensu interno se habet, per Josephum in sensu supremo repraesentatur Dominus, per decem filios Israëlis vera et bona in naturali apud illos qui regenerantur, per Benjaminem autem medium; misericordia ex amore est erga Medium, quia per illud regenerantur illa quae infra sunt; sed Domini amor et misericordia non apparet, antequam per medium conjunctio facta est; disponitur etiam ita ut non appareat, si enim appareret, non regeneratio fieri posset: dispositio fit per remotionem et occultationem, non quod Dominus unquam Misericordiam removeat aut occultet, sed cum is qui regeneratur immittitur in sua mala, tunc apparet ei Dominus sicut remotus et occultatus, sunt mala quae se interponunt, et id faciunt; sicut comparative densae nubes quae se sistunt inter solem, et sistunt absentiam ejus ac illum occultant: haec occultatio et remotio est, quae intelligitur.

5697. Et continuit se, quod significet occultationem, constat ex significatione continere se, quod sit occultare, nam qui se continet, is occultat quid interius voluit: quid per occultationem hic intelligitur, videatur mox supra n: 5696.

5698. Et dixit, ponite panem, quod significet perceptionem conjunctionis per Medium cum veris in naturali, constat ex significatione dicere, quod sit perceptio, de qua saepius prius; et ex significatione ponere panem, quod sit conjunctio per medium cum veris in naturali, per ponere panem intelligitur ipsa comessatio, et per comessationes et convivia significatur conjunctio, in specie initiatio ad conjunctionem, n: 3596. 3832. 5161; quod conjunctio per medium cum veris in naturali, sequitur ex serie, Benjamin enim est medium, et decem filii Jacobi sunt vera in naturali, ut prius est ostensum; et quia per Medium conjunctio, propter Benjaminem visum, mandatum est a Josepho ut comederent apud illum „ Et vidit Josephus cum illis Benjaminem, et dixit ei qui super domo sua, adduc viros domum, et mactando macta, et praepara, quia mecum comedent viri in meridie" Vers: 16.

5699. Et posuerunt illi soli, et illis solis, quod significet externam apparentiam, quod Internum quasi separatum ab illis, constat ex significatione ponere illi soli et illis solis, quod sit separatio; et quia per Josephum repraesentatur internum, et

per decem filios Israëlis externum, n: 5469, idcirco per illa verba significatur separatio Interni ab Externo sed apparens, quia dedit illis cibum ex sua mensa, mittendo cuique portiones.

5700. Et Aegyptiis comedentibus cum eo solis, quod significet separationem scientificorum, quae in inverso ordine, constat ex repraesentatione Aegyptiorum, quod sint scientifica quae in inverso ordine, de qua sequitur et a significatione comedentibus cum eo, solis, quod sit separatio, ut mox supra n: 5699. Per Aegyptios comedentes cum eo, intelliguntur Aegyptii qui comedebant apud Josephum, quod non cum Josepho comederent, patet, quia comedebant soli. Per Aegyptum, seu per Aegyptios in bono sensu significantur scientifica Ecclesiae, videatur n: 1462. 4749. 4964. 4966, at in opposito sensu per illos significantur scientifica quae in inverso ordine sunt, ita quae sunt contra vera Ecclesiae, n: 1164. 1165. 1186, in hoc sensu memoratur Aegyptus pluribus in locis in Verbo: quod Aegyptus illa scientifica significet, est quia scientifica Ecclesiae Antiquae, quae fuerunt repraesentativa et significativa coelestium et spiritualium, quae apud illos plus quam apud alios exculta fuerunt, verterant in magica, inde scientifica Ecclesiae repraesentativae prorsus inverterunt; in inverso ordine dicuntur esse scientifica, quando abutuntur ordine coelesti ad faciendum malum, ordo enim coelestis est ut bonum fiat omnibus; inde fit cum inverterint ita ordinem coelestem, quod demum negent Divina, illa quae coeli, consequenter quae charitatis et fidei sunt, qui tales facti sunt, sciunt ex scientificis acriter et solerter ratiocinari, quia ratiocinantur ex sensualibus, et ratiocinari ex sensualibus, est ex talibus quae externa sunt, nempe quae corporis et mundi, quae immediate occupant sensus et animos hominis; talia nisi illuminata fuerint a luce coeli, et sic in prorsus alium ordinem disposita, in tali obscuro ponunt hominem quoad coelestia, ut non solum nihil eorum capiat, sed etiam prorsus neget, et tandem rejiciat, ac tunc quantum licet, blasphemet: scientifica cum in ordine sunt, disposita sunt a Domino in formam coeli; at cum scientifica in inverso ordine sunt, disposita sunt in formam inferni, et tunc falsissima in medio sunt, et quae illa confirmant ad latera, at vera sunt extra, et quia extra sunt, non communicationem hàbere possunt cum coelo, ubi vera re-

gnant; quapropter illis clausa sunt interiora, nam per interiora patet coelum.

5701. Quia non possunt Aegyptii comedere cum Hebraeis panem, quod significet quod nequaquam [conjungi possent] cum vero et bono Ecclesiae, constat ex repraesentatione Aegyptiorum, quod sint qui in inverso ordine, ita in malo et in falso, de qua mox supra n: 5700; ex significatione comedere panem, quod sit conjungi, de qua etiam supra n: 5698; et ex repraesentatione Hebraeorum, quod sint qui in genuino ordine, ita in vero et bono Ecclesiae; quod per terram Hebraeorum significetur Ecclesia, videatur n: 5136. 5236, et hoc quia Ecclesia Hebraea fuit altera Ecclesia Antiqua, n: 1238. 1241. 1343. Comedere panem dicitur, et supra ponite panem, quia per panem significatur omnis cibus in genere, n: 2165, ita comessatio; causa quod per panem significetur omnis cibus et ipsa comessatio, est quia panis in spirituali sensu est coelestis amor, et coelestis amor in se continet omnia quae boni et veri sunt, ita omnia quae cibi spiritualis sunt; quod panis sit coelestis amor, videatur n: 276. 680. 2165. 2177. 2187. 3464. 3478. 3735. 4211. 4217. 4735. 4976.

5702. Quia abominatio id Aegyptiis, quod significet quod in opposito sint, constat ex repraesentatione Aegyptiorum, quod sint qui in inverso ordine, n: 5700; et ex repraesentatione Hebraeorum, cum quibus comedere Aegyptiis fuit abominatio, quod sint qui in genuino ordine, n: 5701, ita inter se in opposito, inde aversatio, et tandem abominatio. Quod abominationem hanc attinet, sciendum, quod qui in inverso ordine sunt, hoc est, in malo et inde falso, ita tandem aversantur bonum et verum Ecclesiae, ut cum audiunt illud, et magis cum interiora eorum, adeo illa abominentur, ut apud se nauseam et vomitum quasi sentiant; hoc mihi dictum et ostensum, cum miratus cur orbis Christianus interiora haec Verbi non recipiat; [34] apparuerunt spiritus e Christiano orbe, et coacti audire interiora Verbi, illi tali nausea correpti sunt, ut dicerent se sentire quasi pruritum ad vomitum in se; et dictum quod talis sit orbis Christianus hodie fere ubivis; quod talis sit, causa est, quia in nulla affectione veri sunt propter verum, minus in affectione boni ex bono; quod ex Verbo aut ex doctrinali suo aliquid cogitent et lo-

quantur, est ex habitu ab infantia, et ex instituto ritu, ita est externum absque interno. Quod omnia quae Ecclesiae Hebraeae, quae dein instituta fuit apud posteros Jacobi, Aegyptiis abominatio fuerint, patet non solum ex eo, quod ne quidem comedere cum illis vellent, sed etiam quod sacrificia, in quibus Ecclesia Hebraea principalem suum cultum ponebat, illis abominatio fuerint, ut patet apud Mosen „Pharao dixit, abite, sacrificate in terra: verum dixit Moses, non consultum est facere sic, quia *abominationem Aegyptiorum sacrificabimus* Jehovae, Deo nostro; ecce si *sacrificemus abominationem Aegyptiorum* in oculis eorum, nonne lapidabunt nos" Exod: VIII: 21. 22, tum quod abominatio illis pascere pecudes, et pastor, ut quoque patet apud Mosen „*Abominatio Aegyptiorum est omnis pastor gregis*" Genes: XLVI: 34; ita quaecunque fuerunt illius Ecclesiae, Aegyptii abominati sunt; causa erat, quia primitus etiam Aegyptii inter illos, qui Antiquam Ecclesiam Repraesentativam constituerunt, fuerant, n: 1238. 2385, sed postmodum rejecerunt Deum Ecclesiae Antiquae, hoc est, Jehovam seu Dominum, et idolis serviverunt, imprimis vitulis; tum ipsa repraesentativa et significativa coelestium et spiritualium Ecclesiae Antiquae, quae, cum fuerunt ab Ecclesia illa, hauserunt, verterunt in magica; inde illis inversus ordo, et consequenter omnium quae Ecclesiae, abominatio.

5703. Et consederunt coram eo, quod significet quod disponerentur a sua praesentia, constat ex significatione consedere quod hic sit disponi, ordinabantur enim a Josepho, ut patet a mox sequentibus, nam obstupuerunt, quod consederet primogenitus secundum primogenituram suam, et minorennis secundum minorennitatem suam; et a significatione coram eo, quod sit a sua praesentia. Cum hoc ita se habet, per Josephum in supremo sensu repraesentatur Dominus, per filios Israëlis bona et vera in naturali; cum Dominus praesens est, tunc ab ipsa praesentia Ipsius disponuntur omnia in ordinem, Dominus est ipse ordo, quapropter ubi est praesens ibi est ordo, et ubi est ordo ibi est praesens: ipse ordo describitur in nunc sequentibus, qui est ut vera rite disponantur sub bono.

5704. Primogenitus secundum primogenituram suam, et minorennis secundum minorennitatem suam, quod significet se-

cundum ordinem verorum sub bono, constat ex significatione consedere secundum primogenituram, et secundum minorennitatem, quod sit secundum ordinem verorum sub bono; filii enim Israëlis repraesentant vera Ecclesiae in suo ordine, videatur explicatio ad Cap: XXIX et XXX Genes: ideo consedere secundum nativitatem eorum, est secundum ordinem verorum: sed vera Ecclesiae, quae filii Israëlis repraesentant, in nullum ordinem veniunt, nisi per bonum Christianum, hoc est, per bonum charitatis erga proximum, et amoris in Dominum, in bono enim est Dominus, et inde in bono est coelum, consequenter in bono est vita, ita vis agens viva, nusquam autem in vero absque bono: quod bonum ad sui instar ordinet vera, patet manifeste ab amore quocunque, etiam ab Amoribus sui et mundi, ita ab amore vindictae, odii, et similium malorum, qui in illis sunt, vocant malum bonum, quia malum illis est jucundum, hoc illorum bonum ita dictum, ordinat falsa, quae illis sunt vera, ita ut faveant, et tandem omnia haec, nempe falsa quae vocant vera, in talem ordinem disponit, ut fiat persuasio; sed ordo ille est qualis est ordo in inferno: at ordo verorum sub bono coelestis amoris, est qualis ordo in coelis, inde etiam homo, apud quem talis ordo est, hoc est, qui regeneratus est, vocatur exiguum coelum, et quoque est coelum in exiguissima forma, interiora enim ejus correspondent coelis. Quod bonum sit quod ordinat vera, patet ab ordine in coelis, ibi omnes societates dispositae sunt secundum vera sub bono quae a Domino; Dominus enim non est nisi quam Divinum Bonum, Divinum autem Verum non est in Domino, sed procedit a Domino; secundum Divinum hoc Verum sub Divino Bono ordinatae sunt omnes societates in Coelis. Quod Dominus non sit nisi quam Divinum Bonum, et quod Divinum Verum non sit in Ipso, sed procedat ab Ipso, illustrari potest comparative a Sole mundi, sol non est nisi quam ignis, at lux non est in illo, sed procedit ab illo; et quoque quae lucis sunt in mundo, sicut formae vegetabiles, etiam in ordinem disponuntur a calore qui procedit ab igne solis, et est in luce ejus; ut constat tempore veris et aestatis: quia universa natura est theatrum repraesentativum Regni Domini, ita quoque hoc universale: sol repraesentat Dominum, ignis ibi Divinum Ipsius amorem, calor inde bonum quod inde fluit, et

lux vera quae fidei; et quia repraesentant, etiam in Verbo per solem in sensu spirituali intelligitur Dominus, n: 1053. 1521. 1529. 1530. 1531. 3636. 3643. 4321 f. 5097. 5377, per ignem Amor, n: 934. 4906. 5071. 5215, ita solis ignis repraesentative est Divinus amor et inde calor est bonum ex amore Divino; quod per lucem verum, videatur n: 2776. 3138. 3190. 3195. 3222. 3339. 3636. 3643. 3862. 3993. 4302. 4409. 4413. 4415. 4526, 5219. 5400.

5705. Et obstupuerunt viri, quisque ad socium suum, quod significet mutationem status cujusvis inter se, constat ex significatione obstupescere, quod sit inexspectata et subita mutatio status cogitationum, haec quia causa est stuporis, in sensu interno illa significatur; et ex significatione quisque ad socium suum, quod sit cujusvis inter se: agitur enim de ordine verorum sub bono a praesentia Interni, n: 5703. 5704, [35] qui ordo quia novus, inde mutatio status cujusvis inter se, quae significatur per obstupuerunt viri quisque ad socium suum.

5706. Et extulit portiones ex faciebus suis ad illos, quod significet bona applicata unicuivis ex Misericordia, constat ex significatione portionum nempe cibi, quod sint bona, cibi enim omnes significant bona, et potus omnis generis vera: quod applicata unicuivis, patet a sequentibus, et significatur per extulit ad illos; et ex significatione facierum, cum praedicantur de Domino, Qui repraesentatur per Josephum, quod sint Misericordia, de qua n: 222. 223. 5585.

5707. Et multiplicavit portionem Benjaminis prae portionibus omnium illorum, quod significet bonum medio supra bona veris in naturali, constat a significatione portionum, quod sint bona, de qua mox supra n: 5706; [36] ex repraesentatione Benjaminis, quod sit Medium, de qua n: 5411. 5413. 5427. 5428. 5443. 5586. 5612; et ex repraesentatione decem filiorum Jacobi, prae quorum portionibus multiplicavit portionem Benjaminis, quod sint vera in naturali, de qua n: 5403. 5419. 5427. 5458. 5512; inde patet, quod per multiplicavit portionem Benjaminis prae portionibus omnium illorum, significetur bonum medio supra bona veris in naturali. Quod bonum Medio supra bona veris in naturali, est quia Medium est interius, et quod interius est hoc bonis abundat prae illo quod exterius est: pauci

sciunt quomodo hoc se habet, nempe quod interius abundet bonis et veris prae exterioribus, causa est, quia pauci, si ulli, hactenus noverunt, quod interius distinctum sit ab exteriori, ac ita distinctum, ut separari queant, et cum separata sunt, quod interius vivat, et exterius moriatur; quamdiu autem conjuncta sunt, quod exterius vivat ab interiori; si hoc primum notum fuisset, potuisset dein sciri, quale interius est respective ad exterius, quod nempe in interiori millia sint, quae in exteriori apparent ut unum, est enim interius in puriori sphaera, exterius in crassiori, quod in puriori sphaera est, hoc capax est recipiendi distincte millia prae illo quod in crassiori sphaera: inde est, quod homo, qui vitam boni egerat, cum post mortem in coelum venit, possit recipere millia millium, quae intelligentiae et sapientiae sunt, tum felicitatis, quam ille cum vixerat in mundo; in coelo enim est ille, in puriori sphaera, inque sui interioribus, et crassiora quae corporis exuerat. Ex his nunc patet, quid intelligitur per bonum Medio supra bona veris in naturali, quae significantur per quod multiplicavit portionem Benjaminis prae portionibus omnium illorum.

5708. Quinque mensuris, quod significet quod multum auctum, constat ex significatione quinque, quod sint multum, de qua sequitur; et ex significatione mensurarum, quod sint status veri ex bono, de qua n: 3104. Quod quinque attinet, est numerus qui significat parum, tum aliquid, ut et multum, significatio ejus fluit ex relatione ad numerum, a quo est, n: 5291; cum ex decem, tunc involvit simile cum decem sed in minori gradu, est enim dimidium numeri decem, nam sicut numeri multiplicati significant simile cum suis simplicibus, n: 5291. 5335, ita numeri divisi cum multiplicatis, sicut 5 cum 10, et quoque cum 20, ut et cum 100, ac cum 1000, et sic porro; quod decem sint plenum, videatur n: 3107. 4638; quinque mensurae datae sunt Benjamini prae reliquis ejus fratribus, ob significationem rei in sensu interno; quia non potuerunt [37] dari decem mensurae, nam hae valde superfluerent: sciebant etiam Antiqui per traditiones ab Antiquissima Ecclesia, quid aliqui numeri significarent, quapropter illis numeris utebantur, cum tale quid, ad cujus significationem inserviebant, obveniret, sicut hic quinque; et alioquin applicabant plures alios numeros,

sicut tres cum significaretur plenum a principio ad finem, septem cum sanctum, duodecim cum omnia in suo complexu.

5709. Et bibebant, quod significet applicationem verorum sub bono, constat a significatione bibere, quod sit communicatio et appropriatio [38] veri, de qua n: 3168. 3772. 4017. 4018, inde etiam applicatio ejus; quod sub bono, est quia omnis applicatio veri fit sub bono, videatur supra n: 5704.

5710. Et large bibebant, quod significet abundanter, constat ex significatione bibere, quod sit applicare vera sub bono, de qua mox supra n: 5709; inde large bibere est abundanter. Ex his, quae in hoc Capite explicata sunt, patet, quod de initiatione ad conjunctionem naturalis cum coelesti spiritualis actum sit, in subsequente autem Capite de conjunctione prima agitur, prima enim conjunctio repraesentatur per quod Josephus manifestaverit se fratribus suis, altera per quod obviam iverit patri et fratribus suis, et illos in Aegyptum deduxerit.

Continuatio de Correspondentia, hic de Correspondentia Morborum cum Mundo spirituali.

5711. *Quia agendum de Correspondentia morborum, sciendum quod morbi quoque omnes apud hominem correspondentiam habeant cum mundo spirituali; quicquid enim in universa natura non correspondentiam habet cum mundo spirituali, hoc non existet, habet nullam causam ex qua existat, consequenter ex qua subsistat; quae in natura sunt, non sunt nisi quam effectus, in mundo spirituali sunt causae illorum, et in coelo interiori sunt causarum illarum causae, quae sunt fines: effectus nec potest subsistere, nisi causa sit jugiter in illo, nam cessante causa cessat effectus; est effectus in se spectatus non nisi quam causa, sed ita extrinsecus induta, ut inserviat in inferiori sphaera, ut causa ibi causam agere possit; similiter ac cum effectu respective ad causam, etiam se habet cum causa respective ad finem; causa nisi illa quoque existat a sua causa, quae est finis, non est causa, nam causa absque fine, est causa in nullo ordine, et ubi nullus ordo, non fit aliquid. Inde*

nunc patet, quod effectus in se spectatus sit causa, et causa in se spectata sit finis, et quod finis boni sit in coelo, et procedat a Domino, consequenter quod effectus non sit effectus nisi causa insit, et jugiter insit, et quod causa non sit causa, nisi finis insit, et jugiter insit; et quod finis non sit finis boni, nisi Divinum quod procedit a Domino ei insit: inde etiam patet, quod omnia et singula in mundo, sicut exstiterant a Divino, etiam existant a Divino.

5712. *Haec dicta sunt ut sciatur, quod etiam morbi correspondentiam habeant cum mundo spirituali; non correspondentiam cum coelo, quod est Maximus homo, sed cum illis qui in opposito sunt, ita cum illis qui in infernis: per mundum spiritualem in universali sensu intelligitur et coelum et infernum, homo enim cum moritur, transit e mundo naturali in mundum spiritualem. Quod morbi correspondentiam habeant cum illis, est quia morbi correspondent cupiditatibus et passionibus animi, hae quoque sunt origines illorum; origines enim morborum in communi sunt intemperantiae, luxuriae varii generis, voluptates mere corporeae, tum quoque invidiae, odia, vindictae, lasciviae, et similia, quae interiora hominis destruunt, quibus destructis exteriora patiuntur, et in morbum trahunt hominem, et sic in mortem; quod mors homini sit ex malis, seu propter peccatum, notum est in Ecclesia, ita quoque morbi, nam hi sunt mortis. Ex his constare potest, quod etiam morbi correspondentiam habeant cum mundo spirituali, sed cum immundis ibi, nam morbi in se immundi sunt, scaturiunt enim ab immundis, ut supra dictum.*

5713. *Omnes infernales inducunt morbos, sed cum differentia, ex causa quia omnia inferna in cupiditatibus et concupiscentiis mali sunt, proinde contra illa quae sunt coeli, quare agunt ex opposito in hominem; Coelum quod est Maximus homo, continet omnia in nexu et incolumitate; infernum, quia in opposito est, destruit et discindit omnia; proinde si infernales applicantur, inducunt morbos, et tandem mortem: at non permittitur illis influere usque in ipsas partes solidas corporis, seu in partes ex quibus consistunt viscera, organa, et membra hominis, sed modo in cupiditates et falsitates; solum cum homo in morbum cadit, tunc influunt in talia immunda*

quae sunt morbi; nam, ut dictum, nihil usquam existit apud hominem, nisi causa etiam sit in mundo spirituali; naturale apud hominem si separatum esset a spirituali, separatum esset ab omni causa existentiae, ita quoque ab omni vitali. Sed hoc usque non impedit, quin homo possit naturaliter sanari, concurrit enim cum talibus mediis Providentia Domini. Quod ita se res habeat, per multam experientiam scire datum est, et hoc toties et tamdiu, ut non aliquid dubii relictum sit; spiritus mali enim e talibus locis mihi saepe et diu applicati sunt, et secundum praesentiam induxerunt dolores, et quoque morbos, ostensi mihi ubinam essent, et quales essent, et dictum quoque undenam essent.

5714. *Quidam qui in vita corporis summus adulter fuerat, et summum jucundum posuerat in adulterando cum pluribus foeminis, quas illico post rejecit et aversatus est; is in talibus usque ad senium perseveravit; insuper etiam voluptatibus deditus fuit, et non alicui bene facere voluit et officium praestare, nisi ex causa sui, imprimis sui adulterii: is fuit aliquibus diebus apud me, visus sub pedibus; et cum sphaera vitae ejus mecum communicabatur, ubicunque venit, aliquem dolorem inflixit periosteis et nervis ibi, ut digitis plantae pedis sinistri, et cum emergere ei permissum fuit, partibus ubi erat, imprimis periosteis in lumbis, etiam periosteis pectoris sub diaphragmate, et quoque dentibus a parte interiore. Cum sphaera ejus operabatur, induxit etiam ventriculo gravedinem magnam.*

5715. *Apparuit magna apertura quadrangularis oblique tendens deorsum ad multam profunditatem, in profundo visa est apertura rotunda, quae tunc aperta sed mox clausa, inde exhalabat calor infestus, qui collectus ex variis infernis, oriundus ex cupiditatibus variorum generum, sicut ex fastu, lasciviis, adulteriis, odiis, vindictis, rixis et pugnis, inde in infernis calor ille qui exhalabat: is cum in corpus meum agebat, inducebat momento morbum, qualis est febris ardentis; at cum cessabat influere, momento cessabat illud morbi. Cum homo incidit in morbum talem, quem contraxerat ex sua vita, tunc illico sphaera immunda correspondens morbo se adjungit, et adest ut causa fomentans. Ut scirem pro certo quod res ita se haberet, apud me fuerunt spiritus ex pluribus infernis, per*

quos communicabatur sphaera exhalationum inde, quae sicut permittebatur agere in partes solidas corporis, ita gravedine, dolore, imo morbo correspondente corripiebar, quae momento cessabant, sicut spiritus illi expellebantur: et ne aliquis locus dubio relinqueretur, hoc millies factum.

5716. *Sunt etiam spiritus non longe abinde, qui infundunt frigora immunda, qualia sunt febris gelidae, quod etiam per experientias scire datum est; iidem quoque inducunt talia quae perturbant mentem; et quoque inducunt deliquia. Illi, qui inde, malitiosissimi sunt.*

5717. *Sunt quidam, qui non solum viscosissima Cerebri, quae excrementitia ejus sunt, referunt, sed etiam sciunt inficere illa quasi venenis: tales cum alluunt, irruunt intra cranium, et inde per continuum usque in medullam spinalem: hoc sentire non possunt illi quibus interiora non aperta sunt; mihi dabatur manifeste sentire illapsum, et quoque conatum, nempe interimendi, sed incassum, quia tutus a Domino: intendebant omnem facultatem intellectualem mihi auferre, sensi manifeste operationem eorum, et quoque inde dolorem, qui tamen mox cessabat: postea cum illis loquutus sum, et coacti sunt fateri unde essent; narrabant se vivere in obscuris sylvis, ubi non audent quicquam sociis inferre, quoniam tunc licet sociis immaniter illos tractare, ita tenentur in vinculis; sunt deformes, facie ferina, hirsuti. Dictum mihi, quod tales fuerint, qui olim integros exercitus necarunt, sicut legitur in Verbo; irruerunt enim in cameras cerebri cujusvis, et intulerunt terrorem, una cum tali insania, ut unus necaret alterum: tales hodie intra infernum suum clausi tenentur, nec emittuntur. Referunt etiam tubera lethalia Capitis intra cranium. Dictum quod irruant intra cranium, et inde per continuum usque in medullam spinalem, sed sciendum, quod apparentia sit, quod ipsi spiritus irruant, feruntur extra per viam quae in corpore illis spatiis correspondet, quod sentitur sicut illapsus foret intra; correspondentia hoc facit; inde operatio eorum facile derivatur in hominem, ad quem determinatur.*

5718. *Est quoddam genus spirituum, qui quia dominari volunt, et soli regere omnes alios, ob illum finem excitant inter alios inimicitias, odia, et pugnas; vidi inde pugnas, et*

miratus sum, quaesivi quinam essent, dictum quod ejuscemodi genus spirituum sit, qui talia excitant, quia soli imperare intendunt, secundum regulam, divide et impera: dabatur etiam loqui cum illis, qui statim dicebant, quod illi regerent omnes; respondere datum est, quod insaniae essent si imperare suum a talibus quaerant; loquuti sunt mecum a superiori ad mediam altitudinem supra frontispicium; loquela eorum erat cum flumine, quia eloquio in vita corporis polluerunt. Instructus sum, quod tales sint, qui referunt Cerebri crassam pituitam, cui per praesentiam vitale adimunt, et torporem indunt, unde obstructiones, ex quibus principia plurium morborum, ut et hebetudines. Observatum, quod essent absque omni conscientia, et quod humanam prudentiam et sapientiam ponerent in excitandis inimicitiis, odiis, intestinis pugnis, imperandi causa: interrogare eos datum, num scirent quod nunc in altera vita sint, ubi in aeternum victuri, et quod ibi leges spirituales sint quae talia prorsus vetant, et quod, dum in mundo fuerunt, potuerint aestimari, et credi sapientes inter stultos, at quod insani sint inter sapientes; hoc illis displicebat: continuabam, quod scire debeant, quod coelum consistat in amore mutuo, seu unius erga alterum, inde in coelo ordo, et inde tot myriades reguntur ut unus; at quod contrarium sit apud illos, quia infundunt aliis, ut non nisi [39] quam quae odii, vindictae et crudelitatis sunt, contra socios spirent; respondebant, quod aliter quam sunt non esse possint; ad quae dicere datum, quod inde sciant, quod vita sua unumquemvis maneat.

5719. *Qui Verbum in litera, et magis quae ibi in altiori sensu, contemnunt et subsannant, consequenter etiam doctrinalia quae sunt ex Verbo, et simul in nullo amore erga proximum sunt, sed in amore sui; illi referunt vitiosa sanguinis, quae pervadunt in omnes venas et arterias, et totam massam contaminant. Ne aliquid tale per praesentiam suam inferant homini, tenentur ab aliis separati in suo inferno; et solum communicant cum illis qui tales sunt, nam hi in halitum et sphaeram illius inferni se conjiciunt.*

5720. *Hypocritae cum apud me fuerunt, nempe qui sancte loquuti de Divinis, cum affectione amoris de publico et proximo, et testati justum et aequum, et usque corde suo spreve-*

runt illa, et quoque irriserunt: cum licebat eis influere in partes corporis, quibus ex opposito correspondebant, injecerunt dolorem dentibus, et ad praesentiam proximam tam gravem, ut non sustinere potuissem; et quantum removebantur, tantum cessabat dolor; quod ostensum repetitis vicibus, ne aliquid dubii superesset. Inter illos fuit quidam in vita corporis sui mihi notus, quapropter cum illo loquutus; et quoque sicut ejus praesentia erat, ita dolor dentibus et gingivis; is cum sursum levabatur ad sinistrum, dolor sinistram maxillam, et sinistri temporis os, usque ad ossa genae invasit.

5721. *Omnium contumacissimi sunt, qui in vita in mundo apparuerunt justi prae aliis, et simul constituti in dignitate, inde ex utroque illis auctoritas et quoque gravitas, et tamen nihil crediderunt, et vixerunt solam vitam amoris sui, odio intestino et vindicta accensi contra omnes qui illis non faverunt, et qui illos non coluerunt, et magis qui illis aliquo modo se opposuerunt; si apud hos aliquem naevum detexerunt, ex eo enorme malum fecerunt, ac diffamarunt, etiam si inter cives optimos fuisset. Tales in altera vita loquuntur sicut in mundo, nempe ex auctoritate et graviter, et sicut ex justo, unde plures putant quod prae aliis credendi; sed sunt malitiosissimi; cum applicantur homini, inducunt magnum dolorem per taedium, quod insufflant et augent continue, usque ad summam impatientiam, quod inducit talem infirmitatem animo et inde corpori, ut homo vix se levare e lecto possit: hoc mihi ostensum per id, quod, cum adessent, talis infirmitas me occuparet, quae tamen cessabat secundum gradum quo removebantur. Utuntur pluri arte taedium et inde infirmum infundendi; imprimis per vituperationes et diffamationes, inter se et suos, quarum communem sphaeram injiciunt. Illi cum ratiocinantur intra conclavia de Cultu Divino, de fide, et vita aeterna, illa prorsus rejiciunt, et hoc faciunt sicut ex sapientia prae aliis. In altera vita volunt audiri diaboli, modo liceat eis imperare infernis, et sic ex imperio, ut credunt, agere contra Divinum. Intus sunt spurci, quia prae aliis in amore sui, et inde in odio, et vindicta, inque crudelitate contra omnes, qui illos non colunt. Puniuntur graviter, quod etiam audivi, usque dum desistunt seducere alios per speciem justi: cum species illa iis adimitur,*

tunc alio tono loquuntur: postea rejiciuntur e mundo spirituum, et tunc versus sinistrum, et dejiciuntur ibi in infernum profunde; id infernum est versus sinistrum ad mediam distantiam.

5722. *Sunt alii qui in vita corporis spurcissimi fuerunt, spurcities eorum talis est, ut reticenda; illi per praesentiam suam et influxum in partes solidas corporis, inducunt taedium vitae, et [40] talem torporem membris et artubus, ut se levare homo e lecto non possit. Contumacissimi sunt, non desistunt per poenas, ut alii diaboli: apparent juxta caput, et ibi sicut jacentes: cum abiguntur, non fit subito, sed lente, et tunc per gradus versus inferiora devolvuntur; et cum in profundum veniunt, ibi in tantum cruciantur, ut non possint non desistere ab infestandis aliis. Tale est eorum jucundum malum faciendi ut nihil jucundius.*

5723. *Fuerunt apud me Spiritus, qui gravedinem talem ventriculo induxerunt, ut viderer mihi vix posse vivere; talis gravedo erat, ut apud alios induxisset deliquium; sed remoti sunt, et tunc statim cessabat: dictum quod tales spiritus illi sint, qui in vita corporis nullo studio, ne quidem domestico dediti fuerint, sed solum voluptati; et praeterea in foedo otio et inertia vixerunt, nec alios curaverunt quicquam; fidem etiam spreverunt: in summa, fuerunt animalia non homines: talium sphaera apud aegrotos torporem membris et artubus inducit.*

5724. *Sunt in cerebro viscosa, quibus immixtum aliquid spirituosum seu vitale, quae viscosa e sanguine ibi expuncta incidunt primum inter meninges, dein inter fibras, pars eorum in ventriculos magnos in cerebro, et sic porro: spiritus qui ad viscosa illa, in quibus aliquid spirituosi seu aliquid vitae est, referuntur correspondenter, apparent supra medium caput directe fere, ad mediam distantiam, et tales sunt, ut ex more in vita corporis, scrupulos conscientiae moveant, et insinuent in rebus nullius conscientiae, ita aggravant conscientiam simplicium; nec sciunt quid conscientiam morare debet, in omni quod obvenit conscientiam ponentes. Tales etiam anxietatem sensibilem inducunt parti abdominis sub regione diaphragmatis: in tentationibus etiam adsunt, et anxietates inferunt, quandoque intolerabiles: qui illorum phlegmati viscoso minus vitali correspondent, cogitationem tunc inhaerenter tenent in anxiis illis.*

Cum illis etiam in sermone fui, ut scirem quales essent, tentabant variis modis aggravare Conscientiam; hoc jucundum vitae eorum fuerat; et observare datum, quod non possent ad rationes attendere, et quod illis non esset rerum universalior intuitio, a qua singularia viderent.

5725. *Ab experientia discere datum est, quid inundatio seu diluvium in sensu spirituali; inundatio illa est duplex, una quae est cupiditatum et altera quae est falsitatum; quae est cupiditatum est partis voluntariae, et est dextrae partis Cerebri, at quae est falsitatum est partis intellectualis, in qua est sinistra pars Cerebri. Cum remittitur homo, qui in bono vixerat, in proprium suum, ita in sphaeram suaemet vitae, tunc apparet quasi inundatio; cum in illa inundatione est, tunc indignatur, irascitur, cogitat irrequiete, cupit vehementer; aliter cum inundatur sinistra pars Cerebri ubi sunt falsa, et aliter cum dextra ubi mala. Cum autem homo tenetur in sphaera vitae, quam receperat a Domino per regenerationem, tunc prorsus extra talem inundationem est, et est quasi in sereno et aprico, et in laeto et felici, ita longe ab indignatione, ira, irrequietudine, cupiditatibus, et similibus; hoc est mane seu ver spirituum, illud est vespera seu autumnus eorum. Datum erat mihi percipere, quod extra inundationem essem, et hoc satis diu, cum viderem quod alii spiritus essent in illa; postea autem ipse immersus fui; et tunc appercepi similitudinem inundationis. In tali sunt, qui in tentationibus. Inde quoque instructus sum, quid diluvium in Verbo significat, quod nempe ultima posteritas Antiquissimorum, qui fuerunt ab Ecclesia coelesti Domini, prorsus inundati fuerint malis et falsis, et sic perierint.*

5726. *Quia mors non aliunde est, quam ex peccato, et peccatum est omne id quod est contra ordinem Divinum, inde est quod malum claudat omnium minima et prorsus invisibilia vasa, a quibus proxime majora etiam invisibilia, contexta* [41] *sunt; vasa enim omnium minima et prorsus invisibilia continuantur interioribus hominis; inde prima et intima obstructio, et inde primum et intimum vitium in sanguinem; hoc vitium cum accrescit, causatur morbum, et tandem mortem. Si autem homo vixisset vitam boni, tunc interiora ejus aperta in coelum, et per coelum ad Dominum forent; ita quoque omnium minima et*

invisibilia vascula (*delineamenta primorum staminum licet vascula appellare, ob correspondentiam,*) *inde homo absque morbo foret, et solum decresceret ad ultimum senium, usque dum fieret rursus infans, sed infans sapiens; et cum tunc corpus non amplius ministrare posset interno ejus homini, seu spiritui, transiret absque morbo e corpore suo terrestri in corpus quale habent angeli, ita e mundo immediate in coelum.*

5727. *Hic finis est de Correspondentia, in sequentibus ad finem Capitum, ex Divina Domini Misericordia, dicetur de spiritibus et angelis apud hominem; dein de influxu, et de commercio animae cum corpore: et postea de aliarum tellurum incolis.*



GENESEOS

CAPUT QUADRAGESIMUM QUARTUM.

1. Et praecepit illi qui super domo sua, dicendo, imple manticas virorum cibo, quantum possunt ferre, et pone argentum cujusvis in ore manticae ejus.

2. Et scyphum meum, scyphum argenti, ponas in ore manticae minimi, et argentum frumenti ejus, et fecit secundum verbum Josephi quod loquutus.

3. Mane illuxit, et viri dimissi sunt, illi et asini illorum.

4. Illi exiverunt urbe, non elongati, et Joseph dixit illi qui super domo sua, surge, persequere post viros, et assequutus illos, et dicas ad illos, quapropter retribuitis malum pro bono.

5. Nonne id, in quo bibit dominus meus, et is divinando divinat in hoc, male fecistis quod fecistis.

6. Et assequutus illos et loquutus ad illos verba illa.

7. Et dixerunt ad illum, quapropter loquitur dominus meus juxta verba haec, absit servis tuis a faciendo juxta verbum hoc.

8. Ecce argentum quod invenimus in ore manticarum nostrarum reduximus ad te e terra Canaan, et quomodo furabimur e domo domini tui argentum vel aurum.

9. Cum quo invenitur e servis tuis, et moriatur, et etiam nos erimus domino meo in servos.

10. Et dixit, etiam nunc secundum verba vestra, ita id, cum quo invenitur, erit mihi servus, et vos eritis insontes.

11. Et festinarunt, et descendere fecerunt quisque manticam suam terram, et aperuerunt quisque manticam suam.

12. Et scrutatus est, in maximo incepit, et in minimo absolvit, et inventus scyphus in mantica Benjaminis.

13. Et disruperunt vestes suas, et oneravit quisque super asinum suum, et reversi sunt urbem.

14. Et intravit Jehudah et fratres ejus domum Josephi, et is adhuc is ibi, et ceciderunt coram illo terram.

15. Et dixit ad illos Joseph, quod factum hoc quod fecistis, nonne scivistis quod divinando divinat vir qui sicut ego.

16. Et dixit Jehudah, quid dicemus domino meo, quid loquemur, et quomodo justificabimur, DEUS invenit iniquitatem servorum tuorum, ecce nos servi domino meo, etiam nos, etiam in cujus inventus scyphus manu.

17. Et dixit, absit mihi a faciendo hoc, vir in cujus inventus scyphus manu, ille erit mihi servus, et vos ascendite in pace ad patrem vestrum.

18. Et accessit ad eum Jehudah, et dixit, per me, domine mi, loquatur quaeso servus tuus verbum in auribus domini mei, et ne accendatur ira tua in servum tuum, quia sicut tu sicut Pharao.

19. Dominus meus interrogavit servos suos, dicendo, an sit vobis pater vel frater.

20. Et diximus ad dominum meum, est nobis pater senex, et natus senectutum minimus, et frater ejus mortuus, et relictus ille solus matri suae, et pater ejus amat illum.

21. Et dixisti ad servos tuos, descendere facite illum ad me, et ponam oculum meum super illum.

22. Et diximus ad dominum meum, non potest puer relinquere patrem suum, et relinquat patrem suum, et morietur.

23. Et dixisti ad servos tuos, si non descendat frater vester minimus cum vobis, non addetis videre facies meas.

24. Et fuit, cum ascendimus ad servum tuum patrem meum, et indicavimus ei verba domini mei.

25. Et dixit pater noster, revertimini, emite nobis parum cibi.

26. Et diximus, non possumus descendere, si sit frater noster minimus cum nobis, et descendemus, quia non possumus videre facies viri, et frater noster minimus non ille cum nobis.

27. Et dixit servus tuus pater meus ad nos, vos nostis quod binos pepererit mihi uxor mea.

28. Et exivit unus a me, et dixi, veruntamen discerpendo discerptus est, et non vidi illum huc usque.

29. Et sumitis etiam hunc a cum faciebus meis, et accidat illi damnum, et descendere facietis canitiem meam in malo sepulchrum.

30. Et nunc, sicut venero ad servum tuum patrem meum, et puer non ille cum nobis, et anima ejus vincta in anima ejus.

31. Et erit, sicut videre eum, quod non puer, et morietur, et descendere facient servi tui canitiem servi tui patris nostri in moerore sepulchrum.

32. Quia servus tuus spospondit pro puero a cum patre meo, dicendo si non reduxero illum ad te, et peccabo patri meo omnibus diebus.

33. Et nunc maneat quaeso servus tuus loco pueri servus domino meo, et puer ascendat cum fratribus suis.

34. Quia quomodo ascendam ad patrem meum, et puer non ille cum me, forte videro malum, quod inveniet patrem meum.

CONTENTA.

5728. Agitur in hoc Capite in sensu interno de Medio inter Internum Coelestem hominem, et Externum Naturalem: primum quod Internus coelestis homo Medium Vero spirituali a se impleverit. Medium est Benjamin, Verum spirituale quod apud illum est scyphus argenteus Josephi; Internus coelestis homo est Josephus; Externus naturalis homo sunt decem filii Jacobi.

5729. Agitur dein de Tentatione Externi Naturalis hominis, et hoc usque dum se submiserint Interno coelesti ex spontaneo. Tentatio describitur per quod incusati sint, et quod in desperatione redierint ad Josephum; submissio ex spontaneo describitur per quod omnes se in servos obtulerint, et pro illis Jehudah; conjunctio Externi hominis cum Interno non fit absque tentatione et spontanea submissione.

5730. In sensu repraesentativo historico, agitur hic de Jacobi posteris, quod rejecti, sed quod contumaciter institerint ut repraesentativi essent; quod rejecti, intelligitur per quod Josephus illos dimittere voluerit, et solum retinere Benjaminem;

quod contumaciter institerint, involvunt contenta confessionis et supplicationis illorum.

SENSUS INTERNUS.

5781. Vers: 1. 2. *Et praecepit illi qui super domo sua, dicendo, imple manticas virorum cibo, quantum possunt ferre, et pone argentum cujusvis in ore manticae ejus. Et scyphum meum, scyphum argenti, ponas in ore manticae minimi, et argentum frumenti ejus; et fecit secundum verbum Josephi, quod loquutus.* Et praecepit illi qui super domo sua, dicendo, significat influxum a se: imple manticas virorum cibo, significat in naturale cum bono veri: quantum possunt ferre, significat ad sufficientiam: et pone argentum cujusvis in ore manticae ejus, significat cum vero e novo in exteriori naturali: et scyphum meum, scyphum argenti, ponas in ore manticae minimi, significat verum interius donatum Medio: et argentum frumenti ejus, significat verum boni: et fecit secundum verbum Josephi, quod loquutus, significat quod ita factum.

5782. Et praecepit illi qui super domo sua, dicendo, quod significet influxum a se, constat ex significatione praecipere, quod sit influxus, de qua n: 5486; et a significatione qui super domo sua, quod sit qui communicaret; quod a se nempe ab Interno coelesti, quod Josephus repraesentat, patet. Quod praecipere sit influxus, est quia in coelo non praecipitur aut mandatur alicui, sed cogitatio communicatur, et secundum hanc alter libenter facit; communicatio cogitationis cum desiderio quod velit ut aliquid fiat, est influxus, et a parte recipientis est perceptio; quare per praecipere etiam significatur perceptio, n: 3661. 3682. Praeterea in coelo non solum cogitant, sed etiam inter se loquuntur, at de illis rebus, quae sunt sapientiae, verum sermoni illorum non inest aliquid mandati ad alterum, nullus enim vult dominus esse, et sic spectare alium ut servum, sed unusquisque vult ministrare et alteri inservire: inde patet, qualis

forma regiminis est in coelis; forma illa describitur a Domino apud Matthaeum „Non sic erit inter vos; sed quisquis voluerit inter vos magnus fieri, esse debet vester minister: et quisquis voluerit esse primus, esse debebit vester servus" XX: 26. 27: et apud Eundem „Qui maximus est vestrum, erit minister vester; quisquis se exaltaverit, humiliabitur, et quisquis humiliaverit se, exaltabitur" XXIII: 11. 12. Ita facit, qui ex corde amat proximum, seu qui jucundum et beatum sentit in faciendo aliis bonum ex nulla causa sui, hoc est, qui charitatem erga proximum habet.

5733. Imple manticas virorum cibo, quod significet in naturale cum bono veri, constat ex significatione manticae, quod sit exterius naturale, de qua n: 5497; et ex significatione cibi, quod sit bonum veri, de qua n: 5340. 5342. 5410. 5426. 5487. 5582. 5588. 5655; ex his patet, quod per praecepit illi qui super domo sua, imple manticas virorum cibo, significetur influxus a se in naturale cum bono veri. Quia saepius occurrit bonum veri, et boni verum, dicendum quae differentia; qui non novit quid coelestis Ecclesia est respective ad spiritualem Ecclesiam, is nequaquam scire potest differentiam; boni verum est Ecclesiae coelestis, et bonum veri est Ecclesiae spiritualis; apud illos qui ab Ecclesia coelesti, implantatum fuit bonum in parte voluntaria, ubi propria sedes boni, ex bono illo, hoc est, per bonum illud a Domino, habuerunt perceptionem veri, inde illis boni verum; at apud illos qui ab Ecclesia spirituali, implantatur bonum in parte intellectuali per verum, nam omne verum est partis intellectualis, et per verum ducuntur ad bonum, nam facere verum est illis bonum, inde illis bonum veri; hoc [1] proprie, at boni verum, tametsi non proprie, etiam praedicatur de illis, qui ab Ecclesia spirituali sunt; de qua re alibi.

5734. Quantum possunt ferre, quod significet ad sufficientiam, constare potest absque explicatione.

5735. Et pone argentum cujusvis in ore manticae ejus, quod significet insuper cum vero e novo in exteriori naturali, constat a significatione argenti, quod sit verum, de qua n: 1551. 2954. 5658; et ex significatione oris manticae, quod sit limen exterioris naturalis, de qua n: 5497. Quid exterius naturale, et interius, videatur n: 4570. 5118. 5126. 5497. 5649: [2]

quod sit verum e novo, est quia prius etiam argentum in ore manticarum eorum repositum fuerat, Cap: praeced: XLII: Vers: 25. 27. 28. 35.

5736. Et scyphum meum, scyphum argenti, pones in ore manticae minimi, quod significet verum interius donatum Medio, constat ex significatione scyphi argenti, quod sit verum fidei quod ex bono charitatis, de qua n: 5120; et quia dicitur scyphus meus seu Josephi, est verum interius; Benjamin, quia repraesentat Medium, etiam quoad verum, repraesentat verum interius, n: 5600. 5631; ita verum spirituale, n: 5639; ex significatione oris manticae, cum praedicatur de Benjamine ut Medio, quod sit ubi adjungitur Naturali, nam Medium ut Medium sit, communicat cum Externo et cum Interno, n: 5411. 5413. 5586, exterius ejus hic est naturale; et ex repraesentatione Benjaminis, qui hic est Minimus, quod sit Medium, de qua n: 5411. 5413. 5443. 5688. Ex his patet, quid significatur per quod Josephus scyphum argenti sui posuerit in mantica Benjaminis.

5737. Et argentum frumenti ejus, quod significet verum boni, constat ex significatione argenti, quod sit verum, de qua n: 1551. 2954. 5658; et ex significatione frumenti, quod sit bonum, de qua n: 5295. 5410; verum enim interius, seu spirituale, quod procedit a Coelesti interno, quod Josephus, est verum boni; quid verum boni, videatur mox supra n: 5733.

5738. Et fecit secundum verbum Josephi quod loquutus, quod significet quod ita factum, constat absque explicatione.

5739. Vers: 3. 4. 5. *Mane illuxit, et viri dimissi sunt, illi et asini illorum. Illi exiverunt urbe, non elongati, et Joseph dixit illi qui super domo sua, surge, persequere post viros, et assequutus illos et dicas ad illos, quapropter retribuitis malum pro bono. Nonne id, in quo bibit dominus meus; et is divinando divinat in hoc; male fecistis quod fecistis.* Mane illuxit, significat statum illustrationis tunc: et viri dimissi sunt, illi et asini illorum, significat quod externus naturalis homo aliquantum remotus cum suis veris et scientificis: illi exiverunt urbe, non elongati, significat remotionis quantum: et Joseph dixit illi qui super domo sua, significat perceptionem et influxum e novo: surge, persequere post viros, significat quod opor-

teat nunc sibi adjungere: et assequutus illos, significat adjunctionem mediatam: et dicas ad illos, quapropter retribuitis malum pro bono, significat cur aversio: nonne id a quo bibit dominus meus, significat quod apud illos verum interius acceptum a coelesti: et is divinando divinat in hoc, significat quod coeleste occulta sciat a suo Divino: male fecistis quod fecistis, significat quod contra legem Divinam sit vindicare id sibi.

5740. Mane illuxit, quod significet statum illustrationis tunc, constat ex significatione mane et illucere, quod sit status illustrationis; quod mane sit in supremo sensu Dominus, videatur n: 2405. 2780, quapropter cum dicitur mane illuxit, significat statum illustrationis, nam a Domino omnis illustratio: quod surgere mane etiam sit illustrationis status, videatur n: 3458. 3723.

5741. Et viri dimissi sunt, illi et asini illorum, quod significet quod externus naturalis homo aliquantum remotus cum suis veris et scientificis, constat ex repraesentatione filiorum Jacobi, qui hic sunt viri, quod sint vera Ecclesiae in naturali, de qua n: 5403. 5419. 5427. 5458. 5512; proinde quod sint externus naturalis homo, n: 5680; ex significatione asinorum, quod sint scientifica, de qua n: 5492; et ex significatione dimissi et non elongati, quod sit aliquantum remotus, nempe externus naturalis homo; inde patet, quod per viri dimissi sunt, illi et asini illorum, non elongati, significetur externus naturalis homo aliquantum remotus cum suis veris et scientificis, nempe a coelesti interno quod repraesentatur per Josephum. Quod significationem asinorum attinet, sciendum, quod aliud significent, cum inserviverant equitando, nam super asinis, asinabus, ut et mulis, equitabant Judices, Reges, et eorum filii, et tunc significaverunt verum et bonum rationale, et quoque naturale, videatur n: 2781; inde erat, quod Dominus ut Judex, et ut Rex, cum Hierosolymam intravit, equitabat super asina cum pullo; hoc enim fuit insigne judiciale, et insigne Regium: verum Asini aliud significabant cum inserviverunt oneri [3] portando, ut hic, tunc significabant scientifica; scientifica nec aliter se habent; qui non ultra cogitatione vadit, quoad illa quae sunt interiora hominis, quam ad scientifica quae sunt memoriae, putat quod omne hominis in illis consistat, non scit, quod scienti-

fica sint infima apud hominem, et talia quae ad plurimam partem reconduntur, cum corpus moritur, n: 2475. 2476. 2477. 2479. 2480; sed quae in illis sunt, nempe verum et bonum, cum illorum affectionibus, manent; et quoque apud malos falsum et malum cum illorum affectionibus; scientifica sunt illorum quasi corpus; quamdiu homo in mundo vivit, tunc illa, nempe verum et bonum, aut falsum et malum, habet in scientificis, nam haec sunt continentia; et quia scientifica continent, et sic quasi portant interiora, ideo illa significantur per asinos, qui inserviunt oneri portando.

5742. Illi exiverunt urbe, non elongati, quod significet remotionis quantum, constare potest ex illis quae praecedunt.

5743. Et Joseph dixit illi, qui super domo sua, quod significet perceptionem et influxum e novo, constat ex significatione dicere in historicis Verbi, quod sit percipere, de qua saepius; et quia est perceptio respective ad illum qui audit et recipit, est influere respective ad illum qui dicit; nam mutuo sibi respondent: quod praecepit illi qui super domo sua, sit influxus a se, videatur supra, n: 5732.

5744. Surge, et persequere post viros, quod significet quod oporteat nunc sibi adjungere, constat ex significatione persequi post viros, et assequi illos, quod sit adjungere, persequi enim est animus adjungendi, et assequi est adjunctio. Agitur in sequentibus hujus Capitis de reditu filiorum Jacobi, et in Capite sequente de Manifestatione Josephi, per quae significatur conjunctio Coelestis spiritualis cum veris in naturali: inde patet quod per persequere post viros significetur quod oporteat nunc sibi adjungere.

5745. Et assequutus illos, quod significet adjunctionem mediatam, constat a significatione assequi illos, nempe quod is qui super domo Josephi, quod sit adjunctio mediata.

5746. Et dicas ad illos, quapropter retribuitis malum pro bono, quod significet cur aversio, constat ex significatione retribuere malum pro bono, quod sit se avertere; malum enim non est nisi quam aversio a bono, nam qui in malo sunt, respuunt bonum, nempe bonum spirituale, quod est charitatis et fidei: quod malum aversio sit, patet manifeste a malis in altera

vita, apparent illi in luce coeli pedibus sursum, et capite deorsum, n: 3641, ita prorsus inversi, consequenter aversi.

5747. Nonne id a quo bibit Dominus meus, quod significet quod apud illos verum interius acceptum a coelesti, constat a significatione scyphi, qui intelligitur per id a quo bibit dominus meus, quod sit verum interius, de qua n: 5736; et a repraesentatione Josephi, qui hic est dominus meus, quod sit coeleste spiritualis, de qua n: 5307. 5331. 5332, hic coeleste, quia agitur de interiori vero, quod est spirituale et ab Ipso procedit: quod acceptum, significatur per quod scyphus praecipiente Josepho repositus sit in ore manticae Benjaminis. Incusantur sicut scyphum sumserint; quod incusati fuerint, et tamen scyphus repositus, causa etiam ex interiori sensu patet, qui hic est; Verum quod donatur a Domino, hoc primum recipitur sicut non donatum; homo enim ante regenerationem putat, quod ipse sibi comparet verum, et quamdiu hoc putat, in furto spirituali est; quod sibi vindicare, ac sibi justitiae et merito tribuere bonum et verum, sit adimere Domino quod Ipsius est, videatur n: 2609. 4174. 5135; hoc ut repraesentaretur, ita factum est a Josepho, sed usque quod incusati furti essent, erat ut conjunctio fieret, nam homo, antequam regeneratus est, non potest aliter quam ita credere, ore quidem dicit ex doctrinali, quod omne verum fidei et bonum charitatis sit a Domino, sed usque non credit antequam fides implantata est bono, tunc primum ex corde id agnoscit; prorsus aliud est fateri ex doctrina, quam fateri ex fide, fateri ex doctrina possunt plures, etiam qui non in bono sunt, nam doctrina illis modo est scientia, sed ex fide fateri non possunt alii quam qui in bono spirituali sunt, hoc est, in charitate erga proximum. Quod incusati fuerint furti ut conjunctio fieret, patet etiam ex eo, quod sic Josephus reduxerit illos ad se, et aliquamdiu tenuerit in cogitatione de facto illo, et dein quod se illis manifestaverit, hoc est, conjunxerit.

5748. Et is divinando divinat in hoc, quod significet quod coeleste occulta sciat ex suo Divino, constat ex significatione divinare, quod sit occulta scire, quod ex Divino, est quia coeleste spiritualis, quod Josephus, repraesentat verum a Divino, seu verum in quo Divinum; videatur n: 5704.

5749. Male fecistis quod fecistis, quod significet quod contra legem Divinam sit vindicare id sibi, constat ex significatione furti, quod hic intelligitur per malum quod fecerunt, quod sit vindicare sibi quod Domini est, nempe verum quod per scyphum argenti Josephi significatur, de qua n: 5747; quod hoc contra legem Divinam sit, patet, videatur n: 2609. Quod homo debeat nihil sibi vindicare quod a Domino, ita non verum et bonum, est causa, ut homo in Veritate sit; et quantum in veritate est, tantum est in luce, in qua sunt angeli in coelo, et quantum in luce illa, tantum est in intelligentia et sapientia, et quantum in intelligentia et sapientia, tantum est in felicitate; haec causa est, quod homo agnoscere debeat fide cordis, quod nihil veri et boni sit a se, sed omne a Domino; et hoc quia ita est.

5750. [Vers: 6. 7. 8. 9. 10.] *Et assequutus illos, et loquutus ad illos verba illa. Et dixerunt ad illum, quapropter loquitur dominus meus juxta verba haec, absit servis tuis a faciendo juxta verbum hoc. Ecce argentum quod invenimus in ore manticarum nostrarum, reduximus ad te e terra Canaan; et quomodo furabimur e domo domini tui argentum vel aurum. Cum quo invenitur e servis tuis, et moriatur, et etiam nos erimus domino meo in servos. Et dixit, etiam nunc secundum verba vestra, ita id, cum quo invenitur, erit mihi servus, et vos eritis insontes.* Et assequutus illos, significat adjunctionem mediatam: et loquutus ad illos verba illa, significat influxum hujus rei: et dixerunt ad illum, significat apperceptionem: quapropter loquitur dominus meus juxta verba haec, [significat reflexionem, cur tale influit: absit servis tuis a faciendo juxta verbum hoc,] significat cum non sit ex voluntate: ecce argentum quod invenimus in ore manticarum nostrarum, significat cum verum gratis donatum: adduximus ad te e terra Canaan, significat submissum sit ex religioso: et quomodo furabimur e domo domini tui argentum vel aurum, significat cur tunc vindicabimus nobis verum et bonum quod a Coelesti Divino: cum quo invenitur e servis tuis, et moriatur, significat quod damnatus qui tale facit: et etiam nos erimus domino meo in servos, significat quod associati erunt absque libero e proprio in perpetuum: et dixit, etiam nunc secundum verba vestra, significat quod qui-

dem ita ex justitia: ita id, significat mitiorem sententiam: cum quo invenitur, erit servus meus, significat quod apud quem id, is in perpetuum absque proprio libero erit: et vos eritis insontes, significat quod reliqui sui juris, quia non simul in culpa.

5751. Et assequutus illos, quod significet adjunctionem mediatam, constat ab illis quae [4] supra n: 5745.

5752. Et loquutus ad illos verba illa, quod significet influxum hujus rei, constat ex significatione loqui, quod sit influxus, de qua n: 2951. 3037. 5481; [5] et ex significatione verborum, quod sint res; res etiam in Lingua originali per illam vocem exprimitur.

5753. Et dixerunt ad illum, quod significet apperceptionem, constat ex significatione dicere in historicis Verbi, quod sit perceptio.

5754. Quapropter loquitur dominus meus juxta verba haec, quod significet reflexionem cur tale influit, constat a significatione loqui, quod sit influere, et a significatione juxta verba haec, quod sit illa res seu tale, de quibus mox supra n: 5752; reflexio involvitur in voce quapropter, quae est vox interrogativa apud se.

5755. Absit servis tuis a faciendo juxta verbum hoc, quod significet cum non sit ex voluntate, nempe vindicandi sibi verum, constat a significatione facere, quod sit velle, nam omne factum est voluntatis; ipsum factum est naturale, et voluntas est spirituale a quo; quod non sit, nempe ex voluntate, significatur per absit a servis tuis.

5756. Ecce argentum quod invenimus in ore manticarum nostrarum, quod significet cum verum gratis donatum, constat ex significatione argenti, quod sit verum, de qua n: 1551. 2954. 5658; ex significatione invenimus, quod sit gratis donatum, nam argentum frumenti cujusvis erat illis redditum, ita gratis donatum, videatur n: 5530. 5624; et ex significatione oris manticarum, quod sit limen naturalis exterioris, de qua n: 5497.

5757. Reduximus ad te e terra Canaan, quod significet submissum sit ex religioso, constat ex significatione reducere, quod sit submittere, de qua n: 5624; et ex significatione terrae Canaanis, quod sit religiosum; terra Canaan significat varia,

ex causa quia significat tale quod includit perplura, significat enim Regnum Domini, et significat Ecclesiam, consequenter etiam hominem Ecclesiae, nam is est Ecclesia, et quia illa significat, etiam significat coeleste quod est Ecclesiae, nempe bonum amoris, et quoque spirituale ejus, quod est verum fidei, et sic porro, hic itaque religiosum, quod Ecclesiae; ex religioso enim Ecclesiae est, quod non vindicandum sibi verum et bonum. Ex his patet, cur una vox quandoque plura significat, cum enim in complexu plura involvit, tunc quoque significat illa quae involvit secundum seriem rerum in sensu interno. Quod terra Canaan sit Regnum Domini, videatur n: 1413. 1437. 1607. 3038 3481. 3705; et quod sit Ecclesia, n: 3686. 3705. 4447; ex his fluunt reliquae ejus significationes.

5758. Et quomodo furabimur ex domo domini tui argentum vel aurum, quod significet, cur tunc vindicabimus nobis verum et bonum quod a coelesti Divino, constat a significatione furari, quod in sensu spirituali sit vindicare sibi quod Domini est, de qua supra n: 5749; ex significatione argenti, quod sit verum, de qua n: 1551. 2954. 5658; et ex significatione auri, quod sit bonum, de qua n: 113. 1551. 1552. 5658. In toto hoc Capite agitur de furto spirituali, quod est vindicare sibi bonum et verum quod a Domino; hoc tanti momenti est, ut homo post mortem non admitti queat in coelum, priusquam corde agnoscit, quod nihil boni et veri sit a se, sed a Domino, et quod quicquid a se, non sit nisi malum; quod ita sit, ostenditur homini post mortem per plures experientias; quod omne bonum et verum sit a Domino, percipiunt Angeli in coelo manifeste, et insuper quod a Domino detineantur a malo, et teneantur in bono et inde vero, et hoc vi forti: hoc etiam mihi datum est percipere evidenter nunc per plures annos, et quoque quantum relictus sum proprio seu mihi, quod tantum inundatus sim malis, et quantum inde detentus a Domino, tantum a malo in bonum elevatus sum; quapropter sibi vindicare verum et bonum, est contra universale regnans in coelo, tum contra agnitionem quod ex Misericordia omnis salus, hoc est, quod homo, ex se in inferno sit, sed a Domino ex Misericordia inde trahatur; nec homo potest esse in humiliatione, consequenter non recipere Misericordiam Domini, nam haec in humiliatione seu in

humile cor solum influit; nisi-agnoscat, quod a se nihil nisi malum, et quod a Domino omne bonum: praeter quod alioquin sibi pro merito tribuat quae facit, et denique pro justitia, nam vindicare sibi verum et bonum quod a Domino, est justificare se ipsum; inde scaturigo plurium malorum, spectat tunc semet in singulis quae facit proximo, et cum hoc facit, amat se prae omnibus aliis, quos sic contemnit, si non ore, usque corde.

5759. Cum quo invenitur e servis tuis, et moriatur, quod significet quod damnatus qui tale facit, constat ex significatione mori, quod sit damnari, mors enim spiritualis non aliud est quam damnatio: quod illi qui vindicant sibi verum et bonum quod Domini, non possint esse in coelo, sed quod extra coelum, patet ab illis quae mox supra n: 5758, dicta sunt, et qui extra coelum, illi damnati sunt; at lex illa est judicii ex vero, sed cum judicium simul fit ex bono, tunc illi qui verum et bonum faciunt, et ex ignorantia aut simplicitate illa sibi tribuunt, non damnantur, sed in altera vita per modum vastationis liberantur, et praeterea quoniam unusquisque debet verum et bonum facere sicut a se, sed usque credere quod sit a Domino, videatur n: 2882. 2883. 2891; cum ita facit, tunc cum adolescit et intelligentia ac fide crescit, fallaciam illam exuit et tandem corde agnoscit, quod omnis ejus conatus bonum faciendi, et verum cogitandi, fuerit et sit a Domino; quapropter etiam ille qui missus a Josepho confirmat quidem id judicium, sed mox rejicit, nempe quod moriturus apud quem scyphus inveniretur, dicit enim „etiam nunc secundum verba vestra; ita id, cum quo invenitur, erit mihi servus, et vos eritis insontes" per quae significatur mitior sententia. Sed aliter se habet cum illis, qui non ex ignorantia et simplicitate hoc faciunt, sed ex principiis quae fide et quoque vita confirmarunt; at usque, quia bonum faciunt, Dominus ex Misericordia reservat apud hos aliquid ignorantiae et simplicitatis.

5760. Et etiam nos erimus domino meo in servos, quod significet quod associati erunt absque libero e proprio in perpetuum, constat ex significatione etiam nos, quod sint associati; et ex significatione esse in servos, quod sit esse absque libero e proprio; qui enim servus est, absque libero ex proprio est, dependet enim a proprio et libero domini sui: quid sit esse absque

libero ex proprio, in sequentibus, ex Divina Domini Misericordia, dicetur.

5761. Et dixit, etiam nunc secundum verba vestra, quod significet quod quidem ita ex justitia, constat ex illis quae mox supra n: 5758. 5759, explicata sunt; quod ita ex justitia, nempe quod moriturus qui hoc facit, significatur per „ etiam nunc secundum verba vestra;" at mitior sententia nunc sequitur.

5762. Ita id, quod significet mitiorem sententiam, constat ex nunc sequentibus, ubi mitior illa sententia dictatur.

5763. Cum quo invenitur, erit servus meus, quod significet quod apud quem id, is in perpetuum absque proprio libero erit, constat ex significatione servi, quod sit absque proprio libero esse, ut supra n: 5760. Cum hoc ita se habet; scyphus argenti Josephi positus jussu Josephi apud Benjaminem, significat verum interius, n: 5736. 5747; qui in vero interiori est, is novit quod omne verum et bonum sit a Domino, et quoque quod omne liberum ex proprio seu ex ipso homine, sit infernale, homo enim cum ex proprio libero aliquid facit et cogitat, non nisi quam malum facit et cogitat, inde est servus diaboli, ex inferno enim omne malum influit, jucundum etiam in illo libero sentit, quia convenit malo in quo est, et in quod natus est; quapropter proprium illud liberum exuendum est, et pro illo induendum liberum coeleste, quod est velle bonum et inde facere bonum, ac desiderare verum et inde cogitare verum; hoc liberum cum accipit, tunc est servus Domini, et tunc est in ipso libero, non autem in servo in quo prius, quod apparuit ut liberum: hoc nunc est esse in perpetuum absque proprio libero; quid [6] liberum et unde, videatur n: 2870 ad 2893; et quod ipsum liberum sit duci a Domino, n: 2890.

5764. Et vos eritis insontes, quod significet quod reliqui sui juris quia non simul in culpa, constat ex significatione insontis relative ad servum, quod sit sui juris esse; quia non simul in culpa, sequitur. Apud gentiles olim mos fuit, culpae reos facere etiam socios cum unus peccaret, imo etiam totam domum punire pro unius crimine ibi; sed talis lex est derivata ab inferno, ibi enim socii omnes conspirant simul in malum; societates enim ibi ita institutae sunt, ut simul unum agant contra bonum, ita tenentur consociati, tametsi unusquisque contra alterum in

internecino odio est, sunt in unione et amicitia latronum; inde quia in inferno socii conspirant simul in malum, cum malum faciunt, puniuntur omnes: sed ita quoque in mundo facere, est prorsus contra ordinem Divinum, in mundo enim consociantur boni cum malis, quia unus alterius interiora non novit, et plerumque nec curat, quapropter lex Divina est pro hominibus, ut quisque luat poenam suae iniquitatis; de qua apud Mosen „Non morientur patres propter filios, et filii non morientur propter patres; quisque in peccato suo occidentur" Deut: XXIV: 16; et apud Ezechielem „Anima quae peccavit illa morietur, nec pater portabit iniquitatem filii, justitia justi super illo erit, et impietas impii super illo erit" XVIII: 20. Ex his patet, quomodo se habet cum hoc, quod filii Jacobi dixerint, cum quo invenitur e servis tuis et moriatur, et etiam nos erimus domino meo in servos; at qui missus a Josepho, mutavit id judicium et dixit „cum quo invenitur, erit servus meus, et vos eritis insontes;" similiter in sequentibus, ubi Jehudah dicit ad Josephum „Ecce nos servi domino meo, etiam nos, etiam in cujus inventus scyphus manu: et dixit Joseph, absit mihi a faciendo hoc, vir in cujus inventus scyphus manu, ille erit mihi servus, et vos ascendite in pace ad patrem vestrum" Vers: 16. 17.

5765. Vers: 11. 12. *Et festinarunt, et descendere fecerunt quisque manticam suam terram, et aperuerunt quisque manticam suam. Et scrutatus est, in maximo incepit, et in minimo absolvit, et inventus scyphus in mantica Benjaminis.* Et festinarunt, significat impatientiam: et descendere fecerunt quisque manticam suam terram, significat quod adduxerint illa quae in naturali usque ad sensualia: et aperuerunt quisque manticam suam, significat ut sic sibi rem manifestarent: et scrutatus est, significat investigationem: in maximo incepit et in minimo absolvit, significat ordinem: et inventus scyphus in mantica Benjaminis, significat quod verum interius a coelesti apud Medium.

5766. Et festinarunt, quod significet impatientiam, constat ex significatione festinare, cum in ardore se exculpandi sunt, quod sit impatientia.

5767. Et descendere fecerunt quisque manticam suam terram, quod significet quod adduxerint illa quae in naturali us-

que ad sensualia, constat ex significatione descendere facere, cum spectat illa quae sequuntur, quod sit adducere; ex significatione manticae, quod sit exterius naturale, de qua n: 5497; et ex significatione terrae, cum dicitur quod ad illam descendere fecerint, quod sit ultimum et infimum, ita sensuale, sensuale enim est infimum et ultimum, nam sensualia in limine posita sunt ad mundum qui extra ambit: adducere ad sensualia, est prorsus confirmare quod ita sit, nam tunc usque ad testem sensualem res deducitur.

5768. Et aperuerunt quisque manticam suam, quod significet ut sic sibi rem manifestarent, constat ex significatione aperire manticam, quod sit aperire quod in naturali, ita manifestare rem.

5769. Et scrutatus est, quod significet investigationem, constat absque explicatione.

5770. In maximo incepit, in minimo absolvit, quod significet ordinem, constat ab illis quae n: 5704, dicta sunt.

5771. Et inventus scyphus in mantica Benjaminis, quod significet quod verum interius a coelesti apud medium, constat ex significatione scyphi, quod sit verum interius, de qua n: 5736; ex repraesentatione Benjaminis, quod sit Medium, de qua n: 5411. 5413. 5443; quod verum illud a coelesti apud Medium, significatur per quod scyphus jussu Josephi in mantica Benjaminis positus sit. Haec et illa quomodo se habent, ab illis quae prius dicta sunt, liquet.

5772. Vers: 13. 14. 15. 16. 17. *Et disruperunt vestes suas, et oneravit quisque supra asinum suum, et reversi sunt urbem. Et intravit Jehudah et fratres ejus domum Josephi, et is adhuc is ibi; et ceciderunt coram illo terram. Et dixit ad illos Joseph, quod factum hoc quod fecistis, nonne scivistis, quod divinando divinet vir qui sicut ego. Et dixit Jehudah, quid dicemus domino meo, quid loquemur, et quomodo justificabimur; Deus invenit iniquitatem servorum tuorum; ecce nos servi domino meo, etiam nos, etiam in cujus inventus scyphus manu. Et dixit, absit mihi a faciendo hoc, vir in cujus inventus scyphus manu, ille erit mihi servus, et vos ascendite in pace ad patrem vestrum.* Et disruperunt vestes suas, significat luctum: et oneravit quisque super asinum suum, et reversi sunt

urbem, significat quod a sensualibus reducerentur vera in scientifica: et intravit Jehudah et fratres ejus, significat bonum Ecclesiae cum veris suis: domum Josephi, significat communicationem cum Interno: et is adhuc is ibi, significat praevidentiam: et ceciderunt coram illo terram, significat humiliationem: et dixit ad illos Joseph, significat perceptionem tunc illorum: quod factum hoc quod fecistis, significat quod vindicare sibi quod suum non est, sit enorme malum: nonne scivistis, quod divinando divinet vir qui sicut ego, significat quod abscondi id nequeat ab illo qui futura et latentia videt: et dixit Jehudah, significat perceptionem datam bono Ecclesiae in naturali: quid dicemus domino meo, quid loquemur, significat fluctuationem: et quomodo justificabimur, significat quod rei simus: Deus invenit iniquitatem servorum tuorum, significat confessionem: ecce nos servi domino meo, significat quod privandi libero proprio in perpetuum: etiam nos, significat tam associati: etiam in cujus inventus scyphus manu, significat quam apud quem verum interius a coelesti Divino: et dixit, absit mihi a faciendo hoc, significat quod nequaquam ita fiet: vir in cujus inventus scyphus manu, significat sed quod is apud quem verum interius acceptum a Divino: ille erit mihi servus, significat quod is in perpetuum subjectus: et vos ascendite in pace ad patrem vestrum, significat quod associati, apud quos non id verum, ad statum priorem redituri.

5773. Et disruperunt vestes, quod significet luctum, constat ex significatione disrumpere vestes, quod sit luctus ob verum amissum, de qua n: 4763, hic ob vera ex proprio, quae sibi vindicare non amplius possent, quia se in servos obtulerunt, tam coram illo qui super domo Josephi, Vers: 9, quam coram ipso Josepho, Vers: 16; per quod significatur quod absque libero ex proprio essent, ita absque veris ex semet. Quod luctum ob vera ex proprio attinet, qui significatur per quod disruperint vestes, et se obtulerint in servos, sciendum, quod apud illos qui regenerantur, versura fiat, nempe quod per verum ducantur ad bonum, et postea quod ex bono ducantur ad verum, cum versura illa fit, seu cum mutatur status ille, et fit inversus priori, tunc luctus, nam mittuntur tunc in tentationem, per quam infirmantur et debilitantur illa quae proprii sunt, et insinuatur

bonum, et cum bono novum velle, cumque hoc novum liberum, ita novum proprium: hoc repraesentatur per quod fratres Josephi ex desperatione reversi sint ad Josephum, et se obtulerint ei in servos, et quod satis diu detenti fuerint in statu illo; quodque non nisi quam post tentationem illam Josephus se manifestaverit; nam peracta tentatione illucet Dominus cum solatio.

5774. Et oneravit quisque super asinum suum, et reversi sunt urbem, quod significet quod a sensualibus reducerentur vera in scientifica, constat ex significatione asini, quod scientificum, de qua n: 5492, super quem onerare, quod sit reducere a sensualibus, est quia per descendere facere manticam suam terram, significatur adducere illa quae in naturali usque ad sensualia, n: 5767, levare illam inde, est hic onerare; ex significatione urbis, quod sit doctrinale verum, de qua n: 402. 2449. [7] 2943. 3216. Quid sit, a sensualibus reducere vera in scientifica, paucis explicandum; aliud sunt sensualia, aliud scientifica, et aliud vera, succedunt sibi mutuo, a sensualibus enim existunt scientifica, et a scientificis vera; quae enim intrant per sensus, ea in memoria reponuntur, et inde concludit homo scientificum, aut ex illis percipit scientificum quod discit; a scientificis dein concludit vera, aut ex illis percipit verum quod discit, ita quoque progreditur omnis homo a pueritia cum adolescit, cum puer est a sensualibus cogitat et res capit, progrediente aetate ex scientificis cogitat et res capit, et postea ex veris, haec via est ad judicium, in quod crescit homo aetate; inde constare potest, quod sensualia, scientifica et vera distincta sint, imo etiam distincta manent, usque adeo ut homo sit quandoque in sensualibus, quod fit quando non cogitat aliud quam quod sensualibus obvenit; quandoque in scientificis, quod fit quando elevat se a sensualibus, et interius cogitat, quandoque in veris quae conclusa sunt ex scientificis, quod fit quando adhuc interius cogitat; haec quisque, qui reflectit, ex se potest scire: etiam potest homo vera deducere in scientifica, et illa in his videre; et quoque potest deducere scientifica in sensualia, et in his illa contemplari; ut et vice versa. Ex his nunc patet, quid intelligitur per adducere illa quae in naturali usque ad sensualia, et a sensualibus reducere vera in scientifica.

5775. Et intravit Jehudah et fratres ejus, quod significet

bonum Ecclesiae cum veris suis, constat a repraesentatione Jehudae, quod sit bonum Ecclesiae, de qua n: 5583. 5603; et ex repraesentatione fratrum ejus, quod sint vera in naturali. Quod Jehudah intravit, et loquutus cum Josepho, non autem Reuben primogenitus, aut alius ex illis, est quia Jehudah principaliter repraesentabat bonum, et bonum est quod communicat cum coelesti ex Divino, non autem vera, nam vera nullam communicationem habent cum Divino nisi per bonum; inde est, quod Jehudah solus loquutus.

5776. Domum Josephi, quod significet communicationem cum Interno, constat a significatione intrare domum, quod sit communicatio; et ex repraesentatione Josephi, quod sit internum, de qua n: 5469. Intrare domum, quod sit communicatio, est quia per domum significatur ipse homo, n: 3128. 5023, ita quod facit hominem, nempe ejus mens cum vero et bono, n: 3538. 4973. 5023, quapropter cum dicitur intrare domum, est intrare in ejus mentem, ita communicationem habere.

5777. Et is adhuc is ibi, quod significet praevidentiam, constare potest ex eo, quod praevisum a Josepho, quod redirent, et quod ideo domi manserit, ob finem ut se manifestaret Benjamini, et consequenter reliquis; in sensu interno, quod conjunctio verorum in naturali fieret cum coelesti Divino. Praevidentia dicitur, quia in supremo sensu agitur de Domino, et Qui in illo sensu est Josephus.

5778. Et ceciderunt coram illo terram, quod significet humiliationem, constat absque explicatione.

5779. Et dixit ad illos Joseph, quod significet perceptionem tunc illorum, constat a significatione dicere, quod sit perceptio; quod sit perceptio illorum, est quia Joseph dicit, et per Josephum repraesentatur Internum, et ab Interno, hoc est, per Internum a Domino venit omnis perceptio, aliunde nusquam venit, ne quidem sensatio; apparet quod sensatio, ut et apperceptio, veniant ex influxu ab externo, sed est fallacia; Internum enim est quod sentit per externum, sensus in corpore positi non sunt nisi quam organa seu instrumenta inservientia Interno homini, ut is sentiat quae in mundo, quapropter influit Internum in Externum, ut sentiat, ob finem ut inde appercipiat et perficiatur; non autem vice versa.

5780. Quod factum hoc quod fecistis, quod significet quod vindicare sibi quod suum non est, sit enorme malum, constat ex significatione furti cujus incusati, quod sit vindicare sibi verum et bonum quod Domini est; hoc factum est quod in sensu interno intelligitur: quale malum id sit, videatur supra n: 5749. 5758.

5781. Nonne scivistis, quod divinando divinet vir qui sicut ego, quod significet quod abscondi id nequeat ab illo qui futura et latentia videt, constat ex significatione divinare, quod sit occulta scire ex suo Divino, de qua n: 5748, et quoque futura, quia praedicatur de Domino, Qui est Joseph in supremo sensu; quod id abscondi nequeat, patet ab ipsis verbis.

5782. Et dixit Jehudah, quod significet perceptionem datam bono Ecclesiae in naturali, constat a significatione dicere in historicis Verbi, quod sit perceptio, de qua saepius; quod data, est quia omnis perceptio venit ab interno, hoc est, influit per Internum a Domino, n: 5779; et ex repraesentatione Jehudae, quod sit bonum Ecclesiae, de qua n: 5583. 5603. 5775. Quod repraesentationem Jehudae attinet, sciendum, quod is in supremo sensu repraesentet Dominum quoad Divinum amorem, ac in sensu interno coeleste regnum Ipsius, videatur [n:] 3654. 3881, ita coeleste amoris ibi; hic ideo bonum amoris Ecclesiae in naturali, quia nunc est inter illos, qui repraesentant illa quae in naturali sunt, quae conjungenda Interno.

5783. Quid dicemus domino meo, quid loquemur, quod significet fluctuationem, constat ex affectu in his verbis, quod sit fluctuatio.

5784. Et quomodo justificabimur, quod significet quod rei simus, constat ex significatione quomodo justificabimur, hoc est, quod non possint justificari, quod sit quod rei sint, qui enim non potest justificari, is reus est; quod se reos fecerint, patet ex eo, quod se obtulerint servos Josepho.

5785. Deus invenit iniquitatem servorum tuorum, quod significet confessionem, quod nempe inique fecerint, hic in eo quod Josephum vendiderint, in sensu interno quod abalienaverint se a vero et bono, et sic separaverint ab Interno, constat absque explicatione.

5786. Ecce nos servi domino meo, quod significet quod privandi libero proprio in perpetuum, constat ex significatione servorum, quod sit esse absque libero ex proprio, de qua n: 5760. 5763: quid sit privari libero ex proprio, in locis nunc citatis etiam dictum, at quia hoc maximi momenti est, iterum dicendum; homo est externus et est internus, homo externus est per quem agit internus, est enim externus modo organum seu instrumentum interni; et quia ita, erit externus prorsus subordinatus et subjectus Interno, cum subjectus est, tunc coelum per Internum agit in Externum, et disponit illum ad talia quae coeli sunt; contrarium fit, cum Externus non subjectus est, sed dominatur; et tunc dominatur Externus, cum homo pro fine habet voluptates corporis et sensuum, imprimis cum illa quae sunt amoris sui et mundi, non autem illa quae sunt coeli: pro fine habere est amare unum et non alterum; nam cum talia pro fine habet, tunc nec credit amplius, quod aliquis Internus homo detur, nec quod in se ipso sit quod victurum cum moritur corpus; nam Internum ejus quia absque dominatu, solum inservit Externo, ut cogitare et ratiocinari possit contra bonum et verum, tunc enim influxus per Internum non patet alius; inde etiam est, quod tales prorsus contemnant, imo aversentur illa quae coeli sunt: ex his liquet, quod Externus homo, qui idem est cum Naturali homine, debeat prorsus subjectus esse Interno qui spiritualis, consequenter esse absque libero ex proprio. Liberum ex proprio est indulgere voluptatibus quibuscunque, contemnere alios prae se, eos sibi subjicere ut servos; sin aliter, eos persequi, odio habere, delectari malis quae eis contingunt, et magis quae ipse illis studio aut dolo infert, illorum mortem cupere; talia sunt a libero ex proprio; inde patet, qualis homo est, cum in illo, quod nempe diabolus sub forma humana. At vero cum amittit hoc liberum, tunc accipit a Domino Liberum coeleste, quod prorsus non sciunt quid sit, qui in libero ex proprio sunt; putant hi si hoc liberum illis auferretur, quod nihil vitae supersit; cum tamen tunc ipsa vita incipit, et tunc ipsum jucundum, beatum, felix, cum sapientia, venit; quia hoc Liberum est a Domino.

5787. Etiam nos, quod significet tam associati, constat a significatione etiam nos, quod sint associati, ut supra n: 5760.

5788. Etiam in cujus inventus scyphus manu, quod significet quam [apud quem] verum interius a coelesti spirituali, constat a significatione in cujus manu, quod sit apud quem; et a significatione scyphi, quod sit verum interius, de qua n: 5736; et a repraesentatione Josephi, quod sit coeleste Divinum.

5789. Et dixit, absit mihi a faciendo hoc, quod significet quod nequaquam ita fiet, constat absque explicatione.

5790. Vir in cujus inventus est scyphus manu, quod significet quod is apud quem verum interius acceptum a Divino, constat ab illis quae mox supra n: 5788, dicta sunt.

5791. Ille erit mihi servus, quod significet quod is in perpetuum subjectus, constat ex significatione servi, quod sit esse absque libero ex proprio in perpetuum, de qua mox supra n: 5786, ita in perpetuum subjectus.

5792. Et vos ascendite in pace ad patrem vestrum, quod significet quod associati apud quos non id verum, ad statum priorem redituri, constat ex repraesentatione decem filiorum Jacobi, quod sint associati apud quos non scyphus inventus est, hoc est, verum interius quod per scyphum significatur, n: 5736. 5788. 5790; et a significatione ascendere in pace ad patrem vestrum, quod sit ad statum priorem redire; cum enim ab Interno, quod Josephus, non acceptantur, tunc status prior illos manet.

5793. Vers: 18 ad 31. *Et accessit ad eum Jehudah, et dixit, per me, domine mi, loquatur quaeso servus tuus verbum in auribus domini mei, et ne accendatur ira tua in servum tuum, quia sicut tu sicut Pharao. Dominus meus interrogavit servos suos, dicendo, an sit vobis pater vel frater. Et diximus ad dominum meum, est nobis pater senex, et natus senectutum minimus, et frater ejus mortuus, et relictus ille solus matri suae, et pater ejus amat illum. Et dixisti ad servos tuos, descendere facite illum ad me, et ponam oculum meum super illum. Et diximus ad dominum meum, non potest puer relinquere patrem suum, et relinquat patrem suum et morietur. Et dixisti ad servos tuos, si non descendat frater vester minimus cum vobis, non addetis videre facies meas. Et fuit, cum ascendimus ad servum tuum patrem meum, et indicavimus ei verba domini mei. Et dixit pater noster, revertimini, emite*

nobis parum cibi. Et diximus, non possumus descendere, si sit frater noster minimus cum nobis et descendemus, quia non possumus videre facies viri, et frater minimus non ille cum nobis. Et dixit servus tuus pater meus ad nos, vos nostis quod binos pepererit mihi uxor mea. Et exivit unus a me, et dixi, veruntamen discerpendo discerptus est, et non vidi illum huc usque. Et sumitis etiam hunc a cum faciebus meis, et accidat illi damnum, et descendere facietis canitiem meam in malo sepulchrum. Et nunc sicut venero ad servum tuum patrem meum, et puer non ille cum nobis, et anima ejus vincta in anima ejus. Et erit, sicut videre eum, quod non puer, et morietur, et descendere facient servi tui canitiem servi tui patris nostri in maerore sepulchrum. Et accessit ad eum Jehudah, significat communicationem Externi hominis cum Interno per bonum: et dixit, significat perceptionem: per me, domine mi, significat supplicationem: loquatur quaeso servus tuus verbum in auribus domini mei, significat de receptione et auditione: et non accendatur ira tua in servum tuum, significat ne avertat se: quia sicut tu sicut Pharao, significat quod ei dominium super naturale: dominus meus interrogavit servos suos, dicendo, significat perceptionem cogitationis eorum: an sit vobis pater vel frater, significat quod sit bonum a quo, et verum per quod: et diximus ad dominum meum, significat reciprocam perceptionem: est nobis pater senex, significat quod illis bonum spirituale a quo: et natus senectutum minimus, significat inde verum quod novum: et frater ejus mortuus, significat quod bonum internum non sit: et relictus ille solus matri suae, significat quod id verum solum Ecclesiae: et pater ejus amat illum, significat quod conjunctio ei sit cum bono spirituali e naturali: et dixisti ad servos tuos, significat perceptionem datam: descendere facite illum ad me, significat quod verum illud quod novum subjicietur bono interno: et ponam oculum meum super illum, significat influxum tunc veri a bono: et diximus ad dominum meum, significat perceptionem reciprocam: non potest puer relinquere patrem suum, significat quod verum illud a bono spirituali separari nequeat: et relinquat patrem suum, et morietur, significat si separaretur quod periret Ecclesia: et dixisti ad servos tuos, significat perceptionem de illa re: si non descendat frater

vester minimus cum vobis, significat si non subjiciatur bono interno: non addetis videre facies meas, significat quod sic nulla misericordia et conjunctio cum veris in naturali: et fuit, cum ascendimus ad servum tuum patrem meum, significat elevationem ad bonum spirituale: et indicavimus verba domini mei, significat cognitionem ejus rei: et dixit pater noster, significat apperceptionem ex bono spirituali: revertimini, emite nobis parum cibi, significat quod appropriandum bonum veri: et diximus, non possumus descendere, significat objectionem: si sit frater noster minimus cum nobis, et descendemus, significat nisi una sit medium conjungens: quia non possumus videre facies viri, significat quia nulla misericordia et conjunctio: et frater noster minimus non ille cum nobis, significat nisi per medium: et dixit servus tuus pater meus ad nos, significat perceptionem ex bono spirituali: vos nostis quod binos pepererit mihi uxor mea, significat si bonum spirituale sit quod Ecclesiae quod internum bonum et verum erit: et exivit unus a me, significat decessionem apparentem interni boni: et dixi, veruntamen discerpendo discerptus est, significat apperceptionem quod a malis et falsis perierit: et non vidi illum huc usque, significat quia evanuit: et sumitis etiam hunc a cum faciebus meis, significat si etiam verum novum discedat: et accidat illi damnum, significat a malis et falsis: et descendere facietis canitiem meam in malo sepulchrum, significat quod periturum bonum spirituale et sic internum Ecclesiae: et nunc, sicut venero ad servum tuum patrem meum, significat bonum Ecclesiae correspondens bono spirituali quod Ecclesiae internae: et puer non ille cum nobis, significat si verum novum non una: et anima ejus vincta in anima ejus, significat cum arcta conjunctio: et erit sicut videre eum, quod non puer, et morietur, significat quod bonum spirituale periturum: et descendere facient servi tui canitiem servi tui patris nostri in maerore sepulchrum, significat quod actum erit cum Ecclesia.

5794. Et accessit ad eum Jehudah, quod significet communicationem Externi hominis cum Interno per bonum, constat a significatione accedere ad loquendum cum aliquo, quod sit communicatio; et ex repraesentatione Jehudae, quod sit bonum Ecclesiae in naturali, de qua n: 5782; quod communicatio sit

Externi hominis cum Interno, est quia Jehudah repraesentat bonum Ecclesiae in naturali seu Externo homine, et Josephus bonum in Interno: quod per bonum, est quia non nisi quam per bonum datur communicatio, non autem per verum, nisi in vero sit bonum.

5795. Et dixit, quod significet perceptionem, constat a significatione dicere, quod sit perceptio, de qua saepius.

5796. Per me, domine mi, quod significet supplicationem, patet ab illis quae sequuntur.

5797. Loquatur quaeso servus tuus verbum in auribus domini mei, quod significet de receptione et auditione, nempe supplicatio, constat ex significatione loqui verbum, quod sit influxus, de qua n: 2951. 5481, et quia influxus, est a parte alterius receptio, n: 5743; et ex significatione aurium, quod sit obedientia, de qua n: 4551. 4653, hic benigna auscultatio seu auditio, quia inferior loquitur ad superiorem se; inde patet, quod per loquatur quaeso servus tuus verbum in auribus Domini mei, significetur supplicatio de receptione et auditione.

5798. Et non accendatur ira tua in servum tuum, quod significet ne avertat se, constat a significatione irae, quod sit aversio, de qua n: 5034, qui enim irascitur, is se avertit, nam non cogitat sicut alter, sed in illo statu contra illum: quod ira sit aversio, patet a pluribus locis in Verbo, imprimis ab illis, ubi tribuitur Jehovae seu Domino ira et excandescentia, per quam significatur aversio, non quod Jehovah seu Dominus se usquam avertat, sed quod homo, et cum homo se avertit, apparet ei sicut Dominus, nam non auditur; secundum apparentiam ita loquitur Verbum. Et quia ira est aversio, est etiam oppugnantia contra bonum et verum a parte illorum qui se averterunt, a parte autem illorum qui se non averterunt, non est oppugnantia, sed repugnantia quia aversatio mali et falsi: quod ira sit *oppugnantia*, n: 3614, ostensum est; quod etiam sit *aversio*, et quoque *poena* cum oppugnant bonum et verum, patet ab his locis; apud Esaiam „Vae statuentibus statuta iniquitatis, infra vinctum et infra occisos cadent; in omni tamen hoc *non revertetur ira Ipsius.* Vae Aschuri, *virga irae meae*, contra gentem hypocryticam mittam illum, et contra *populum excan-*

descentiae mandabo illum; ille non rectum cogitat, et cor ejus non rectum meditatur" X: [1.] 4. 5. 6. 7: ira et excandescentia pro aversione et oppugnantia a parte hominis, punitio tunc et non auditio apparet sicut ira; et quia a parte hominis, dicitur, vae statuentibus statuta iniquitatis; ille non rectum cogitat, et cor ejus non rectum meditatur. Apud Eundem „Jehovah cum *vasis irae suae* ad perdendum omnem terram; ecce [dies] Jehovah *venit crudelis, indignatione, excandescentia* et *ira,* ad ponendum terram in vastitatem, ut peccatores ejus perdat ex ea. Commovebo coelum, et commovebitur terra e loco suo, *in indignatione Jehovae Zebaoth*, et *in die excandescentiae irae Ipsius*" XIII: 5. 9. 13; Coelum et terra ibi pro Ecclesia, quae quia averterat se a vero et bono, describitur vastatio et exitium ejus per indignationem, iram, et excandescentiam Jehovae, cum tamen est prorsus contrarium, nempe quod homo, qui in malo, indignetur, irascatur, et excandescat, tum opponat se contra bonum et verum, poena quae ex malo, tribuitur Jehovae propter apparentiam; alibi passim in Verbo, ultimum tempus Ecclesiae et ejus exitium, vocatur dies irae Jehovae. Apud Eundem „Fregit Jehovah baculum impiorum, virgam dominantium, *percuties populos in furore, plaga non curabili*, dominans *cum ira* gentibus" XIV: 5. 6; similiter hic, se habet hoc sicut facinorosus qui ex lege punitur, quod tribuat regi seu judici, non sibi, malum poenae. Apud Eundem „Jacob et Israël, quia non voluerunt in viis Jehovae ambulare, nec audiverunt legem Ipsius, *effudit super illum excandescentiam irae,* et violentiam belli" XLII: 24. 25. Apud Jeremiam „Pugnabo Ego contra vos, in manu extensa, et brachio forti, et *in ira*, et *in excandescentia*, et *in fervore magno. Ne exeat sicut ignis furor meus*, et *ardeat* et *non exstinguatur* propter malitiam operum vestrorum" XXI: 5. 12; hic furor, ira, fervor magnus non aliud sunt quam mala poenae propter aversionem et oppugnantiam contra bonum et verum; ex Lege Divina omne malum secum habet poenam, et quod mirum, in altera vita malum et poena cohaerent, ut primum enim infernalis spiritus malum supra solitum facit, adsunt spiritus punitores, et puniunt, et hoc absque advertentia; quod sit malum poenae propter aversionem, patet, nam dicitur „propter malitiam operum vestro-

rum." Apud Davidem „Misit in eos *excandescentiam irae suae, indignationem*, et *furorem*, et angustiam, et immissionem Angelorum malorúm. Direxit viam *irae suae*, non prohibebat a morte animam eorum" Psalm: LXXVIII: 49. 50: [8] videantur etiam Esai: XXX: 27. 30. Cap: XXXIV: 2. Cap: LXIII: 3. [9] Cap: LIV: 8. Cap: LVII: 17. Cap: LXIII: 6. Cap: LXVI: 15. Jer: IV: 8. Cap: VII: 20. Cap: XV: 14. Cap: XXXIII: 5. Ezech: V: 13. 15. Deut: IX: 17. [10] Cap: XXIX: 19. 20. 22. 23. Apoc: XIV: 9. 10. Cap: XV: 7; Excandescentia, ira, indignatio, furor, etiam his in locis pro aversione, oppugnantia, et inde poena; quod poena aversionis et oppugnantiae tribuatur Jehovae seu Domino, et dicatur ira, excandescentia, et furor apud Ipsum, est quia gens ex Jacobo tenenda erat in repraesentativis Ecclesiae, solum externis, in quibus teneri non potuit nisi per timorem et terrorem pro Jehovah, et nisi credidisset quod ex ira et excandescentia illis malum faceret; qui in externis sunt absque interno, nusquam aliter ad externa facienda possunt adduci, nihil enim interius est quod obligat; etiam simplices [11] intra Ecclesiam nec aliter ex apparentia capiunt, quam quod Deus irascatur cum aliquis malum facit. At usque quisque videre potest, qui reflectit, quod nihil irae, minus furoris sit apud Jehovam seu Dominum, est enim ipsa Misericordia, et est Ipsum Bonum, et infinite supra velle alicui malum; homo qui in charitate erga proximum est, nec is alicui malum facit; omnes angeli in coelo sunt tales, quid non Ipse Dominus. Sed ita se res in altera vita habet, cum Dominus redigit in ordinem coelum et societates ibi, quod fit continue ob novos advenas, et dat illis beatum et felix; cum hoc influit in societates quae in opposito sunt (in altera enim vita omnes societates coeli habent sibi oppositas societates in inferno, inde aequilibrium,) et hae sentiunt mutationem ex praesentia coeli, tunc irascuntur et excandescunt, et erumpunt in malum, et simul tunc incurrunt in malum poenae; praeterea etiam cum mali spiritus aut genii approximant ad lucem coeli, incipiunt angi et cruciari, n: 4225. 4226; hoc tribuunt coelo, consequenter Domino, cum tamen illi ipsi sunt, qui sibi inducunt cruciatum, malum enim torquetur cum accedit ad bonum; inde constare potest, quod a Domino non nisi quam bonum, et quod omne malum sit ab ipsis illis,

qui se avertunt, in opposito sunt, atque oppugnant. Ex hoc arcano patet quomodo se res habet.

5799. Quia sicut tu sicut Pharao, quod significet quod ei dominium super Naturale, constat ex repraesentatione Pharaonis, quod sit Naturale in communi, de qua n: 5160; et ex repraesentatione Josephi, quod sit Internum, de qua prius; quod Internum dominium habeat super naturale, repraesentatur per quod Josephus praefectus sit super omnem terram Aegypti, et quoque super totam domum Pharaonis, Genes: Cap: XLI: 40. 41.

5800. Dominus meus interrogavit servos suos, dicendo, quod significet perceptionem cogitationis eorum, constat ex significatione interrogare, quod sit percipere alterius Cogitationem, de qua n: 5597; quod interrogare id significet, est quia in spirituali mundo seu in coelo, non aliquis opus habeat interrogare alterum quid cogitat de talibus quae affectionis ejus sunt, quia unus percipit alterius cogitationem quae inde; et praeterea Internum quod Josephus repraesentat, non interrogat Externum quod filii Jacobi repraesentant, nam Externum omne suum habet ab Interno: exinde etiam patet, quod per interrogare significetur perceptio cogitationis. Etiam in Verbo passim occurrit, quod Jehovah interroget hominem, cum tamen omnia et singula, quae cogitat, novit; at id fit, quia homo non aliter credit, quam quod cogitatio sua nemini pateat quia intus in se, ex apparentia illa et inde fide, fit interrogatio.

5801. An sit nobis pater vel frater, quod significet quod sit bonum a quo et verum per quod, constat a repraesentatione Israëlis, qui hic est pater, quod sit bonum spirituale seu bonum veri, de qua n: 3654. 4598; quod sit bonum *a quo*, est quia a bono spirituali sunt vera in naturali; et a repraesentatione Benjaminis, qui hic frater, quod sit verum; quod sit verum *per quod*, est quia per illud conjunctio est verorum Ecclesiae in naturali, quae filii Jacobi repraesentant, cum bono spirituali quod Israël; et quia conjunctio per illud, describitur multis, quomodo pater amavit Benjaminem, qui id verum repraesentat; et quomodo Jehudah cum reliquis non reverti potuerunt ad patrem suum, nisi Benjamin esset cum illis. De hoc Vero videatur infra n: 5835.

5802. Et diximus ad dominum meum, quod significet reciprocam perceptionem, constat a significatione dicere, quod sit perceptio, de qua saepius; quod sit perceptio reciproca, patet.

5803. Est nobis pater senex, quod significet quod illis bonum spirituale a quo, constat a repraesentatione Israëlis, qui hic pater, quod sit bonum spirituale a quo, de qua mox supra n: 5801. Quod repraesentationem Israëlis attinet, videatur n: 4286. 4292. 4570, quod nempe repraesentet Ecclesiam spiritualem, et quidem ejus Internum, quod est bonum veri, seu bonum spirituale e naturali: quid bonum spirituale seu bonum veri, videatur n: 5526. 5733.

5804. Et natus senectutum minimus, quod significet inde verum quod novum, constat ex repraesentatione Benjaminis, qui hic est natus minimus, quod sit verum, de qua supra n: 5801; quod etiam natus seu filius sit verum, videatur n: 489. 491. 1147. 2623. [12] 3373; et ex significatione senectutis, quod sit novum vitae, de qua [n:] 3492. 4620. 4676; inde patet, quod per natum senectutum minimum, significetur verum quod novum. Cum hoc ita se habet; homo, qui regeneratur et fit spiritualis, is primum per verum ad bonum ducitur, non enim scit homo, quid bonum spirituale, seu quod idem, bonum Christianum, nisi per verum, seu per doctrinale quod ex Verbo; ita initiatur in bonum; postea cum initiatus est, non amplius per verum ducitur ad bonum, sed per bonum ad verum, nam tunc ex bono non modo videt vera quae prius sciverat, sed etiam ex bono producit nova, quae non prius sciverat, nec scire potuerat; bonum enim secum habet, quod desideret vera, his enim quasi nutritur, nam perficitur ab illis; haec vera, seu vera nova multum differunt a veris quae antea sciverat, nam quae antea sciverat, parum vitae habuerunt, at quae dein accipit, ex bono vitam habent. Cum homo ad bonum per verum venerat, tunc est Israël, et verum, quod tunc ex bono, hoc est, per bonum a Domino accipit, est verum novum, quod repraesentatur per Benjaminem, quamdiu is erat apud patrem suum. Per hoc verum fructificat se bonum in naturali, et producit vera, in quibus bonum, innumerabilia; ita regeneratur naturale, et fit per fructificationem primum sicut arbor cum fru-

ctibus bonis, et successive sicut hortus. Ex his patet, quid intelligitur per verum novum ex bono spirituali.

5805. Et frater ejus mortuus, quod significet quod bonum internum non sit, constat ex repraesentatione Josephi, quod sit coeleste spiritualis, de qua n: 4592. 4963. 5249. 5307. 5331. 5332, ita bonum internum, hoc enim idem est cum coelesti spiritualis; et ex significatione mortuus esse, quod sit non amplius esse, de qua n: 494. Inter repraesentationem Josephi, quod sit bonum internum, et repraesentationem Israëlis, quod sit bonum spirituale, haec est differentia; Josephus est bonum internum ex rationali, et Israël est bonum internum ex naturali, videatur n: 4286; quae differentia est, qualis inter bonum coeleste seu bonum quod est Ecclesiae coelestis, et bonum spirituale seu bonum quod est Ecclesiae spiritualis; de quibus bonis saepius in praecedentibus actum est: tale bonum internum, nempe coeleste, dicitur quod ibi non sit; et significatur per quod frater ejus mortuus sit.

5806. Et relictus ille solus matri suae, quod significet quod id verum solum Ecclesiae, constat ex repraesentatione Benjaminis, qui hic est qui solus relictus, quod sit verum novum, de qua mox supra n: 5804; et a significatione matris, quod sit Ecclesia, de qua n: 289. 2691. 2717. 5581. [13] Cum hoc, quod id verum, quod hic Benjamin repraesentat, et describitur supra n: 5804, sit solum verum Ecclesiae, ita se habet; hoc verum est id verum quod ex bono spirituali, quod Israël, et quod repraesentat Benjamin cum apud patrem, at adhuc interius verum cum apud Josephum: illud verum, quod Benjamin apud patrem suum repraesentat, et vocatur verum novum, est quod solum facit hominem, ut sit Ecclesia, nam in hoc vero, seu in illis veris est vita a bono, hoc est, homo qui in veris fidei est ex bono, is est Ecclesia, non autem homo qui in veris fidei est, et non in bono charitatis, vera enim apud hunc mortua sunt, tametsi fuissent eadem vera: inde constare potest, quomodo se habet cum hoc, quod id verum solum Ecclesiae sit.

5807. Et pater ejus amat illum, quod significet quod conjunctio ei sit cum bono spirituali e naturali, constat ex significatione amoris, quod sit conjunctio, de qua sequitur; et a reprae-

sentatione Israëlis, qui hic est qui amat illum, quod sit bonum spirituale e naturali, de qua n: 4286. 4598; et a repraesentatione Benjaminis, qui est ille quem pater amat, quod sit verum novum, de qua supra n: 5804. 5806; hujus veri conjunctio cum bono illo est, quae significatur per quod pater amat illum: cum hoc vero non potest non esse conjunctio, quia ex bono illo est; inter verum illud ac bonum, talis est conjunctio qualis inter patrem et filium; est etiam talis conjunctio, qualis inter mentis velle et ejus intelligere, omne bonum enim est voluntatis, et omne verum est intellectus; cum [14] voluntas vult bonum, tunc insinuatur hoc intellectui, et ibi formatur secundum boni quale tunc, haec forma est verum; et quia verum hoc novum ita nascitur, patet quod conjunctio erit. Quod Amorem attinet, quod sit conjunctio, sciendum, quod amor sit conjunctio spiritualis, quia est conjunctio mentium, seu cogitationis et voluntatis duorum; inde patet, quod amor in se spectatus sit purum spirituale, et quod naturale ejus sit jucundum consociationis et conjunctionis: quod essentiam ejus attinet, est amor harmonicum resultans ex mutationibus status et variationibus in formis seu substantiis, ex quibus mens humana consistit; harmonicum illud si ex forma coelesti, est amor coelestis; inde constare potest, quod amor aliunde originem ducere nequeat, quam ex ipso Divino amore, qui a Domino; ita quod amor sit Divinum, quod influit in formas, et disponit illas, ut mutationes status et variationes sint in harmonia coeli. At amores oppositi, nempe amores sui et mundi, non conjunctiones sunt, sed disjunctiones; apparent quidem sicut conjunctiones, sed hoc fit, quia alter spectat alterum sicut unum cum se quamdiu unum facit cum illo, in lucris, in aucupandis honoribus, in vindicandis et persequendis illis qui se opponunt; sed ut primum unus alteri non favet, est disjunctio. Aliter amor coelestis, hic prorsus aversatur alicui bene facere propter se, sed facit propter bonum quod apud alterum et quod accipit a Domino, consequenter propter Ipsum Dominum, a Quo bonum.

5808. Et dixisti ad servos tuos, quod significet perceptionem datam, constat a significatione dicere in historicis Verbi, quod sit perceptio, et quia ad illos, est perceptio data.

5809. Descendere facite illum ad me, quod significet quod

verum illud quod novum subjicietur bono interno, constat a significatione descendere facere, nam venire ad internum, ut conjungatur, est ei subjici, omne enim quod inferius est seu exterius, prorsus subordinabitur et subjicietur superiori seu interiori, ut conjunctio existat; et a repraesentatione Benjaminis, qui hic est ille quem descendere facerent, quod sit verum novum, de qua supra n: 5804. 5806; et ex repraesentatione Josephi, qui est ille ad quem descenderet, quod sit bonum internum, de qua prius.

5810. Et ponam oculum meum super illum, quod significet influxum tunc veri a bono, constat ex significatione ponere oculum super aliquem, quod sit communicare verum quod fidei: quod oculus correspondeat visui intellectuali et veris fidei, videatur n: 4403 ad 4421. 4523 ad 4534; et quia ponere oculum super aliquem, est communicatio, etiam est influxus; Bonum internum enim, quod Josephus repraesentat, cum vero quod Benjamin, non communicat aliter quam per influxum, nam verum hoc inferius est.

5811. Et diximus ad dominum meum, quod significet perceptionem reciprocam, ut supra n: 5802.

5812. Non potest puer relinquere patrem suum, quod significet quod verum illud a bono spirituali separari nequeat, constat a significatione relinquere, quod sit separari; ex repraesentatione Israëlis, quod sit bonum spirituale e naturali; de qua n: 4286. 4598. 5807; et ex repraesentatione Benjaminis, quod sit verum novum, de qua n: 5804. 5806; hoc verum puer dicitur, quia natum ultimo; non enim prius nascitur hoc verum, quam cum homo regeneratus, tunc novum vitae accipit per novum hoc verum conjunctum bono, inde quoque hoc verum significatur per natum senectutum minimum, n: 5804.

5813. Et relinquat patrem suum, et morietur, quod significet si separaretur quod periret Ecclesia, constat ex significatione relinquere, quod sit separari, ut mox supra n: 5812; et ex significatione mori, quod sit non amplius esse, de qua n: 494, ita perire: quoniam hoc verum conjunctum bono spirituali, facit Ecclesiam, n: 5806, idcirco si id separaretur a bono illo, Ecclesia periret; et praeterea Israël, qui hic pater, repraesentat Ecclesiam, n: 4286, [15] sed non absque hoc vero.

5814. Et dixisti ad servos tuos, quod significet perceptionem de illa re, ut supra n: 5808.

5815. Si non descendat frater vester minimus cum vobis, quod significet si non subjiciatur bono interno, constat ab illis quae supra n: 5809, dicta sunt.

5816. Non addetis videre facies meas, quod significet quod sic nulla misericordia et conjunctio cum veris in naturali, constat ex significatione faciei, cum praedicatur de Domino, quod sit Misericordia, de qua n: 222. 223. 5585, inde, non videre facies, est quod nulla misericordia, n: 5585. 5592, et cum nulla misericordia, etiam nulla est conjunctio; est enim nullus amor, qui est conjunctio spiritualis; amor Divinus vocatur Misericordia respective ad genus humanum in tantis miseriis constitutum: quod nulla conjunctio cum veris in naturali, est quia per filios Jacobi, ad quos illa verba dicta sunt, vera in naturali repraesentantur, n: 5403. 5419. 5427. 5458. 5512. Cum hoc, quod nulla Misericordia et conjunctio cum veris in naturali, nisi Verum, quod per Benjaminem repraesentatur, subjiceretur Bono Interno, quod Josephus, ita se habet: Verum quod facit ut homo sit Ecclesia, est id verum quod ex bono; cum enim homo in bono est, tunc ex bono videt vera, et percipit illa, et sic credit quod vera sint, nusquam autem si homo non in bono est; bonum est sicut flammula, quae dat lucem et illuminat, et facit ut homo vera videat, percipiat, et credat; affectio enim veri ex bono determinat visum internum illuc, et abstrahit illum a mundanis et corporeis, quae tenebras obducunt; tale verum est, quod hic Benjamin repraesentat; quod id verum unicum Ecclesiae sit, videatur [n:] 5806, hoc est, unicum quod facit ut homo sit Ecclesia; sed hoc verum omnino subjectum erit Bono Interno, quod repraesentatur per Josephum, per Bonum Internum enim influit Dominus, et dat veris quae infra, vitam, ita quoque huic Vero, quod est ex Bono Spirituali e naturali, quod repraesentatur per Israëlem, n: 4286. 4598: ex his quoque patet, quod conjunctio fiat per hoc Verum cum Veris quae infra; nam nisi hoc verum subjectum foret Bono Interno, ut inde habeat influxum boni in se, nulla foret receptio Misericordiae, quae continue a Domino [16] per Bonum Internum influit, nullum enim esset medium; et si nulla receptio Misericordiae, etiam

nulla conjunctio foret: haec sunt, quae significantur per si non descendat frater noster minimus cum nobis, non addetis videre facies meas.

5817. Et fuit, cum ascendimus ad servum tuum patrem meum, quod significet elevationem ad bonum spirituale, constat ex significatione ascendere, quod sit elevatio, de qua sequitur; et ex repraesentatione Israëlis, qui hic est pater, quod sit bonum spirituale e naturali, de qua n: 4286. 4598. Elevatio, quae per ascendere significatur, est versus interiora, ut hic a veris in naturali, quae repraesentantur per decem filios Jacobi, ad bonum spirituale e naturali, quod repraesentatur per Israëlem; naturale enim est exterius et est interius, n: 5497. 5649; in naturali interiori est bonum spirituale, quod Israël, et in naturali exteriori sunt vera Ecclesiae, quae sunt filii Jacobi: inde per ascendere ad patrem significatur elevatio ad bonum spirituale.

5818. Et indicavimus verba domini mei, quod significet cognitionem [17] ejus rei, constat absque explicatione.

5819. Et dixit pater noster, quod significet apperceptionem ex bono spirituali, constat ex significatione dicere in historicis Verbi, quod sit perceptio, de qua saepius; et ex repraesentatione Israëlis, qui hic pater, quod sit bonum spirituale, de qua n: 3654. 4286. 4598.

5820. Revertimini, emite nobis parum cibi, quod significet quod appropriandum bonum veri, constat ex significatione emere, quod sit appropriare sibi, de qua n: 5397. 5406. 5410. 5426; et ex significatione cibi, quod sit bonum veri, de qua n: 5410. 5426. 5487. 5582. 5588. 5655. Cibus spiritualis est in genere omne bonum, in specie autem est bonum, quod acquiritur per verum, hoc est, verum voluntate et actu, hoc enim fit bonum ex velle et agere, et vocatur bonum veri; verum nisi fiat ita bonum, non conducit homini in altera vita ad quicquam, cum enim in alteram vitam venit, dissipatur, quia non convenit cum ejus velle, proinde non cum ejus amoris jucundo; qui vera fidei didicit in mundo, non propter velle et agere illa, et sic vertere in bona, sed modo propter scire, et docere illa, honoris et lucri causa, etiam si inde eruditissimus in mundo audit, usque vera illa in altera vita ei auferuntur, et is relinquitur suo

velle, hoc est, suae vitae; et tunc qualis fuerat in sua vita, talis manet; et quod mirum, tunc aversatur omnia vera fidei, et apud se negat, utcunque prius illa confirmaverat. Vera itaque vertere in bona per velle et agere illa, hoc est, per vitam, est quod intelligitur per appropriare sibi bonum veri, quod significatur per emite nobis parum cibi.

5821. Et diximus, non possumus descendere, quod significet objectionem, constat absque explicatione.

5822. Si sit frater noster minimus cum nobis, et descendemus, quod significet nisi una sit medium conjungens, constat ex repraesentatione Benjaminis, qui hic est frater minimus, quod sit medium conjungens, de qua n: 5411. 5413. 5443. 5639. 5688. Cum hoc, quod Benjamin repraesentet medium inter coeleste spiritualis seu Bonum Internum, quod Josephus, et inter vera in naturali, quae sunt decem filii Jacobi, et quoque quod repraesentet verum novum, supra n: 5804. 5806. 5809, ita se habet; Medium ut sit medium trahet ab utroque, nempe ab Interno et Externo, alioquin non est Medium conjungens; Medium quod Benjamin repraesentat, trahit ab Externo seu Naturali, quod sit ibi verum novum, nam Verum novum quod repraesentat, est in Naturali, quia est ex Bono spirituali e naturali, quod pater ejus ut Israël repraesentat, n: 5686. 5689; at Medium illud trahit ab Interno, quod per Josephum repraesentatur, per influxum, ita trahit ab utroque; haec causa est, quod Benjamin repraesentet Medium conjungens, et quoque Verum novum; Verum novum [18] cum apud patrem suum, Medium conjungens cum apud Josephum. Hoc est arcanum, quod clarius exponi nequit; sed intelligi non potest, nisi ab illis qui in cogitatione sunt, quod apud hominem Internum detur et Externum, inter se distincta, ut et qui simul in affectione sciendi vera sunt, hi illustrantur a luce coeli quoad partem intellectualem, ut videant quod alii non vident, ita quoque hoc arcanum.

5823. Quia non possumus videre facies viri, quod significet quia nulla misericordia et conjunctio, constat ab illis supra n: 5816, ubi eadem verba.

5824. Et frater noster minimus non ille cum nobis, quod significet [nisi] per medium, constat a repraesentatione Benjaminis, quod sit Medium, de qua mox supra n: 5822.

5825. Et dixit servus tuus pater meus [19] ad nos, quod significet perceptionem ex bono spirituali, constat a significatione dicere, quod sit perceptio, de qua saepius: et ex repraesentatione Israëlis, qui hic est pater, quod sit bonum spirituale e naturali, de qua n: 3654. 4598. 5801. 5803. 5807.

5826. Vos nostis, quod binos pepererit mihi uxor mea, quod significet si Bonum spirituale sit quod Ecclesiae, quod Internum bonum et verum erit, constat ex repraesentatione Israëlis, qui haec de se dicit, quod sit Bonum spirituale e naturali, de qua mox supra n: 5825; ex repraesentatione Rachelis, quae hic uxor, quae binos ei pepererat, quod sit affectio veri interioris, de qua n: 3758. 3782. 3793. 3819; et a repraesentatione Josephi, tum Benjaminis, qui sunt bini quos pepererat, quod sint Internum Bonum et Verum, Josephus Internum Bonum, et Benjamin Interius Verum. Cum hoc, quod Internum Bonum et Verum erit, si bonum spirituale sit quod Ecclesiae, ita se habet; Bonum Spirituale, quod Israël repraesentat, est Bonum Veri, hoc est, Verum voluntate et actu; hoc verum, seu hoc bonum veri facit apud hominem, ut sit Ecclesia; quando verum implantatum est voluntati, quod percipitur ex eo, quod afficiatur vero propter finem ut vivat secundum illud, tunc est Bonum et Verum Internum: cum homo in hoc bono et vero est, tunc est in illo Regnum Domini, consequenter est is Ecclesia, et una cum consimilibus facit Ecclesiam in communi; inde constare potest, quod Ecclesia ut sit Ecclesia, esse debeat Bonum spirituale, hoc est, bonum veri, nequaquam autem solum verum, ex quo solo hodie Ecclesia vocatur Ecclesia, et per quod distinguitur una ab altera; cogitet quisque secum, an verum sit aliquid, nisi pro fine habeat vitam; quid doctrinalia absque illo fine; sicut quid praecepta decalogi absque vivere secundum illa; si enim quis illa scit, et omnem illorum sensum in amplitudine, et usque vivit contra illa, ad quid conducunt, nonne ad nihilum, et quibusdam ad damnationem; similiter se habet cum doctrinalibus fidei e Verbo, quae sunt praecepta vitae Christianae, sunt enim leges spirituales; hae nec ad aliquid conducent, nisi fiant vitae; expendat homo apud se, num sit apud illum quod est aliquid, nisi quod intrat ipsam vitam ejus; et num alibi vita hominis, quae vita, quam in voluntate: inde nunc est, quod a

Domino, in Veteri Testamento dictum, et in Novo confirmatum, quod omnis Lex, et omnes prophetae fundentur in amore in Deum, et in amore erga proximum, ita in ipsa vita, non autem in fide absque vita, ita nequaquam in sola fide, consequenter nec in confidentia, haec enim absque charitate erga proximum, non dabilis est; si apparet in discriminibus vitae, et cum mors prae foribus est apud malos, est illa confidentia spuria vel falsa, nam apud illos in altera vita ne hilum ejus confidentiae apparet, utcunque prope mortem cum ardore apparenter tale confessi fuerint; quod fides sive voces illam confidentiam, sive fiduciam, nihil efficiat apud malos, Ipse Dominus docet apud Johannem „Quotquot receperunt, dedit illis potestatem, ut filii Dei essent, credentibus in Nomen Ipsius; qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt" I: 12. 13; qui ex sanguinibus pro illis qui violentiam charitati inferunt, n: 374. 1005, [20] tum qui verum prophanant, n: 4735; qui ex voluntate carnis, pro illis qui in malis ex amore sui et mundi sunt, n: 3813; qui ex voluntate viri, pro illis qui in persuasionibus falsi, vir enim significat verum et in opposito sensu falsum; a Deo nati, pro illis qui regenerati sunt a Domino, et inde in bono; hi sunt qui recipiunt Dominum, et hi sunt qui credunt in Nomen Ipsius, et hi sunt quibus dat potestatem ut filii Dei sint, non autem illis; ex quibus manifeste patet, quid sola fides ad salutem facit. Porro ut homo regeneretur et fiat Ecclesia, introducetur per verum ad bonum, et tunc introducitur, cum verum fit voluntate et actu verum, hoc verum est bonum, et vocatur bonum veri, et producit nova vera continue, nam tunc primum fructificat se; verum quod producitur seu fructificatur inde, est quod vocatur verum internum, et bonum a quo, vocatur bonum internum; nam prius nihil fit internum, quam cum implantatum est voluntati, voluntarium enim est intimum hominis; quamdiu bonum et verum extra voluntatem sunt, et solum in intellectu, sunt extra hominem, nam intellectus est extra et voluntas est intra.

5827. Et exivit unus a me, quod significet discessionem apparentem Interni boni, constat a significatione exire, seu abire, quod sit discessio; et a repraesentatione Josephi, quod sit Internum Bonum, de qua prius; quod discessio apparens fuerit,

patet, nam Josephus vixit. Cum hoc ita se habet; per illa, quae memorantur de Josepho, a principio ad finem, repraesentatur in suo ordine Glorificatio Humani Domini; consequenter in sensu inferiori Regeneratio hominis, nam haec est imago seu typus glorificationis Domini, n: 3138. 3212. 3296. [21] 3490. 4402. 5688: cum Regeneratione hominis ita se habet, quod in primo statu, quando homo introducitur per verum in bonum, verum appareat manifeste, quia in lumine mundi est, et non procul a sensualibus corporis, bonum autem non ita, hoc enim est in lumine coeli, et procul a sensualibus corporis, est enim intus in hominis spiritu; inde est, quod verum quod fidei appareat manifeste, non autem bonum, tametsi hoc adest continue, et influit, et facit ut vera vivant; alioquin nusquam regenerari posset homo; at cum hic status peractus est, tunc bonum se manifestat, et hoc per amorem erga proximum, et per affectionem veri propter vitam: haec sunt, quae quoque repraesentantur per Josephum, quod ablatus sit, et non apparuerit patri suo, et quod postea ei se manifestaverit; intelligitur etiam hoc per discessionem apparentem Interni Boni, quae significatur per exivit unus a me.

5828. Et dixi, verum tamen discerpendo discerptus est, quod significet apperceptionem quod a malis et falsis perierit, constat a significatione dicere, quod sit perceptio, de qua saepius; et a significatione discerpi, quod sit a malis et falsis perire, nempe Bonum internum, quod per Josephum repraesentatur, n: 5805: quod discerpi id significet, est quia in mundo spirituali non alia datur discerptio, quam boni a malis et falsis; se habet hoc sicut mors et quae mortis sunt, haec in sensu spirituali significant non mortem naturalem, sed mortem spiritualem, quae est damnatio; nam alia mors non est in mundo spirituali; similiter discerptio in sensu spirituali non significat discerptionem, qualis est quae fit a feris, sed discerptionem boni a malis et falsis; etiam ferae quae discerpunt in sensu spirituali significant mala cupiditatum et falsa inde, haec etiam in altera vita repraesentantur per feras: Bonum, quod a Domino continue influit apud hominem, non nisi quam a malis et inde falsis, et a falsis et inde malis, perit; ut primum enim bonum illud continuum per Internum hominem ad Externum seu Naturalem,

venit, obviam ei fit malum et falsum, per quae bonum sicut a feris variis modis discerpitur et exstinguitur, inde influxus boni per Internum hominem inhibetur et sistitur, consequenter mens interior, per quam influxus, clauditur, et modo tantum spirituale per illam admittitur, ut Naturalis homo possit ratiocinari et loqui, sed tunc solum ex terrestribus, corporeis et mundanis, et quidem contra bonum et verum, aut simulate seu dolose secundum illa. Universalis lex est, quod influxus se accommodet secundum effluxum, sique inhibetur effluxus quod inhibeatur influxus; per Internum hominem est influxus boni et veri a Domino, per Externum erit effluxus, nempe in vitam, hoc est, in exercitio charitatis, quando is effluxus est, tunc continuus est influxus a coelo, hoc est, per coelum a Domino; at si non datur effluxus, sed in Externo seu Naturali homine resistentia, hoc est, malum et falsum, quae bonum influens discerpunt et exstinguunt, sequitur ex lege universali supra memorata, quod influxus se accommodet ad effluxum; proinde quod retrahet se influxus boni, et sic claudatur internum per quod influxus, et per occlusionem illam fit stupiditas in spiritualibus, usque adeo, ut homo qui talis nihil sciat de vita aeterna, nec scire velit; et demum fit insania, ut objiciat falsa contra vera, et illa dicat vera et haec falsa, et objiciat mala contra bona, et illa faciat bona et haec mala; ita discerpit prorsus bonum. In Verbo memoratur passim Discerptum, et per id in sensu proprio significatur id quod perit a falsis ex malis; quod autem perit ex malis, hoc vocatur Cadaver; at cum solum discerptum dicitur, tunc significatur utrumque, unum enim involvit significationem alterius, aliter quum unum dicitur cum altero, distinguitur enim tunc. Quia Discerptum in spirituali sensu significabat id quod perierat a falsis ex malis, ideo prohibitum fuit in Ecclesia Repraesentativa, ne ullum discerptum comederent; quod nequaquam ita prohibitum fuisset, nisi spirituale id malum intelligeretur in coelo; alioquin quid mali inesset discerptam a fera carnem comedere. De Discerptis quod non comederentur, ita apud Mosen „Adeps *Cadaveris* et adeps *Discerpti* fiet pro omni usu, modo comedendo non comedetis illum" Levit: VII: 24. Apud Eundem „*Cadaver* et *Discerptum* non comedet, ut polluatur eo, Ego Jehovah" Levit: XXII: 8. Apud Eundem „Viri sanctita-

tis eritis Mihi, ideo *Carnem in agro discerptam* non comedetis, canibus projicietis eam" Exod: XXII: 30. Apud Ezechielem „Ah Domine Jehovih, dicit propheta, ecce anima mea [non] polluta, et *Cadaver* et *Discerptum* non comedi a juventute mea huc usque, ut non venerit in os meum *Caro abominationis*" IV: 14: ex his patet, quod abominatio fuerit comedere discerptum, non quia discerptum erat, sed quia significabat boni discerptionem a falsis quae a malis, Cadaver autem boni mortem a malis. Discerptio boni a falsis et malis etiam in his locis apud Davidem in sensu interno intelligitur; „Similitudo impii sicut leo, desiderat *discerpere*, et sicut leo juvenis, qui sedet in latibulis" Psalm: XVII: 12. Alibi „Aperuerunt contra me os suum, *leo discerpens* et rugiens" Psalm: XXII: 14: et adhuc alibi „Ne rapiant sicut leo Animam meam, *discerpens* sed non eripiens" Psalm: VII: 3; Leo pro illis qui vastant Ecclesiam. Supra, ubi de Josepho agitur, quod venditus a fratribus, et tunica ejus tincta sanguine ad patrem missa, etiam tunc pater ejus dixit „Tunica filii mei, *fera mala* comedit illum, *discerpendo discerptus est Joseph*" Gen: XXXVII: 33; quod discerptus sit a falsis quae a malis dissipatus, videatur ibi, n: 4777.

5829. Et non vidi illum huc usque, quod significet quod evanuit, constat absque explicatione.

5830. Et sumitis etiam hunc a cum faciebus meis, quod significet si etiam verum novum discedat, constat ex repraesentatione Benjaminis, qui est de quo hoc dicitur, quod sit verum novum, de qua n: 5804. 5806. 5809. 5822; et ex significatione sumere illum a cum faciebus meis, quod sit abalienare a bono spirituali, ita discedere; verum illud, quia ex bono spirituali, quod Israël, si discederet, actum foret de ipso bono; nam bonum quale suum accipit a veris, et vera Esse suum accipiunt a bono, inde illis vita simul.

5831. Et accidat illi damnum, quod significet a malis et falsis, constat ex significatione accidere alicui damnum, quod sit noceri a malis et falsis, non aliud damnum in spirituali sensu intelligitur, quia in spirituali mundo omne damnum est inde, nempe a malis et falsis.

5832. Et descendere facietis canitiem meam in malo sepulchrum, quod significet quod periturum bonum spirituale, et sic

internum Ecclesiae, constat ex repraesentatione Israëlis, quod sit bonum spirituale, de qua n: 5807. 5812. 5813. 5817. 5819. 5825, et quod sit internum Ecclesiae spiritualis, n: 4286; ex significatione canitiei, quod sit ultimum Ecclesiae; et ex significatione descendere in malo sepulchrum, quod sit perire, de qua n: 4785, descendere in bono in sepulchrum, est [22] resurgere, et regenerari, n: 2916. 2917. 5551, quare descendere in malo in sepulchrum, est oppositum, ita perire. Cum hoc, quod periturum internum Ecclesiae, si periret verum quod per Benjaminem repraesentatur, ita se habet; bonum habebit sua vera ut sit bonum, et vera habebunt suum bonum ut sint vera; bonum absque veris non est bonum, nec vera absque bono, formant simul conjugium, quod vocatur conjugium coeleste; quapropter si unum discedit, perit alterum, et unum ab altero potest discedere per discerptionem a malis et falsis.

5833. Et nunc sicut venero ad servum tuum patrem meum, quod significet bonum Ecclesiae correspondens bono spirituali quod Ecclesiae internae, constat ex repraesentatione Jehudae, qui de se haec loquitur, quod sit bonum Ecclesiae, de qua n: 5583. 5603. 5782; et ex repraesentatione Israëlis, qui hic est pater ejus, quod sit bonum spirituale, de qua n: 5807. 5812. 5813. 5817. 5819. 5825: Bonum Ecclesiae, quod Jehudah repraesentat, est bonum Ecclesiae externae; at bonum spirituale, quod Israël, est bonum Ecclesiae internae, n: 4286; omnis enim Ecclesia Domini est Interna et Externa; et quae sunt Ecclesiae Externae, correspondent illis quae sunt Ecclesiae Internae; ita quoque bonum Ecclesiae quod Jehudah correspondet bono spirituali quod Israël.

5834. Et puer non ille cum nobis, quod significet si verum novum non una, constat ex repraesentatione Benjaminis, qui hic est puer, quod sit verum novum, de qua n: 5804. 5806. 5822.

5835. Et anima ejus vincta in anima ejus, quod significet cum arcta conjunctio, constat ex significatione animae, quod sit vita, ita anima unius vincta in anima alterius, quod sit unius vita in alterius, consequenter quod sit arcta conjunctio, nempe boni spiritualis, quod Israël, et veri ex illo bono, quod est Benjamin. Cum hoc, quod tam arcta conjunctio sit inter bo-

num et ejus verum, sicut anima unius quae vincta est in anima alterius, ita se habet; mens hominis, quae est ipse homo, et ubi est vita hominis, habet binas facultates, unam quae dicata veris quae fidei, et alteram quae dicata bono quod charitatis; facultas quae dicata est veris quae fidei vocatur intellectus, et quae dicata bono quod charitatis vocatur voluntas; ut homo sit homo, binae hae facultates unum facient; sed quod facultates illae binae hodie prorsus sejunctae sint, constare potest ex eo, quod homo intelligere possit quod verum sit, et quod usque non possit velle illud; potest enim intelligere, quod vera sint omnia quae in decalogo, etiam quodammodo quae in doctrinalibus quae ex Verbo, imo etiam potest intellectualiter confirmare illa, et quoque per praedicationem, at usque vult aliud, et ex velle facit aliud; inde patet, quod binae illae facultates apud hominem sejunctae sint; sed quod non sejunctae esse debeant, sciri potest ex eo, quod intelligere verum elevaret illum versus coelum, at velle malum detraheret illum versus infernum, et sic penderet inter utrumque; at usque ejus velle, in quo ipsissima ejus vita consistit, auferret illum deorsum, ita inevitabiliter in infernum; ne itaque id fiat, binae illae facultates conjungendae sunt, quod fit per regenerationem a Domino, et hoc per implantationem veri quod fidei in bono quod charitatis; sic enim per verum quod fidei, homo donatur novo intellectu, et per bonum quod charitatis donatur nova voluntate; inde binae facultates, quae faciunt unam mentem.

5836. Et erit, sicut videre eum, quod non puer, et morietur, quod significet quod bonum spirituale periturum, si nempe verum, quod est Benjamin, discederet, constat ex repraesentatione Israëlis, quod sit bonum spirituale, de qua prius; et ex significatione mori, quod sit desinere esse tale, de qua n: 494, ita perire. Quod periret bonum, si discederet ejus verum, videatur supra n: 5830. 5832. [23]

5837. Et descendere facient servi tui canitiem servi tui patris nostri in maerore sepulchrum, quod significet quod actum erit de Ecclesia, constat ab illis quae supra n: 5832, [24] explicata sunt, ubi similia. Quod hic Israël, qui pater, sit Ecclesia, est quia bonum spirituale, quod is repraesentat, facit Ecclesiam apud hominem, usque adeo, ut sive dicas bonum spirituale, si-

ve Ecclesiam, idem sit, separari enim nequeunt; inde est, quod in Verbo, imprimis prophetico, Israël sit Ecclesia spiritualis.

5838. Vers: 32. 33. 34. *Quia servus tuus spospondit pro puero a cum patre meo,* [25] *dicendo, si non reduxero illum ad te, et peccabo patri meo omnibus diebus. Et nunc maneat quaeso servus tuus loco pueri servus domino meo, et puer ascendat cum fratribus suis. Quia quomodo ascendam ad patrem meum et puer non ille cum me, forte videro malum quod inveniet patrem meum.* Quia servus tuus spospondit pro puero a cum patre meo, dicendo, significat adjunctionem sibi: si non reduxero illum ad te, significat nisi conjungatur bono spirituali: et peccabo patri meo omnibus diebus, significat aversionem, et sic quod nullum Ecclesiae bonum: et nunc maneat quaeso servus tuus loco pueri servus domino meo, significat submissionem: et puer ascendat cum fratribus suis, significat ut verum interius bono spirituali conjungatur: quia quomodo ascendam ad patrem meum, et puer non ille cum me, significat quod bonum spirituale e naturali absque vero interiori: forte videro malum quod inveniet patrem meum, significat apperceptionem quod peribit.

5839. Quia servus tuus spospondit pro puero a cum patre meo, dicendo, quod significet adjunctionem, constat a significatione spondere, quod sit adjungere sibi, ut prius n: 5609; Verum enim, quod Benjamin repraesentat, interea cum non ita apud bonum spirituale, quod pater, est, esse potest apud bonum Ecclesiae Externae, quod Jehudah repraesentat; bonum enim hoc, et bonum spirituale unum agunt per correspondentiam.

5840. Si non reduxero illum ad te, quod significet nisi conjungatur bono spirituali, constat ex significatione reducere, quod sit iterum conjungere; et a repraesentatione Israëlis, quod sit bonum spirituale, de qua saepe prius.

5841. Et peccabo patri meo omnibus diebus, quod significet aversionem, et sic quod nullum Ecclesiae bonum, constat a significatione peccare, quod sit disjunctio, de qua n: 5229. 5474, ita aversio; et si se avertit bonum Ecclesiae Externae, quod Jehudah repraesentat, a bono Ecclesiae Internae, quod Israël, fit non amplius aliquod Ecclesiae bonum, ipsa conjunctio facit, ut bonum sit ex quo Ecclesia. Cum binis illis bonis,

nempe bono Internae Ecclesiae, et bono Externae, ita se habet; bonum Internae Ecclesiae seu bonum internum, per influxum producit bonum Externae Ecclesiae seu bonum externum; et quia ita, bonum internum elevat ad se bonum externum, ut spectet semet, et per semet sursum versus Dominum; hoc fit quando conjunctio: at si disjunctio, bonum externum avertit se, et spectat deorsum, et sic perit: haec aversio est, quae significatur per peccabo patri meo omnibus diebus.

6842. Et nunc maneat quaeso servus tuus loco pueri servus domino meo, quod significet submissionem, constat ex eo, quod offerre se servum loco alterius, sit privare se libero ex proprio, et se prorsus alteri submittere. Per haec verba significatur submissio naturalis seu externi hominis sub Interno; cum enim bonum ibi se submittit, ipsa vera ibi se submittunt, nam vera sunt boni.

5843. Et puer ascendat cum fratribus suis, quod significet ut verum interius bono spirituali conjungatur, constat ex repraesentatione Benjaminis, quod sit verum novum, de qua n: 5804. 5806. 5809. 5822, ita verum interius; et ex significatione ascendere cum fratribus, quod sit iterum conjungi patri suo, hoc est, bono spirituali, quod per Israëlem repraesentatur; Verum interius, quod hic Benjamin repraesentat, est verum novum, nam hoc interius est respective ad vera quae infra; Verum enim quod procedit ex bono, est verum interius, ita hoc verum, quia ex bono spirituali, quod Israël: bonum charitatis ex voluntate, ita ex affectione, est internum bonum, seu internae Ecclesiae bonum; at bonum charitatis non ex affectione sed ex obedientia, et non ex voluntate, sed ex doctrinali, est bonum externum seu bonum Ecclesiae externae, ita quoque vera quae inde.

5844. Quia quomodo ascendam ad patrem meum, et puer non ille cum me, quod significet quod bonum spirituale e naturali absque vero interiori, constat ex repraesentatione Israëlis, qui hic est pater, quod sit bonum spirituale e naturali, de qua prius; et ex repraesentatione Benjaminis, qui hic est puer, quod sit verum interius, de qua mox supra n: 5843.

5845. Forte videro malum quod inveniet patrem meum, quod significet apperceptionem quod peribit, constat ex signifi-

catione videre, quod sit intelligere, de qua n: 2807. 3863. 4403 ad 4421, et inde appercipere, n: 3764. 4567. 5400; quod peribit, significatur per malum quod inveniet illum; similiter ac per descendere facere canitiem in malo sepulchrum, n: 5832; [26] tum si non pater videret eum cum fratribus, quod moreretur, n: 5836, hoc malum est, quod significatur. Quod bonum spirituale, quod Israëi, periturum, si discederet Verum quod Benjamin, videatur supra n: 5832. [27]

De Angelis et Spiritibus apud hominem.

5846. *Influxus e mundo spirituali in hominem in genere ita se habet, quod homo nihil cogitare, nec velle possit a semet, sed quod omne influat, bonum et verum a Domino per Coelum, ita per Angelos qui apud hominem; malum et falsum ab inferno, ita per spiritus malos qui apud hominem; et hoc in hominis cogitationem et voluntatem: hoc scio, quod maxime paradoxon appariturum, quia est contra apparentiam, sed ipsa experientia dictabit, quomodo res se habet.*

5847. *Nusquam enim aliquis homo, spiritus, aut Angelus, vitam habet a se, ita nec a se cogitare et velle potest, nam in cogitare et velle est vita hominis, loqui et agere est vita inde; unica enim est vita, nempe Domini, quae influit in omnes, sed varie recipitur, et quidem secundum quale, quod homo induxit animae suae per vitam; inde apud malos bona et vera vertuntur in mala et falsa, apud bonos recipiuntur, bona ut bona, et vera ut vera. Hoc comparari potest luci quae a sole influit in objecta, quae ibi modificatur et variegatur diversimode secundum formam partium, et inde vertitur in colores vel tristes vel laetos: homo, dum vivit in mundo, formam inducit substantiis purissimis quae sunt interiorum ejus, sic ut dici queat, quod formet animam suam, hoc est, quale ejus, secundum illam formam recipitur vita Domini, quae est Amoris Ipsius erga universum genus humanum. Quod unica vita sit, et quod homines, spiritus, et angeli, sint recipientes vitae, videatur n:* 1954. 2021. 2706. 2886 *ad* 2889. 2893. 3001.

3318. 3337. 3338. 3484. 3741. 3742. 3743. [28] 4151. 4249. 4318. 4319. 4320. 4417. 4524. 4882.

5848. *Ut vita Domini influat, et recipiatur secundum omnem legem apud hominem, sunt continue apud hominem angeli et spiritus, Angeli e coelo, et spiritus ab inferno; et informatus sum, quod apud unumquemvis bini spiritus sint, et bini angeli. Quod spiritus ab inferno sint, est quia homo a se continue in malo est, est enim in jucundo amoris sui et mundi, et quantum homo in malo est, seu in illo jucundo, tantum non possunt angeli e coelo adesse.*

5849. *Bini illi spiritus, qui adjuncti sunt homini, faciunt ut communicatio sit cum inferno, et bini illi angeli faciunt ut communicatio sit cum coelo; homo absque communicatione cum coelo et inferno, ne quidem momento vivere posset; si communicationes illae auferrentur, caderet homo mortuus sicut stipes, nam tunc auferretur nexus cum Primo Esse, hoc est, cum Domino. Hoc quoque mihi per experientiam ostensum est, removebantur paulum spiritus apud me, et tunc secundum remotionem quasi expirare coepi, et quoque expiravissem, nisi remissi fuissent. Sed scio quod pauci credant, quod aliquis spiritus sit apud se, imo quod aliqui spiritus sint; ex causa praecipue, quod hodie nulla fides quia nulla charitas, inde nec creditur quod infernum sit, imo nec quod Coelum, consequenter non vita post mortem; altera causa est, quia oculis suis non vident spiritus, dicunt enim si viderem, crederem, quod video id est, quod autem non video non scio an sit; cum tamen sciunt, aut scire possunt, quod oculus hominis tam hebes et crassus sit, ut ne quidem videat exstantiora quae in ultima natura, quod patet a vitris artificialibus, per quae talia apparent; quomodo tunc videre poterit, quae sunt intra naturam etiam puriorem, ubi sunt spiritus et angeli; hos homo non videre potest, nisi oculo interni sui hominis, ille enim est accommodatus talibus videndis; sed hujus oculi visus non aperitur homini, cum est in mundo, ex pluribus causis. Ex his constare potest, quantum fides hodierna distat a fide antiqua, fides antiqua fuit, quod unusquisque homo haberet apud se suum angelum.*

5850. *Res ita se habet; a Domino per mundum spiritualem in subjecta mundi naturalis, est* Influxus Communis, *et*

est Influxus particularis; *Influxus communis in illa quae in ordine sunt, Influxus particularis in illa quae non in ordine sunt: Animalia cujuscunque generis in ordine suae naturae sunt, idcirco in illa est influxus communis; quod in ordine suae naturae sint, constat ex eo, quod in omnia sua nascantur, nec opus habeant ut in illa per aliquam informationem introducantur: at homines non in ordine sunt, nec in ulla lege ordinis, idcirco in illos est influxus particularis, hoc est, apud illos sunt Angeli et spiritus, per quos influxus; et nisi illi apud homines forent, ruerent in omne nefas, et se praecipitarent momento in profundissimum infernum; homo per spiritus illos et per Angelos sub auspicio et ductu Domini est. Ordo hominis foret, in quem creatus, quod proximum amaret sicut semet, imo plus quam semet, ita faciunt Angeli; sed homo se solum amat et mundum, et proximum odit, nisi quantum ei favet ut imperet et det mundum; ideo, quia vita hominis est prorsus contra ordinem coelestem, regitur ille per separatos spiritus et Angelos a Domino.*

5851. *Spiritus iidem non manent perpetuo apud hominem, sed secundum status hominis, nempe ejus affectionis, seu amoris et finium, mutantur, priores removentur et alii succedunt: in genere tales spiritus apud hominem sunt, qualis ipse homo est. si avarus est sunt spiritus qui avari, si fastuosus sunt spiritus qui fastuosi, si vindictae cupidus sunt spiritus qui tales, si dolosus sunt spiritus similes; homo sibi arcessit spiritus ex inferno secundum vitam. Sunt Inferna exactissime distincta secundum mala cupiditatum, et secundum omnes differentias mali; inde nusquam deest, quin similes evocentur et adjungantur homini qui in malo.*

5852. *Spiritus mali, qui apud hominem, quidem ab Infernis sunt, sed tunc quando apud illum, non in inferno sunt, verum inde desumti: Locus ubi tunc sunt, est medius inter Infernum et Coelum, et vocatur* Mundus Spirituum, *cujus mentio prius saepe facta est: in mundo illo, qui Mundus Spirituum vocatur, sunt etiam boni spiritus qui etiam apud hominem sunt; in illum mundum etiam veniunt homines statim post mortem, et post aliquam moram ibi vel ablegantur in terram inferiorem, vel demittuntur in Infernum, vel elevantur in coelum, quilibet*

secundum vitam suam, in mundo illo a superiori terminantur inferna, quae clauduntur ibi et aperiuntur ad beneplacitum Domini; et in mundo illo ab inferiori terminatur coelum, est itaque interstitiale distinguens coelum ab inferno; ex his sciri potest, quid Mundus spirituum. *Cum mali spiritus, qui apud hominem, in illo mundo sunt, non sunt in aliquo cruciatu infernali, sed sunt in jucundis amoris sui et mundi, tum voluptatum omnium, in quibus ipse homo, nam sunt in omni cogitatione et in omni affectione hominis; at cum remittuntur in Infernum suum, in priorem statum redeunt.*

5853. *Spiritus qui ad hominem alluunt, intrant in omnem memoriam ejus, et in omnes scientias memoriae quas homo possidet; ita induunt omnia quae hominis sunt, usque adeo, ut non sciant aliter, quam quod illorum sint; hanc praerogativam prae homine habent spiritus; inde est, quod omnia, quae homo cogitat, illi cogitent, et quod omnia quae homo vult illi velint, et quoque vicissim, quod omnia quae spiritus illi cogitant homo cogitet, et omnia quae spiritus illi volunt homo velit; unum enim agunt per conjunctionem: at utrinque putatur, quod talia in se sint, et a se, ita spiritus et ita homines, sed hoc est fallacia.*

5854. *A Domino providetur, ut spiritus influant in cogitata et voluntaria hominis, Angeli vero in fines, et sic per fines in illa quae a finibus sequuntur; Angeli etiam influunt per spiritus bonos in illa quae apud hominem bona vitae et vera fidei sunt, per quae illum a malis et falsis, quantum possibile, abducunt; influxus is est tacitus, homini imperceptibilis, sed usque in occulto operans et efficiens; imprimis avertunt fines malos, et insinuant bonos; quantum vero non possunt, removent se, et influunt remotius et absentius, et tunc propius accedunt spiritus mali; nam Angeli in malis finibus, hoc est, in amoribus sui et mundi non adesse queunt, sed usque e longinquo adsunt. Potuisset Dominus per Angelos hominem ducere in bonos fines vi omnipotenti; sed hoc foret vitam ei adimere, nam vita ejus est amorum prorsus contrariorum; quare lex Divina inviolabilis est, quod homo erit in libero, et quod bonum et verum, seu charitas et fides implantanda erunt in ejus libero, neutiquam in coacto; nam quod recipitur in statu coacto,*

hoc non manet, sed dissipatur; cogere enim hominem, non est insinuare in ejus velle, est enim alterius velle ex quo faciet, quapropter cum ad suum velle, hoc est, ad suum liberum redit, exstirpatur; quapropter Dominus regit hominem per liberum ejus, et quantum possibile, detinet a libero cogitandi et volendi malum; homo enim nisi detineretur a Domino, continue se in profundissimum Infernum praecipitaret. Dictum est, quod potuisset Dominus per Angelos ducere hominem in bonos fines vi omnipotenti, possunt enim mali spiritus momento abigi si vel forent myriades circum hominem, et quidem per unum angelum, sed tunc homo veniret in talem cruciatum, et in tale infernum, ut sustinere nequaquam posset, nam vita sua misere deprivaretur; vita enim hominis est ex cupiditatibus et phantasiis contra bonum et verum; nisi per malos spiritus illa vita sustineretur, et sic emendaretur, ad minimum duceretur, ne minutum temporis superviveret; ei enim nihil aliud insidet, quam amor sui et lucri, atque famae propter illa, ita quicquid est contra ordinem; quare nisi redigeretur in ordinem moderate, et per gradus, per ductum ejus liberi, exspiraret illico.

5855. *Antequam apertum mihi fuit, ut loquerer cum spiritibus, in opinione fui, quod nusquam aliquis spiritus, nec Angelus, scire et percipere potuisset meas cogitationes, quia intra me, praeter quod solus Deus; semel tunc contigit, quod animadverterem, quod spiritus quidam sciret quid cogitarem, nam loquebatur mecum de illis, paucis verbis, et indicium dedit praesentiae per quoddam signum; quo obstupefactus, praecipue quod sciret mea cogitata: inde constabat, quam difficile sit homini credere, quod aliquis spiritus sciat quid cogitat; cum tamen non solum scit cogitata quae ipse homo, sed etiam minima cogitationum et affectionum, quae non homo; imo talia, quae nusquam in vita corporis scire potest: hoc ex continua plurium annorum experientia, scio.*

5856. *Communicationes societatum cum aliis societatibus fiunt per spiritus quos emittunt, et per quos loquuntur; spiritus illi vocantur* SUBJECTA: *cum apud me societas aliqua adesset, non potui scire, antequam emiserint spiritum, quo misso illico communicatio aperta erat: hoc admodum familiare est in altera vita, et frequenter fit. Inde constare potest, quod spi-*

ritus et Angeli, qui apud hominem, sint communicationis causa cum societatibus in Inferno, et cum societatibus in coelo.

5857. *Loquutus sum aliquoties cum spiritibus de praeexcellente facultate quae illis prae homine, quod induant ad primum adventum omnia memoriae hominis, et tametsi nihil sciverint prius de scientiis, de linguis, deque rebus quas homo ab infantia usque ad senectam didicit et imbuit, usque momento in possessionem omnium veniant; et quod ita apud eruditos sint eruditi, apud ingeniosos ingeniosi, apud prudentes prudentes. Ex his animosi facti sunt spiritus illi, erant enim non boni, quapropter ad illos etiam dicere datum est, quod apud indoctos indocti sint, apud stupidos stupidi, apud insanos et fatuos insani et fatui, induunt enim omnia interiora hominis apud quem sunt, ita quoque omnes ejus fallacias, phantasias et falsa, consequenter ejus insanias et fatuitates. Ad infantes autem mali spiritus non possunt accedere, quia nondum aliquid habent in memoria quod induant; quare apud illos sunt boni spiritus et angeli.*

5858. *Ex multa experientia mihi scire datum est, quod quicquid spiritus cogitant et loquuntur ex memoria hominis, putent esse suum et in se; si illis dicatur, quod ita non sit, indignantur valde; talis fallacia sensus regnat apud illos: Ut convincerentur, quod non ita sit, interrogati sunt, unde sciunt loqui mecum lingua mea vernacula, et tamen nihil prorsus ejus noverant in vita corporis, et quomodo caeteras linguas quas ego calleo, et quod ne unam a se, annon credunt quod illa sint illorum; legi coram illis etiam Linguam Hebraeam, quam intellexerunt quantum ego, etiam infantes, et praeterea nihil; et quoque quod omnia scientifica, quae apud me, apud illos sint; inde convicti sunt, quod in possessionem omnium scientiarum hominis veniant cum ad hominem, et quod in falso sint quod credant esse sua. Sua quoque habent, sed non licet illa depromere, ob causam ut serviant homini per illius, et ob plures alias causas, de quibus n: 2476. 2477. 2479; et quod maxima confusio, si spiritus ex sua memoria influerent, n: 2478.*

5859. *Spiritus quidam ad me venerunt, ascendendo, dicentes quod apud me fuissent a principio, non aliud scientes; sed quia contrarium illis demonstrabam, tandem fassi sunt,*

quod nunc primum venissent, et quia omnia memoriae meae illico induerunt, quod non aliud potuissent scire; inde constabat quoque, quod spiritus momento cum adveniunt, omnia scientifica hominis sicut sua induant; etiam cum plures spiritus adsunt, singuli induunt, et singuli putant quod sua sint: in hanc facultatem venit homo statim post mortem. Inde quoque est, quod spiritus boni in coelesti societate, in quam veniunt, induant et possideant omnem sapientiam, quae est omnium in illa societate, talis enim est communio, et hoc tametsi in vita corporis prorsus nihil ex talibus quae in societate coelesti dicuntur, noverant; hoc fit si in bono charitatis in mundo vixerant, bonum hoc secum habet quod approprietur ei omne sapientiae, nam in ipso bono hoc latet insitum; inde quasi ex se sciunt, quae in vita corporis incomprehensibilia, imo ineffabilia fuerunt.

5860. *Spiritus, qui apud hominem sunt, etiam induunt ejus persuasiones, qualescunque sint, quod a multa experientia testatum mihi factum est; ita induunt persuasiones hominis in rebus non modo civilibus et moralibus, sed etiam in spiritualibus quae sunt fidei: inde constare potest, quod spiritus apud illos qui in haeresibus sunt, in fallaciis et illusionibus quoad vera fidei, et in falsis, in similibus sint, nec inde unguem discedant: causa quod ita, est ut homo in suo libero sit, nec ab aliquo proprio spiritus turbetur.*

5861. *Ex his patet, quod homo cum vivit in mundo, quoad interiora sua, ita quoad spiritum suum, sit in consortio cum aliis spiritibus, ac illis ita adjunctus, ut non aliquid cogitare possit, nec velle, nisi una cum illis, et quod sic communicatio sit interiorum ejus cum mundo spirituali; et quod sic non aliter duci possit a Domino. Homo, cum in alteram vitam venit, secum habet incredulitatem, quod nullus spiritus apud illum fuerit, minus quod aliquis ex Inferno, quapropter illi, si desiderat, ostenditur societas spirituum, in cujus consortio fuerat, et a qua spiritus emissarii apud illum fuerant; etiam post aliquot status, quos percurret primum, tandem ad eandem societatem redit, quia illa cum ejus amore, qui dominium obtinuit, unum egerat: aliquoties vidi, quod societates suae ostensae fuerint.*

5862. *Spiritus qui apud hominem, non sciunt quod apud*

hominem sint, hoc sciunt solum Angeli a Domino, sunt enim adjuncti ejus animae seu spiritui, non autem ejus corpori; illa enim quae ex cogitationibus in loquelam, et a voluntate in actus in corpore determinantur, per communem influxum, secundum correspondentias cum Maximo Homine, ordinate in actum fluunt; quapropter spiritus, qui apud hominem, cum his nihil commune habent; ita non per hominis linguam loquuntur, hoc foret obsessio, nec per ejus oculos vident quae in mundo, nec per ejus aures audiunt quae ibi. Aliter apud me, aperuit enim Dominus interiora mea, ut videre possem quae in altera vita; inde spiritus sciverunt, quod homo in corpore essem, et data est illis facultas videndi per oculos meos quae in mundo, et audiendi loquentes mecum in consortiis.

5863. *Si mali spiritus perciperent quod apud hominem essent, et quod separati spiritus ab illo, sique influere potuissent in illa quae ejus corporis sunt, conarentur illum mille modis perdere, nam odio internecino habent hominem: et quia sciverunt quod ego homo in corpore essem, ideo in continuo conatu fuerunt me perdendi, non solum quoad corpus, sed imprimis quoad animam; perdere enim hominem et aliquem spiritum, est ipsum jucundum vitae omnium illorum qui in Inferno sunt; sed continue tutatus sum a Domino. Inde constare potest, quam periculosum sit homini, ut in vivo consortio sit cum spiritibus, nisi sit in bono fidei.*

5864. *Quia audiverunt spiritus mali, quod spiritus essent apud hominem, putarunt quod sic illos spiritus offenderent, et simul cum illis hominem; etiam inquisiverunt diu, sed incassum; animus erat ut perderent illos: nam sicut jucundum et beatum Coeli est bene facere homini, et conducere ad salutem ejus aeternam; ita vicissim, jucundum est Inferni male facere homini, et conferre ad perniciem ejus aeternam; sunt ita in opposito.*

5865. *Erat quidam spiritus non malus, cui permissum ad aliquem hominem transire, et inde mecum loqui, cum illuc venit, dicebat quod appareret ei sicut quoddam nigrum inanimatum, seu sicut moles nigra nullius vitae, hoc fuit vita istius hominis corporea, quam ei permissum spectare: dictum, quod vita corporea hominis, qui in bono fidei, appareat, cum licet*

illam spectare, non ut nigrum sed ut ligneum, et lignei coloris. Simile datum scire per aliam experientiam; quidam spiritus malus missus est in statum corporis, per id quod ex sensualibus corporis, ita ex memoria externa, cogitaret, tunc visus est mihi is quoque ut moles nigra nullius vitae; idem, cum restitutus, dixit, quod putaret se fuisse in vita corporis. Alioquin spiritibus non licet spectare in corporea hominis; corporea enim hominis in mundo sunt et in ejus luce, cum spiritus spectant in illa quae lucis mundi sunt, apparent illa quae ibi sicut merae tenebrae.

5866. *Continuatio de Angelis et Spiritibus apud hominem, ad finem Capitis sequentis.*



GENESEOS

CAPUT QUADRAGESIMUM QUINTUM.

1. Et non potuit Joseph continere se ad omnes stantes apud illum, et clamavit, exire facite omnem virum ab apud me, et non stetit quisquam cum illo in notum faciendo se Joseph ad fratres suos.

2. Et edidit vocem suam in fletu, et audiverunt Aegyptii, et audivit domus Pharaonis.

3. Et dixit Joseph ad fratres suos, ego Joseph, an adhuc pater meus vivit; et non potuerunt fratres ejus respondere illi, quia consternati a coram illo.

4. Et dixit Joseph ad fratres suos, accedite quaeso ad me, et accesserunt, et dixit, ego Joseph frater vester, quem vendidistis me Aegyptum.

5. Et nunc, ne dolori vobis sit, et ne irae sit in oculis vestris, quod vendideritis me huc, quia ad vivificationem misit me Deus ante vos.

6. Quia hoc, anni duo famis in medio terrae, et adhuc quinque anni, quibus nulla aratio et messis.

7. Et misit me Deus ante vos, ad ponendum vobis reliquias in terra, et ad vivificandum vos ad evasionem magnam.

8. Et nunc, non vos misistis me huc, sed Deus, et posuit me ad patrem Pharaoni, et ad dominum omni domui suae, et dominor in omni terra Aegypti.

9. Festinate et ascendite ad patrem meum, et dicatis ad illum; ita dixit filius tuus Joseph, posuit me Deus ad dominum omni Aegypto, descende ad me, ne subsistas.

10. Et habitabis in terra Goschen, et eris propinquus ad

me, tu et filii tui et filii filiorum tuorum, et greges tui, et armenta tua, et omne quod tibi.

11. Et sustentabo te ibi, quia adhuc quinque anni famis, ne forte exstirperis tu et domus tua, et omne quod tibi.

12. Et ecce oculi vestri vident; et oculi fratris mei Benjamin, quod ore loquens ad vos.

13. Et indicetis patri meo omnem gloriam meam in Aegypto, et omne quod videtis, et festinetis, et descendere faciatis patrem meum huc.

14. Et cecidit super colla Benjaminis fratris sui, et flevit, et Benjamin flevit super collis illius.

15. Et osculatus omnes fratres suos, et flevit super illis; et postea loquuti sunt fratres illius cum illo.

16. Et vox audita domo Pharaonis, dicendo, venerunt fratres Josephi, et bonum fuit in oculis Pharaonis, et in oculis servorum illius.

17. Et dixit Pharao ad Josephum, dic ad fratres tuos, hoc facite, onerate jumenta vestra, et ite, venite terram Canaan.

18. Et accipite patrem vestrum, et domos vestras, et venite ad me, et dabo vobis bonum terrae Aegypti, et comedetis pingue terrae.

19. Et nunc, mandatum hoc facite, accipite vobis e terra Aegypti vehicula infantibus vestris, et mulieribus vestris, et feratis patrem vestrum, et veniatis.

20. Et oculus vester ne parcat super supellectilibus vestris, quia bonum totius terrae Aegypti vobis hoc.

21. Et fecerunt ita filii Israëlis, et dedit illis Joseph vehicula juxta os Pharaonis; et dedit illis viaticum ad viam.

22. Et omnibus illis dedit cuique mutatorias vestes; et Benjamini dedit trecentos argenti, et quinque mutatorias vestes.

23. Et patri suo misit ut hoc, decem asinos portantes e bono Aegypti, et decem asinas portantes frumentum et panem, et alimentum patri suo ad viam.

24. Et dimisit fratres suos; et iverunt; et dixit ad illos, ne contendatis in via.

25. Et ascenderunt ex Aegypto, et venerunt terram Canaan ad Jacobum patrem eorum.

26. Et indicaverunt illi, dicendo, adhuc Joseph vivit, et

quod ille dominans in omni terra Aegypti; et defecit cor ejus; quia non credidit illis.

27. Et loquuti sunt ad illum omnia verba Josephi, quae loquutus ad illos; et vidit vehicula quae misit Joseph ad ferendum illum; et revixit spiritus Jacobi patris illorum.

28. Et dixit Israël, multum, adhuc Joseph filius meus vivit, ibo et videbo illum antequam morior.

CONTENTA.

5867. In priori Capite actum est de Interno homine, qui Joseph, quod initiaverit Externum naturalem, qui sunt decem filii Jacobi, per Medium, quod Benjamin, ad conjunctionem secum. In hoc Capite nunc agitur de Interno homine, quod conjunxerit se Externo naturali; sed quia cum hoc conjunctio non datur, nisi per Bonum spirituale e Naturali, quod Israël, ideo id sibi primum adjungere parat.

SENSUS INTERNUS.

5868. Vers: 1. 2. *Et non potuit Joseph continere se ad omnes stantes apud illum, et clamavit, exire facite omnem virum ab apud me, et non stetit quisquam cum illo in notum faciendo se Joseph ad fratres suos. Et edidit vocem suam, in fletu, et audiverunt Aegyptii, et audivit domus Pharaonis.* Et non potuit Joseph continere se ad omnes stantes apud illum, significat quod omnia nunc a Coelesti Interno parata sint ad conjunctionem: et clamavit, significat prope effectum: exire facite omnem virum ab apud me, significat scientifica non congrua et adversantia e medio ejicerentur: et non stetit quisquam in notum faciendo se Joseph ad fratres suos, significat quod non aliqua adessent cum Coeleste Internum per Medium conjungeret se veris in naturali: et edidit vocem suam in fletu, significat misericordiam et gaudium: et audiverunt Aegyptii, significat usque ad ultima: et audivit domus Pharaonis, significat per universum naturale.

5869. Et non potuit Joseph continere se ad omnes stantes apud illum, quod significet quod omnia nunc a Coelesti Interno parata sint ad conjunctionem, constat a repraesentatione Josephi, quod sit Bonum Internum, de qua n: 5805. 5826. 5827, ita Coeleste Internum, nam per Coeleste intelligitur Bonum quod procedit a Domino; et a significatione non posse continere se, quod sit quod omnia parata sint ad conjunctionem; cum enim aliquis summo studio praeparat se ad aliquem finem, seu effectum, conquirendo et disponendo media ad illum, tunc cum omnia parata sunt, non amplius se continere potest; hoc significatur per illa verba; nam in Capite quod praecedit, actum est de initiatione ad conjunctionem, in hoc autem Capite de ipsa conjunctione, videatur n: 5867. Per omnes stantes apud illum, significantur talia quae conjunctionem impediunt, quapropter ejecta, ut sequitur.

5870. Et clamavit, quod significet prope effectum, constat a significatione clamare, cum praecedit quod se continere non posset, quod sit prope effectum.

5871. Exire facite omnem virum ab apud me, quod significet scientifica non congrua et adversantia e medio ejicerentur, constat a significatione omnis viri ab apud illum, quod sint scientifica, erant enim Aegyptii, per quos quod scientifica significentur, videatur n: 1164. 1165. 1186. 1462. 5700. 5702; quod non congrua et adversantia, sequitur, quia ejecta sunt. Cum hoc ita se habet; quando conjunctio fit Verorum quae in Externo seu Naturali homine, cum Bono quod in Interno, hoc est, cum vera fidei conjunguntur cum bono charitatis, tunc omnia illa scientifica, quae non congruunt, et magis quae adversantur, e medio ad latera rejiciuntur, ita a luce quae in medio ad umbras quae ad latera; et tunc partim non spectantur, partim pro nihilo habentur; ex scientificis autem, quae congrua et concordantia, quae manent, fit quasi extractio, et si ita dicere liceat, quasi sublimatio, unde rerum sensus interior, qui ab homine, dum in corpore, non percipitur, nisi per aliquod laetum, sicut animus a mane diei: ita fit conjunctio veri quod fidei cum bono quod charitatis.

5872. Et non stetit quisquam cum illo in notum faciendo se ad fratres suos, quod significet quod non aliqua adessent cum

Coeleste Internum per Medium conjungeret se veris in naturali, constare potest ab illis quae mox supra n: 5871, explicata sunt, ita absque ulteriore expositione.

5873. Et edidit vocem suam in fletu, quod significet Misericordiam et gaudium, constat a significatione fletus, quod sit effectus Misericordiae, de qua n: 5480; et quoque sicut est effectus tristitiae, quod sit effectus amoris, n: 3801, [1] ita gaudium.

5874. Et audiverunt Aegyptii, quod significet usque ad ultima, constat ex significatione audire, nempe vocem in fletu, quod sit perceptio misericordiae et gaudii; et ex repraesentatione Aegyptiorum, quod sint scientifica, de qua n: 1164. 1165. 1186. 1462, ita ultima, nam scientifica apud hominem sunt ejus ultima. Quod scientifica sint ultima homini, nempe in ejus memoria et cogitatione, non apparet, videtur ei sicut faciant omne intelligentiae et sapientiae; sed non ita est, sunt modo vasa, in quibus illa quae intelligentiae et sapientiae, et quidem vasa ultima, nam conjungunt se cum sensualibus corporis: quod ultima sint, patet ei qui reflectit super cogitationem suam, quando inquirit in aliquod verum, quod scientifica tunc adsint, sed non appareant, nam cogitatio tunc extrahit quae continent, et quidem ex perpluribus huc illuc sparsis, etiam reconditis, et sic concludit; et quo interius vadit cogitatio, eo longius se ab illis removet: hoc manifestum potest esse ex eo, quod homo cum venit in alteram vitam, et fit spiritus, scientifica quidem secum habeat, sed illis non uti liceat, ob plures causas, n: 2476. 2477. 2479, et usque de vero et bono cogitat et loquitur multo distinctius et perfectius quam in mundo; inde constare potest, quod scientifica inserviant homini ad formandum intellectum, sed cum intellectus formatus est, quod tunc illa forment planum ultimum, in quo non homo amplius cogitat, sed supra illud.

5875. Et audivit domus Pharaonis, quod significet per universum naturale, constat ex repraesentatione Pharaonis, quod sit naturale in communi, de qua n: 5160. 5799, ita domus ejus est universum naturale.

5876. Vers: 3. 4. 5. *Et dixit Joseph ad fratres suos, ego Joseph, an adhuc pater meus vivit; et non potuerunt fratres ejus respondere illi, quia consternati a coram illo. Et dixit*

Joseph ad fratres suos, accedite quaeso ad me. et accesserunt, et dixit, ego Joseph frater vester. quem vendidistis me Aegyptum. Et nunc, ne dolori vobis sit, et ne irae sit in oculis vestris, quod vendideritis me huc, quia ad vivificationem misit me Deus ante vos. Et dixit Joseph ad fratres suos, significat quod Coeleste Internum daret perceptionis facultatem veris in naturali: ego Joseph, significat manifestationem: an adhuc pater meus vivit, significat boni spiritualis e naturali praesentiam: et non potuerunt fratres ejus respondere illi, significat quod vera in naturali nondum in statu loquendi essent: quia consternati a coram illo, significat commotionem inter illa: et dixit Joseph ad fratres suos, significat perceptionem novi naturalis: accedite quaeso ad me, significat communicationem interiorem: et accesserunt, significat effectum: et dixit, ego Joseph frater vester, significat manifestationem per influxum: quem vendidistis me Aegyptum, significat Internum quod abalienaverint: et nunc ne dolori vobis sit, significat anxietatem cordis seu voluntatis: et ne irae sit in oculis vestris, significat tristitiam spiritus seu intellectus: quod vendideritis me huc, significat quod abalienaverint ad infima: quia ad vivificationem misit me Deus ante [2] vos, significat vitam spiritualem inde illis ex Providentia.

5877. Et dixit Joseph ad fratres suos, quod significet quod coeleste Internum daret perceptionis facultatem veris in naturali, constat ex significatione dicere in historicis Verbi, quod sit perceptio, de qua n: 1898. 1919. 2080. 2619. 2862. 3395. 3509. 5687. 5743, hic dare perceptionis facultatem, de qua sequitur; ex repraesentatione Josephi, quod sit Coeleste Internum, de qua mox supra n: 5869; [3] et ex repraesentatione decem filiorum Jacobi, qui hic sunt fratres, quod sint vera in naturali, de qua n: 5403. 5419. 5458. 5512; inde sensus internus, quod Coeleste Internum daret perceptionis facultatem veris in naturali. Quod hic per dicere, significetur dare perceptionis facultatem, est quia in nunc sequentibus agitur de conjunctione Coelestis Interni, quod Joseph, cum veris in naturali, quae filii Jacobi, et cum conjunctio fit, datur facultas percipiendi nempe per affectionem veri, et sic boni.

5878. Ego Joseph, quod significet manifestationem, constat absque explicatione.

5879. An adhuc pater meus vivit, quod significet boni spiritualis e naturali praesentiam, constat ex repraesentatione Israëlis, qui hic pater, quod sit bonum spirituale e naturali, de qua n: 5801. 5803. 5806. 5812. 5817. 5819. [4] 5826. 5833, quod e naturali, n: 4286; et ex significatione an adhuc vivit, quod sit praesentia ejus; cogitatio enim prima Josephi, cum se manifestavit, erat de patre suo, quem scivit quod viveret, quapropter ille erat primum in cogitatione praesens, et quoque postea continue cum ad fratres suos loquitur; causa est, quia Conjunctio Coelestis Interni, quod Joseph, non fieri potest cum veris in Naturali, quae filii Jacobi, nisi per Bonum spirituale e naturali, quod Israël; et cum conjunctio facta, tunc non amplius sunt filii Jacobi, sed filii Israëlis, nam filii Israëlis sunt vera spiritualia in naturali.

5880. Et non potuerunt fratres ejus respondere illi, quod significet quod vera in naturali nondum in statu loquendi essent, constat ex repraesentatione filiorum Jacobi, qui hic fratres Josephi, quod sint vera in naturali, de qua supra n: 5877; et ex significatione non posse respondere, quod sit nondum esse in statu loquendi, nempe ex veris cum Interno. Hoc ita se habet, quando conjungitur Internum Externo, seu Bonum Vero, tunc primum fit communicatio a parte Interni cum Externo, at nondum Communicatio reciproca, quando haec, est conjunctio; quapropter postquam Josephus fleverat [5] super collis Benjaminis, et osculatus omnes fratres suos, dicitur quod tunc primum loquuti sint fratres cum illo, Vers: 15, quae significant, quod postquam conjunctio facta, reciproca communicatio ex receptione exstiterit.

5881. Quia consternati a coram illo, quod significet commotionem inter illa, constat ex significatione consternari, quod sit commotio, consternatio non aliud est; per commotionem intelligitur nova dispositio et ordinatio verorum in naturali: de qua ordinatione hoc sciendum; quo ordine scientifica et vera in memoria hominis disposita sunt, homo non scit, at angeli, cum Domino beneplacet, id sciunt, est enim ordo mirabilis, cohaerent fasciculatim, et quoque ipsi fasciculi inter se, et hoc secundum rerum nexum quem homo ceperat; cohaerentiae hae sunt mirabiliores, quam usquam aliquis homo credere potest; in al-

tera vita sistuntur illae quandoque videri, nam in luce coeli, quae spiritualis, talia possunt ad oculi visum exhiberi, nequaquam in luce mundi: scientifica et vera in formas hasce fasciculares unice ordinantur ab amoribus hominis: in formas infernales ab amoribus sui et mundi, in formas autem coelestes ab amore erga proximum, et amore in Deum: quapropter cum homo regeneratur, et conjunctio fit boni Interni hominis cum veris Externi, fit commotio inter vera, nam tunc aliter ordinantur; haec commotio est, quae hic intelligitur, et significatur per quod consternati fuerint: Commotio illa, quae tunc existit, manifestat se per anxietatem oriundam ex mutatione prioris status, nempe ex privatione jucundi quod fuerat in illo statu; commotio etiam illa se manifestat per anxietatem de vita anteacta, quod bonum internum, et ipsum internum, ad infima relegaverint, de qua anxietate in sequentibus agitur.

5882. Et dixit Joseph ad fratres suos, quod significet perceptionem novi Naturalis, constat ex significatione dicere, quod sit perceptio, de qua supra n: 5877; et ex repraesentatione filiorum Jacobi, quod sint vera in naturali, de qua etiam supra n: 5877, hic naturale: qui enim vera in naturali, etiam ipsum naturale repraesentant; sicut Pharao, qui quia scientifica in communi, quoniam Rex Aegypti, etiam ipsum Naturale in communi repraesentat, n: 5160. [6] 5799; Vera ibi, et ipsum naturale seu ipse naturalis homo, unum agunt, nam vera sunt contenta, et naturale continens; quapropter in sensu interno jam continens significatur, jam contentum, secundum seriem rerum. Quod filii Jacobi hic repraesentent Naturale novum, est quia in sensu interno hic describitur actus conjunctionis, qui est secundum illa in genere quae in explicatione communi, quod nempe cum conjunctio existit Interni cum Externo, seu Boni cum Vero, primum detur facultas perceptionis quod homo afficiatur vero et sic bono, et quod tunc commotio sentiatur: dein quod communicatio detur interior per influxum, et sic porro: ex his patet, quod Naturale, quod filii Jacobi hic repraesentant, sit Naturale novum, nam status ejus prior mutatus est, n: 5881.

5883. Accedite quaeso ad me, quod significet communicationem interiorem, constat a significatione accedere, quod sit communicare propius, [7] quod cum praedicatur de Externo

respective ad Internum, est communicare interius. Quod communicatio cum Naturali seu Externo homine, sit interior et exterior, homo nescit, ex causa quia nullam ideam sibi formaverat de Interno homine et ejus distincta vita a vita Externi hominis; de Interno non aliam ideam habet homo, quam quod intus sit, prorsus non distinctum [8] ab Externo, cum tamen ita distincta sunt, ut Internum possit separari ab Externo, et vivere vitam quam prius sed puriorem; quod etiam actualiter fit cum moritur homo, tunc Internum separatur ab Externo, et Internum, quod vivit post separationem, est quod tunc vocatur Spiritus, sed est ipse homo qui vixit in corpore, et quoque apparet sibi et aliis in altera vita sicut homo in mundo, cum omni ejus forma a Capite ad calcem; et quoque iisdem facultatibus est praeditus, quibus homo in mundo, nempe sentiendi cum tangitur, odorandi, videndi, audiendi, loquendi, cogitandi usque adeo, ut cum non reflectit super id quod in altera vita sit, putet quod in suo corpore in mundo sit, quod a spiritibus aliquoties audivi dictum. Ex his patet, quid Internum et Externum hominis; si inde capiatur idea de illis, aliquantum clariora evadent, quae de Interno et Externo homine tam saepe in explicationibus dicta sunt, tum quoque quid intelligitur per communicationem interiorem, quae hic significatur per accedite quaeso ad me.

5884. Et accesserunt, quod significet effectum, nempe quod communicatio interior facta, constat absque explicatione.

5885. Et dixit, ego Joseph frater vester, quod significet manifestationem per influxum, constat ex significatione dicere ego Joseph frater vester, quod sit manifestatio, ut supra n: 5878; quod per influxum, sequitur, quia Internum non aliter agit in Externum, et nunc magis cum communicatio interior facta, n: 5883; est manifestatio per influxum, quoad bonum, apperceptio ejus per affectionem Veri et est charitas, at quoad verum, est agnitio ejus et fides.

5886. Quem vendidistis me Aegyptum, quod significet Internum quod abalienaverint, constat a repraesentatione Josephi, qui est quem vendiderunt, quod sit Internum, de qua n: 5805. 5826. 5827; a significatione vendere, quod sit abalienare, de qua n: 4752. 4758; per Aegyptum hic significantur infima, ut infra n: 5889, nam referre aliquid inter scientifica absque

agnitione, est ejicere ad latera, ita ad ultima seu infima; ita quoque se habet cum Interno hominis hodie, hoc inter scientifica quidem est, quia scitur ex doctrinali quod Internus homo sit, sed rejectum est ad infima, quia non agnoscitur et creditur, ita ut abalienatum sit, non quidem e memoria, sed a fide. Quod vendere in sensu interno sit abalienare illa quae fidei et charitatis sunt, proinde illa quae faciunt Internae Ecclesiae hominem, constare potest ex eo, quod in mundo spirituali non sit emtio et venditio qualis in terra, sed appropriatio boni et veri quae per emtionem, et abalienatio eorum quae per venditionem significatur; per venditionem etiam significatur communicatio cognitionum boni et veri, ex causa quia per negotiationem significatur cognitionum illorum comparatio et communicatio, n: 2967. 4453, sed tunc venditio dicitur, non per argentum. Quod vendere sit abalienatio, patet etiam ab his locis in Verbo, apud Esaiam „Sic dixit Jehovah, ubi libellus repudii matris vestrae, quam dimiserim; aut quis est de usurariis meis, *cui vendiderim vos;* ecce ob peccata vestra *venditi estis*, et ob praevaricationes vestras dimissa est mater vestra" L: 1, mater pro Ecclesia, vendere pro abalienare. Apud Ezechielem „Venit tempus, advenit dies, *emtor* ne laetetur, et non *Venditor* lugeat; quia excandescentia super omni multitudine ejus; nam *Venditor* ad *rem venditam* non redibit, licet inter vivos adhuc vita illorum" VII: 12. 13, de terra Israëlis, quae est Ecclesia spiritualis, venditor pro qui abalienaverat vera, et insinuaverat falsa. Apud Joëlem „Filios Jehudae et filios Hierosolymae *vendidistis* filiis Graecorum, ut longe removeretis eos a terminis eorum. Ecce Ego excitabo illos e loco quo *vendidistis* illos; et *vendam* filios vestros, et filias vestras in manum filiorum Jehudae, qui *vendent* eos Sebaitis, populo longinquo" IV: 6. 7. 8, de Tyro et Sidone, vendere etiam pro abalienare. Apud Mosen „Petra eorum *vendidit* illos, et Jehovah conclusit illos" [Deut:] XXXII: 30; vendere manifeste pro abalienare; petra in supremo sensu est Dominus quoad verum, in repraesentativo est fides, Jehovah est Dominus quoad bonum. Quia emere est sibi comparare, et vendere est abalienare in sensu spirituali, ideo a Domino Regnum coelorum comparatur vendenti et ementi, apud Matthaeum „Simile est Regnum coelorum thesauro abscondito in agro,

quem repertum homo abscondit, et prae gaudio suo abit, et *omnia quaecunque habet*, *vendit*, et *emit* agrum illum. Rursus simile est Regnum coelorum homini negotiatori quaerenti pulchras margaritas; qui cum invenisset unam pretiosam margaritam, abiit, et *vendidit omnia quae habuit*, et emit illam » XIII: 44. 45. [?] 46; Regnum coelorum pro bono et vero apud hominem, ita pro coelo apud illum; ager pro bono, et margarita pro vero; emere pro comparare et appropriare sibi illa, vendere omnia quae habet pro abalienare proprium quod illi prius, ita mala et falsa, nam haec proprii sunt. Apud Lucam « Jesus ad juvenem principem; adhuc unum tibi deest, *omnia quae habes*, *vende*, et distribue pauperibus: tunc habebis thesaurum in coelo, et veni, sequere me » XVIII: 22; in sensu interno per illa verba intelligitur, quod omnia propria sua, quae non sunt nisi quam mala et falsa, abalienari debeant, nam illa sunt omnia quae habet, et quod tunc bona et vera accepturus sit a Domino, quae sunt thesaurus in coelo: similiter quae apud Eundem « *Vendite facultates vestras*, et date eleemosynam, facite vobis crumenas non veterascentes, thesaurum non deficientem in coelis » XII: 33; quisque videt quod alius sensus his inest, quia vendere suas facultates foret hodie mendicantem se facere, deprivare se omni facultate amplius charitatem exercendi, praeter quod non possit quin meritum ponatur in eo, et constans veritas est, quod tam divites in coelo sint quam pauperes; sensus ille alius qui inest, est qui mox supra dictus. Quia vendere significabat abalienare, illa quae Ecclesiae, ideo Lex, quod « uxor e foeminis captivis ducta, si non placuerit, dimitteretur sibi ipsi, *vendendo autem non venderetur*, pro argento, non lucrum fieret ex illa, pro eo quod afflixerit illam » Deut: XXI: 14, uxor ex foeminis captivis pro vero alieno non ex genuina stirpe, quod tamen adjungi aliquo modo potest cum bono Ecclesiae apud illum, hoc tamen si in pluribus non congruit, potest removeri, non autem abalienari, quia aliquo modo conjunctum fuit; hoc spirituale hujus legis est. Etiam haec Lex « Si invenietur vir qui furatus animam de fratribus suis, de filiis Israëlis, et quaesitum fecerit in eo, et *vendiderit illum*; occidetur fur hic, ut removeas malum e medio tui » Deut: XXIV: 7; fures filiorum Israëlis pro illis qui acquirunt sibi vera Ecclesiae, non fine vi-

vendi secundum illa, et ex corde sic docendi illa, sed quaestum sibi faciendi per illa, quod is damnatus sit, significatur per quod occidetur.

5887. Et nunc ne dolori vobis sit, quod significet anxietatem cordis seu voluntatis, constat ex significatione doloris, quod sit anxietas, et quidem cordis seu voluntatis, nam per ne irae sit in oculis vestris, quae verba statim sequuntur, significatur tristitia spiritus seu intellectus. Cordis seu voluntatis dicitur, ac spiritus seu intellectus, ex causa quia cor per correspondentiam se refert ad illa quae voluntatis sunt, nam refert se ad coeleste seu bonum amoris; et spiritus, qui est pulmonum, ad illa quae intellectus sunt, nam refert se ad spirituale seu verum fidei, videatur n: 3635. 3883 ad 3896.

5888. Et ne irae sit in oculis vestris, quod significet tristitiam spiritus seu intellectus, constat ex significatione irae, quod hic sit tristitia, quia sicut repetitio consimilis rei sequitur post illa verba, ne dolori vobis sit, per quae significatur anxietas cordis seu voluntatis; ubi enim in Verbo apparet sicut repetitio, unum se refert ad voluntatem, alterum ad intellectum, seu quod idem, unum ad bonum amoris, alterum ad verum fidei; et hoc ob conjugium coeleste, quod est boni et veri, in singulis Verbi, de qua re n: 683. 793. 801. 2173. 2516. 2712. 5502; et ex significatione oculorum, quod sint intellectus, de qua n: 2701. 4403 ad 4421. 4523 ad 4534.

5889. Quod vendideritis me huc, quod significet quod abalienaverint ad infima, constat ex illis quae supra n: 5886, explicata sunt.

5890. Quia ad vivificationem misit me Deus ante vos, quod significet vitam spiritualem illis ex Providentia, constat ex significatione vivificationis, quod sit vita spiritualis; de qua sequitur; et ex significatione misit me Deus ante vos, quod significet ex Providentia: quod ex Providentia, constare potest ex somniis Josephi, quibus praedictum, quod se incurvarent ei fratres ejus, ut et pater ejus, quod nisi provisum nec praevisum fuisset. Quod per vivificationem et vivificare, significetur vita spiritualis, seu vita nova per regenerationem, constare potest ex eo solo, quod spirituale Verbi non aliud possit esse; est vita naturalis et est vita spiritualis, vita naturalis intelligitur in Verbi sensu literae,

at spiritualis in sensu interno, et quoque multis in locis per vivificare et per vitam ipsa vita spiritualis intelligitur in sensu literae; ut apud Ezechielem „Cum dixero impio, *moriendo morieris*, nec admonueris illum, nec loquutus fueris ad dehortandum impium a via ejus mala *ad vivificandum illum*" III: 18. Apud Eundem" Prophanastis Me apud populum meum pro pugillis hordeorum et pro frustis panis, ad *occidendum animas quae non mori debent*, et ad *vivificandum* animas quae non *vivere* debent. Confirmatis manus impii, ut non revertatur a via sua mala *vivificando illum*" XIII: 19. 22. Apud Huscheam „Jehovah *vivificabit nos* post biduum, et in die tertio eriget nos, ut *vivamus* coram Ipso" VI: 2. Apud Davidem „Nisi crederem videre bonum *in terra vitae*" Psalm: XXVII: 13. Apud Johannem „Qui vincit, dabo ut comedat de *arbore vitae*, quae est in medio paradisi Dei" Apoc: II: 7. Apud Johannem Evangelistam „Quemadmodum Pater suscitat *mortuos*, et *vivificat*, ita etiam Filius quos vult *vivificat*" V: 21: apud Eundem „Spiritus est qui *vivificat*, caro non prodest quicquam; quae Ego loquor verba, spiritus sunt et *vita* sunt" VI: 63; in his locis vivificare et vita manifeste pro vita spirituali, quae est vita in coelo, quae quoque simpliciter vita vocatur, ut apud Matthaeum „Angusta et stricta via est, quae *ducit ad vitam*, et pauci sunt qui inveniunt illam" VII: 14, et alibi, intrare *in vitam* pro in coelum, Matth: XVIII: 8. 9. Cap: XIX: 17. Marc: IX: 43. 45. 47. Joh: V: 24.

5891. Vers: 6. 7. 8. *Quia hoc, anni duo famis in medio terrae, et adhuc quinque anni, quibus nulla aratio et messis. Et misit me Deus ante vos, ad ponendum vobis reliquias in terra, et ad vivificandum vos ad evasionem magnam. Et nunc non vos misistis me huc, sed Deus, et posuit me ad patrem Pharaoni, et ad dominum omni domui suae, et dominor in omni terra Aegypti.* Quia hoc, significat quod ita se habeat: anni duo famis in medio terrae, significat statum defectus boni in mente naturali: et adhuc quinque anni, significat status illius durationem usque dum reliquiae effulgent: quibus nulla aratio et messis, significat quod interea non appariturum bonum et inde verum: et misit me Deus ante vos, significat quod consul-

tum ex Divina Providentia: ad ponendum vobis reliquias in terra, significat medium et intimum Ecclesiae: et ad vivificandum vos, significat vitam inde spiritualem veris in naturali: ad evasionem magnam, significat liberationem a damnatione: et nunc non vos misistis me huc, significat quod illi ad scientifica quae naturalis non dimiserint: sed Deus, significat quod Divinum hoc egerit: et posuit me ad patrem Pharaoni, significat quod nunc Naturale ab ipso: et ad dominum omni domui suae, significat quod ab ipso omne in naturali: et dominor in omni terra Aegypti, significat quod ipse disponat scientifica ibi.

5892. Quia hoc, quod significet quod ita se habeat, constare potest absque explicatione, est enim dictio, quae se refert ad illa quae praecedunt, et ad illa quae sequuntur.

5893. Anni duo famis [in medio terrae], quod significet status defectus boni in mente naturali, constat ex significatione annorum, quod sint status, de qua n: 487. 488. 493. 893; ex significatione famis, quod sit defectus boni, panis enim in sensu spirituali est bonum amoris, et cibus est bonum veri, inde fames est defectus boni, sitis autem defectus veri; et ex significatione in medio terrae, nempe Aegypti, quod sit mens naturalis, de qua n: 5276. 5278. 5280. 5288. 5301; in medio dicitur, quia medium est intimum, n: 1074. 2940. [10] 2973, ubi bonum; anni duo, sunt status conjunctionis boni et veri, quia duo significant conjunctionem, n: 5194, hic nondum conjunctionem, quia [11] anni duo famis. Cum hoc ita se habet; in mente naturali erunt vera, ut bonum operari possit; et vera introducta erunt per affectionem quae amoris genuini; omnia quaecunque in memoria hominis sunt, introducta sunt per aliquem amorem, et ibi conjuncta manent; ita quoque vera quae fidei, si introducta sunt per amorem veri, vera illa cum isto amore conjuncta manent: cum conjuncta sunt, tunc ita se res habet; si reproducitur affectio, vera, quae ei conjuncta sunt, simul prodeunt; et si reproducuntur vera, ipsa affectio, cui conjuncta sunt, simul prodit: quapropter cum homo regeneratur, quod fit in adulta aetate, quia prius non de veris fidei cogitat ex se, regitur ille per Angelos a Domino, per id quod teneatur in veris, quae sibi impressit quod vera sint, et per illa in affectione cum qua conjuncta sunt; et quia affectio

illa, nempe veri, est ex bono, ducitur sic per gradus ad bonum. Quod ita sit, ex multa experientia mihi constat; appercepi enim, cum mali spiritus ingesserunt mala et falsa, quod Angeli tunc a Domino tenuerint me in veris, quae implantata fuerunt, et sic detinuerint a malis et falsis: inde etiam patuit, quod vera quae fidei, irradicata per affectionem veri, sint planum in quod Angeli operantur: quapropter qui non habent hoc planum, non possunt duci ab Angelis, sed se duci patiuntur ab inferno; operatio enim angelorum nullibi tunc figi potest, sed transfluit: at planum hoc non acquiri [12] potest nisi vera fidei missa fuerint in actum, et sic implantata voluntati, et per hanc vitae; memoratu etiam dignum est, quod operatio Angelorum in vera fidei apud hominem raro fiat manifeste, nempe ut excitetur cogitatio de illo vero, sed producitur idea communis talium, quae vero illi conveniunt, cum affectione, operatio enim illa fit per influxum imperceptibilem, qui cum sistitur videndus, apparet instar lucis influentis, quae lux consistit ex innumerabilibus veris in bono, quae unicum aliquod apud hominem, ambiunt, et tenent illum cum in vero, etiam in amore qui est istius veri; sic Angeli elevant mentem hominis a falsis, et tutantur a malis. Sed haec homini prorsus ignota sunt.

5894. Et adhuc quinque anni; quod significet status illius durationem, usque dum reliquiae effulgent, constat ex significatione quinque, quod sint reliquiae, de qua n: 5291; et ex significatione annorum, quod sint status, ut mox supra, n: 5893; duratio significatur per quod *adhuc* tot anni; ex his patet, quod per illa verba significetur status illius duratio, usque dum reliquiae effulgent. Reliquiae sunt vera et bona recondita in interiore homine a Domino, videatur n: 468. 530. [13] 560. 561. 660. 1050. 1738. 1906. 2284. 5135. 5342; hic reliquiae sunt veri agnitiones et affectiones, antequam bonum se manifestat; cum bono illae effulgent; interea ab illis tantum depromitur, quantum ad usum vitae conducit; talis est Providentia Domini, et quidem continua, tametsi homo nihil prorsus de illa scit, imo nec scire vult; negat enim Providentiam in singularibus, cum tamen est in omnium singularissimis, [14] a primo vitae stamine usque ad ultimum hominis, et dein in aeternum; plura Providentiae concurrunt uno quolibet momento apud unumquemvis

hominem, quam ut aliquo numero comprehendi possint: hoc scio e coelo.

5895. Quibus nulla aratio et messis, quod significet quod interea non appariturum bonum et inde verum, constat a significatione arationis, quod sit praeparatio a bono ad recipiendum vera, de qua sequitur; et a significatione messis, quod sint vera a bono, nam messis est seges jam matura quando colligitur, inde messis est verum quod ex bono; antequam hoc verum existit, quidem apparent vera, sed sunt vera per quae bonum, non autem vera ex bono: homo qui ex vero agit, in veris per quae bonum est; at qui ex bono agit, in veris quae ex bono est. Quod aratio dicatur esse bonum, est quia ager, qui aratur, significat Ecclesiam quoad bonum, n: 2971, ita bonum quod est Ecclesiae, n: 3310. 3317. 4982; inde arare est praeparatio a bono ad recipiendum vera: boves etiam, quibus arabatur, significant bona in naturali, n: 2180. 2566. 2781. Quia illa significatio arationis fuit, interdictum fuit in Ecclesia repraesentativa „ne *ararent bove* et asino simul" Deut: XXII: 10, quod nusquam interdictum fuisset, nisi propter aliquam causam ex interiori, ita ex spirituali mundo; quid mali alioquin foret, si ararent illi simul, et quid dignum in tali lege in Verbo; causa ex interiori seu ex spirituali mundo, est, quod arare bove significet bonum in naturali, et arare asino verum ibi, quod asinus sit verum scientificum, ita verum in naturali, videatur n: 4492. 5741; causa interior seu spiritualis hujus mandati fuit, quod Angeli non potuerint separatam ideam boni et veri habere, conjuncta erunt, et facient unum; quapropter non spectare voluerunt arationem talem, a bove et asino; angeli coelestes ne quidem cogitare volunt de vero separato a bono, omne enim verum apud illos est in bono, ita quoque illis verum est bonum: ob eandem causam, etiam interdictum fuit, „ne induerent mixtam vestem ex lana et lino simul" ibid: Vers: 11, lana enim significabat bonum, et linum verum. Quod arare, et quoque occare, serere, metere, significent talia, quae sunt boni et illius veri, constat apud Hoscheam „Equitare faciam Ephraimum, *arabit* Jehudah, *occabit* illi Jacob, *seminate* vobis secundum justitiam, *metite* secundum pietatem, *novate* vobis *novale* et tempus ad quaerendum Jehovam, donec veniat et doceat justitiam" X:

11. 12; equitare praedicatur de Ephraimo, quia equitare est intellectu frui, et Ephraim est intellectuale Ecclesiae; arare autem praedicatur de Jehudah, quia Jehudah est bonum Ecclesiae. Apud Amos „Num current in petra, equi, num *arabit bobus*, quod convertistis in fel judicium, et fructum justitiae in absinthium" VI: 11. 12; num current in petra equi, pro num intellecturus est verum fidei, petra enim in sensu spirituali est fides, Praef: ad Cap: XXII: Genes: et equi sunt illa quae intellectus, n: 2761. 2762. 3217. 5321; num arabit bobus, pro num facturus bonum, quod boves sint bonum in naturali, videatur n: 2180. 2566. 2781, quod hoc non fieri posset, significatur per verba quae sequuntur, quia convertistis in fel judicium, et fructum justitiae in absinthium. Apud Lucam „Dixit Jesus, nemo injiciens manum suam *in aratrum*, sed videns retrorsum, dispositus est ad regnum Dei" IX: 62; haec significant eadem cum illis quae Dominus dicit apud Matthaeum „Qui super domo est, ne descendat ad tollendum quid e domo sua: et qui in agro, ne revertatur retro ad tollendum vestimenta sua" XXIV: 17. 18; sensus illorum verborum est, qui in bono est, non inde se conferet ad illa quae sunt doctrinalium fidei, videatur n: 3652, ubi haec explicata sunt: ita qui injicit manum in aratrum, est qui in bono est, sed videns retrorsum, est qui tunc spectat ad doctrinalia fidei, et sic relinquit bonum; quia ita, displicuit Eliae, quod Elisha, qui in agro arans, cum vocatus, peteret, ut prius oscularetur patrem suum et matrem suam; dixit enim Elias, „abi, redi, *quid namque feci tibi*" I Reg: XIX: 19. 20. 21. In opposito sensu aratio significat malum quod delet bonum, ita vastationem, ut apud Jeremiam „Zion *ager arabitur*, et Hierosolyma acervi erunt, et mons domus in excelsa sylvae" XXVI: 18. [15] Mich: III: 12.

5896. Et misit me Deus ante vos, quod significet quod consultum ex Divina Providentia, constat ex significatione misit me Deus ante vos, quod sit Divina Providentia, ut supra n: 5890.

5897. Ad ponendum vobis reliquias in terra, quod significet medium et intimum Ecclesiae, constat ex significatione reliquiarum, quod sint bona juncta veris intus in homine recondita a Domino, de qua n: 468. 530. [13] 560. 561. 660. 1050. 1906.

2284. 5135. 5342, hic medium et intimum Ecclesiae, Medium et intimum dicitur, quia quod intimum apud hominem est, hoc in naturali, ubi intima et interiora simul sunt, medium tenet; in genere, quae in illis quae successive consequuntur, intima sunt, eadem in illis quae ex illis simul sunt, ut est in naturali, in medio seu centro sunt, ita se disponunt intima in exterioribus. Ad ponendum vobis reliquias in terra, involvit quod apud filios Jacobi intimum Ecclesiae erit, non quod illi in intimo essent, sed quod repraesentativum Ecclesiae in omni sua forma apud illos institueretur, et quod Verbum ibi; haec significantur per reliquias respective ad Ecclesiam abstracte a gente. Reliquiae tum Residui passim memorantur in Verbo, sed per illas et hos solum reliquiae et residui populi aut gentis secundum literam intellecti fuerunt; at quod in sensu spirituali significent bona et vera in interiore homine a Domino recondita, hactenus prorsus ignotum fuit; ut in sequentibus his locis: apud Esaiam „In die illo erit germen Jehovae in honorem et in gloriam; et fructus terrae in magnificentiam et ornamentum evasioni Israëlis, et fiet, *relictus* in Zione, et *residuus* in Hierosolyma, sanctus dicetur, omnis scriptus ad vitam in Hierosolyma" IV: 2. 3; relicti in Zione, et residui in Hierosolyma, nusquam sanctificati fuerunt, nec plus quam reliqui scripti, ad vitam, unde liquet quod per relictos et residuos intelligantur quae sancta sunt et scripta ad vitam; illa sunt bona conjuncta veris in interiori homine a Domino recondita. Apud Eundem „In die illo non addent amplius *Reliquiae Israëlis*, et evasio domus Jacobi inniti percussori suo, sed innitetur Jehovae, Sancto Israëlis in veritate. *Reliquiae* revertentur, *Reliquiae Jacobi* ad Deum potentem" X: 20. 21. 22; quod reliquiae non sint reliquiae alicujus populi aut gentis, constare potest ex eo, quod in Verbo imprimis Prophetico per Israëlem non Israël, nec per Jacobum Jacob intellectus fuerit, sed per utrumque Ecclesia et quod Ecclesiae est; et quia hoc, per reliquias non reliquiae Israëlis ac Jacobi, sed vera et bona, quae Ecclesiae, intelliguntur; imo nec reliquiae populi et residui gentis, cum ita dicitur, significant reliquias alicujus populi aut residuos alicujus gentis, quia per populum in sensu interno significantur vera, n: 1259. 1260. 3295. 3581, et per gentem bona, n: 1259. 1260. 1416; quod per

reliquias vera et bona significentur, ignotum fuerit, et peregrinum appareat, est quia sensus literalis, imprimis ubi est historicus, abstrahit, et fortiter detinet a cogitando talia. Apud Eundem „Tunc erit semita *Reliquiis populi*, quae *residuae erunt* ab Aschure, quemadmodum fuit Israëli per mare, cum ascenderet e terra Aegypti" XI: 16; similiter, residui ab Aschure, sunt qui non deperditi sunt per ratiocinia perversa, quod Aschur talia sint, videatur n: 1186. Apud Eundem „In die illo, erit Jehovah Zebaoth in coronam ornatus et cidarim decoris *Reliquiis populi sui*" XXVIII: 5. [16] Apud Eundem „Insuper addet evasio domus Jehudae *residua radicem* deorsum, et faciet fructum sursum; nam ex Hierosolyma exibunt *Reliquiae*, et evasio e monte Zionis" XXXVII: 31. 32. Apud Eundem „Butyrum et mel comedet omnis *residuus* in medio terrae" VII: 22. Apud Jeremiam „Congregabo *Reliquias gregis mei* ex omnibus terris, quo dispersi illas, et reducam illas ad caulam earum, ut foetificent et multiplicentur" XXIII: 3. Apud Eundem „Invenit gratiam in deserto populus *residuorum* gladio, eundo ad quietem dandum illi, Israëli" XXXI: 2; populus residuorum a gladio in deserto, fuerunt illi qui dicti infantes, qui, mortuis reliquis, introducti sunt in terram Canaanem; infantes illi fuerunt residui, et per illos significabantur bona innocentiae, et per introductionem in terram Canaanem repraesentabatur intromissio in Regnum Domini. Apud Ezechielem „*Residuos faciam*, cum fuerint vobis evasores gladio inter gentes, quando dispersi fueritis in terra, tunc recordabuntur evasores vestri Mei, inter gentes ubi captivi erunt" VI: 8. 9; quod bona et vera a Domino in interioribus hominis recondita, repraesentata fuerint per Residuos et Reliquias apud gentes, quo dispersi et ubi captivi facti sunt, est causa, quia homo continue inter mala et falsa est, et ab illis in captivitate, mala et falsa sunt quae per gentes significantur; Externus homo, quando separatus ab Interno, prorsus in illis est, quapropter nisi Dominus colligeret bona et vera, quae passim in vitae progressu insinuantur homini, [17] homo nusquam salvari posset; nam absque reliquiis est nulli salus. Apud Joëlem „Fiet, omnis qui invocaverit nomen Jehovae, et evadet, quia in monte Zionis et in Hierosolyma erit evasio, sicut dixit Jehovah, et inter *residuos*, quos Jeho-

vah vocans" III: 5. Apud Micham „Erunt *Reliquiae Jacobi* inter gentes, in medio populorum multorum, sicut leo inter bestias sylvae" V: 7. Apud Zephaniam „*Reliquiae Israëlis* non facient perversitatem, neque loquentur mendacium, nec invenietur in ore eorum lingua doli: hi pascent et requiescent, nec terrefaciens" III: 13; describuntur hic reliquiae quoad quale suum, hoc quale quod nusquam fuerit in populo Israël vocato, notum est; ex quo etiam patet, quod per reliquias intelligantur alia, quod bona et vera, liquet, quia haec sunt quae non faciunt perversitatem, non loquuntur mendacium, nec invenitur in ore eorum lingua doli. Apud Sachariam „Implebuntur plateae urbis pueris et puellis ludentibus in plateis ejus, quod mirabile erit in oculis *Reliquiarum populi mei:* jam non sicut diebus prioribus Ego *Reliquiis populi hujus*, nam *semen pacis*, vitis dabit fructum suum, et terra dabit proventum suum, et coeli dabunt rorem suum: haeredes faciam *Reliquias* populi hujus omnium istorum" VIII: 5. 6. 11. 12; reliquiae hic vocantur semen pacis, at sunt illi qui in veris boni, quorum fructificatio describitur per quod vitis dabit fructum suum, terra proventum suum, et coeli rorem suum. Reliquiae in sensu spirituali intellectae, per mala vitae et persuasiones falsi, intercluduntur usque ut non amplius appareant, et per negationem veri, quod prius agnitum fuit, utrumque ex affectione, consumuntur, nam hoc est commixtio veri et falsi, quae vocatur prophanatio: de his ita in Verbo; apud Esaiam „Removebit hominem, et multiplicabitur deserta in medio terrae, vix amplius in ea *pars decima*, et tamen erit ad exterminandum" VI: 12. 13; quod decem sint reliquiae, videatur n: 576. 1906. 2284. Apud Eundem „Occidam radicem tuam, et *Residuos tuos* occidet" XIV: 30, [18] de Philistaeis, qui sunt qui in scientia [19] cognitionum, et non in vita, n: 1197. 1198. 3412. 3413; residui vocantur radix, quia ex illis ut ex radice egerminant bona et vera, quae faciunt ut homo sit homo; quare removebit hominem, ut mox supra apud Esaiam, est perdere reliquias. Apud Jeremiam „Juvenes morientur gladio, filii eorum et filiae eorum morientur fame, et *Reliquiae non erunt eis*" XI: 23, de viris Anathoth. Apud Eundem „Sumam *Reliquias Jehudae*, qui posuerunt facies suas ad veniendum in terram Aegypti, ad peregrinandum ibi, ut con-

sumantur omnes; et non erit evasor, aut *residuus Reliquiis Jehudae*, qui venerunt ad habitandum in terra Aegypti" XLIV: 12. 14. 28, quod qui ex Jehudah non peregrinarentur in Aegypto, nec habitarent ibi, et quod hoc illis tam severe prohibitum fuerit, erat causa, quia tribus Jehudae repraesentabat coelestem Ecclesiam Domini, et coelestes prorsus non volunt scire de scientificis quae per Aegyptum significantur, sciunt enim omnia ex coelesti bono in quo sunt, quod bonum periret si se conferrent ad scientifica; imo qui a Coelesti Regno Domini, quia in coelesti bono sunt, et coeleste verum est charitas, at spirituale verum est fides, ne quidem nominare volunt fidem, ne a bono descendant et spectent retro, videatur n: 202. 337. 2715. 3246. 4448; haec etiam sunt quae intelliguntur per „qui super [20] domo, non descendet ad tollendum quid e domo; et qui in agro, non revertetur retro ad tollendum vestimenta" Matth: XXIV: 17. 18, videatur mox supra n: 5895, tum per illa verba „Mementote uxoris Lothi" Luc: XVII: 32, quae spectavit retro, et facta statua salis; de spectare et reverti retro, videatur n: 2454. 3652. Per Gentes, quae ita devovebantur, ut ne quidem aliqui residui relinquerentur, repraesentabatur quod iniquitas ita apud illos consummata fuerit, ut nihil boni et veri superesset, ita quod nullae reliquiae; ut apud Mosen „Percusserunt Ogum regem Baschanis, et omnes filios ejus, et omnem populum ejus, *usque dum non reliquerint residuos*" Num: XXI: 35. Deut: III: 3: apud Eundem „Ceperunt omnes urbes Sichonis, et devotioni dederunt omnem urbem hominis, et mulieres, et infantem, *non reliquerunt residuum*" Deut: II: 34; etiam alibi, ubi legitur quod devotioni dati fuerint. Cum Reliquiis, seu bonis et veris in interioribus hominis a Domino reconditis, ita se habet; cum homo in bono et vero est ex affectione, ita ex libero, tunc bonum et verum implantatur; et quando hoc, Angeli e coelo propius accedunt, et se conjungunt homini; haec conjunctio est, quae facit, ut bona cum veris in interioribus hominis existant; sed cum homo in externis est, ut cum in mundanis et corporeis, tunc removentur Angeli, quibus remotis nihil prorsus ex bonis et veris illis apparet; at usque, quia semel conjunctio facta est, homo in facultate conjunctionis cum Angelis est, ita cum bono et vero

quae illis, sed conjunctio illa non fit saepius et plus, quam Domino beneplacet, qui disponit illa secundum omnem vitae hominis usum.

5898. Et ad vivificandum vos, quod significet vitam inde spiritualem veris in naturali, constat a significatione vivificare, quod sit vita spiritualis, de qua supra n: 5890; quia omne vitae spiritualis est ex reliquiis, ideo dicitur vita *inde* spiritualis; et quia inde est, etiam statim post illa, quae de reliquiis dicuntur, dicitur „ad vivificandum vos," nempe vera in naturali, quae per filios Jacobi repraesentantur, n: 5403. 5419. 5427. 5458. 5512.

5899. Ad evasionem magnam, quod significet liberationem a damnatione, constat a significatione evasionis, quod sit liberatio a damnatione, quae liberatio fit per reliquias, hoc est, per bona et vera apud hominem a Domino recondita; qui recipiunt ea bona et vera, hoc est, qui patiuntur ut implantentur interioribus suis, illi evadunt damnationem, et sunt inter residuos: inde est quod Evasio memoretur in Verbo passim, ubi residui et reliquiae, sicut hic a Josepho, tum alibi, ut apud Esaiam „In die illo erit fructus terrae in magnificentiam et ornamentum *Evasioni Israëlis*, et fiet, *relictus* in Zione, et *residuus* in Hierosolyma, sanctus dicetur" IV: 2. 3. Apud Eundem „In die illo, non addent amplius *Reliquiae Israëlis*, et *Evasio domus Jacobi*, inniti percussori suo" X: 20. 21. 22. Apud Eundem „Insuper addet *Evasio domus Jehudae residua* radicem deorsum, et faciet fructum sursum; nam ex Hierosolyma exibunt *Reliquiae*, et *Evasio* e monte Zionis" XXXVII: 31. 32 Apud Ezechielem „*Residuos* faciam, cum fuerint vobis *Evasores* a gladio inter gentes, quando dispersi fueritis in terra; tunc recordabuntur *Evasores* vestri Mei" VI: 8. 9. Apud Joëlem „Fiet omnis qui invocaverit Nomen Jehovae, *Evadet;* quia in monte [21] Zionis et in Hierosolyma erit, *Evasio*, sicut dixit Jehovah, et inter *residuos* quos Jehovah vocans" III: 5. Apud Jeremiam [22] „Non erit *Evasor* aut *residuus reliquiis* [23] *Jehudae*" XLIV: 12. 14. Ex his locis patet, quid evadere, quod nempe qui evadunt sint illi qui reliquias habent, et quod evadere sit liberari a damnatione.

5900. Et nunc non vos misistis me huc, quod significet

quod illi ad scientifica quae naturalis non dimiserint, constat ex significatione Aegypti, qui [24] est *huc* quo missus, quod sint scientifica quae in naturali, de qua n: 1164. 1165. 1186. 1462. 4749. 4964. 4966. 5700; quod vos non misistis me, sit quod illi non dimiserint, patet.

5901. Sed Deus, quod significet quod Divinum hoc egerit, constat absque explicatione. Quomodo cum his se habet, explicatum est, ubi de Josepho, quod venditus in Aegyptum, et ibi primum ministraverit in domo Potiphari; quod nempe, quia in supremo sensu repraesentabat Dominum, et in sensu inferiori illos qui a Domino regenerantur, scientifica sint prima quae discenda; sunt enim illa ex quibus vera concludenda sunt, et in quibus dein vera terminanda; postmodum versus interiora magis fit progressus: haec sunt quae Josephus repraesentabat; et quia ita, Divinum fuit quod misit illum illuc.

5902. Et posuit me ad patrem Pharaoni, quod significet quod nunc naturale ab ipso, constat a repraesentatione Pharaonis, quod sit naturale in communi, de qua n: 5160. [25] 5799; quod ab ipso, significatur per quod positus sit ad patrem, nam a patre dependent filii. Per patrem in proprio sensu significatur Bonum, n: 2803. 3703. 3704. 5581, [26] et quia a Bono dependent omnia tam in interno quam in externo homine, ita per quod Deus posuerit eum ad Patrem Pharaoni, significatur, quod ab ipso, ut a Bono, Naturale; repraesentat enim Josephus Coeleste internum, seu Bonum internum, n: 5805. 5826. 5827. 5869. 5877, hoc per influxum ordinat omnia in naturali, et tandem facit ut Naturale sit ab ipso.

5903. Et ad dominum omni domui suae, quod significet quod ab ipso omne in naturali, constat a significatione omnis domus Pharaonis, quod sit omne in naturali; quod ab ipso omne ibi, significatur per quod positus sit ad dominum super illam: dominus etiam in Verbo praedicatur de Bono.

5904. Et dominor in omni terra Aegypti, quod significet quod ipse disponat scientifica ibi, constat ex significatione dominari, quod sit disponere; et a significatione terrae Aegypti, quod sit mens naturalis, de qua n: 5276. 5278. 5280. 5288. 5301, ita omnia scientifica, nam haec sunt illius mentis; scientifica sunt quae constituunt illius mentis intellectuale, Bonum

autem quod influit ab Interno, et disponit ibi scientifica, est quod facit ibi quasi voluntarium.

5905. Vers: 9. 10. 11. 12. 13. *Festinate et ascendite ad patrem meum, et dicatis ad illum, ita dixit filius tuus Joseph, posuit me Deus ad dominum omni Aegypto, descende ad me, ne subsistas. Et habitabis in terra Goschen, et eris propinquus ad me, tu et filii tui, et filii filiorum tuorum, et greges tui, et armenta tua, et omne quod tibi. Et sustentabo te ibi, quia adhuc quinque anni famis, ne forte exstirperis tu et domus tua, et omne quod tibi. Et ecce oculi vestri vident, et oculi fratris mei Benjaminis, quod ore loquens ad vos. Et indicetis patri meo omnem gloriam meam in Aegypto, et omne quod videtis, et festinetis, et descendere faciatis patrem meum huc.* Festinate et ascendite ad patrem meum, significat ad bonum spirituale: et dicatis ad illum, ita dixit filius tuus Joseph, significat perceptionem illius de Coelesti Interno: posuit me Deus ad dominum omni Aegypto, significat quod disponat omnia et singula in naturali: descende ad me, ne subsistas, significat conjunctionem certam: et habitabis in terra Goschen, significat Medium in Naturali: et eris propinquus ad me, significat conjunctionem perpetuam: tu et filii tui, et filii filiorum tuorum, significat bonum spirituale, et omnia quae ab illo, et quae ab his: et greges tui, et armenta tua, significat bonum naturale interius et exterius: et omne quod tibi, significat quicquid ab illo: et sustentabo te ibi, significat continuum influxum vitae spiritualis a Coelesti Interno: quia adhuc quinque anni famis, significat durationem defectus boni: ne forte exstirperis, significat ne pereat: tu et domus tua, et omne quod tibi, significat bonum spirituale et omne illius: et ecce oculi vestri vident, significat testificationem ex perceptione: et oculi fratris mei Benjamin, significat a perceptione Medii: quod ore loquens ad vos, significat manifestationem: et indicetis patri meo omnem gloriam meam in Aegypto, significat communicationem coeli spiritualis in naturali cum bono spirituali: et omne quod videtis, significat quicquid ibi apperceptum et perceptum: et festinetis et descendere faciatis patrem meum huc, significat conjunctionem arctam.

5906. Festinate et ascendite ad patrem meum, quod signi-

ficet ad bonum spirituale, constat ex repraesentatione Israëlis, qui hic est pater, quod sit bonum spirituale e naturali, de qua n: 5801. 5803. 5806. 5812. 5817. 5819. 5826. 5833. Quod Bonum spirituale sit pater Coelestis Interni, cum tamen Bonum spirituale est Externum respective, quia e naturali, est inde, quoniam homo, antequam Internus homo existit, erit Externus, progressio enim fit ordine ab exterioribus ad interiora, ut a scientificis ad intellectualia, exteriora enim dein inservient pro plano interioribus; ex hac progressione, seu ex hac nativitate, est, quod Externum dicatur pater Interni, consequenter bonum spirituale e naturali, quod Israël, pater Coelestis Interni, quod Joseph.

5907. Et dicatis ad illum, ita dixit filius tuus Joseph, quod significet perceptionem illius de Coelesti Interno, constat ex significatione dicere in historicis Verbi, quod sit perceptio, de qua saepius; et ex repraesentatione Josephi, quod sit Coeleste Internum, de qua n: 5869. 5877: quod significetur perceptio boni spiritualis, quod Israël, de Coelesti Interno, quod Joseph, est quia dixit filius tuus. Joseph in sensu interno est perceptivum influxus a Coelesti Interno in bonum spirituale.

5908. Posuit me Deus ad dominum omni Aegypto, quod significet quod disponat omnia et singula in naturali, constat ex significatione esse positus ad dominum, quod sit disponere, ut supra n: 5903. 5904; et ex significatione omnis Aegypti, quod sint scientifica in naturali, ita omnia et singula ibi, ex scientificis enim est naturale; quod Aegyptus sit scientificum, prius pluries est ostensum.

5909. Descende ad me ne subsistas, quod significet conjunctionem certam, constat ex significatione descendere seu venire ad me, quod sit conjunctio; et a significatione ne subsistas, quod sit certum.

5910. Et habitabis in terra Goschen, quod sit medium in naturali, constat ex significatione habitare, quod sit vivere, de qua n: 1293. 3384. 3613. 4451; et ex significatione terrae Goschen, quod sit medium seu intimum; quae terra quia in Aegypto, et per Aegyptum significatur scientificum quod in naturali, est medium seu intimum in naturali; erat enim Goschen tractus terrae Aegypti optimus, et quod optimum est, hoc in

naturali, ubi scientifica, in medio seu in centro est; ipsum enim bonum sicut solare quoddam ibi est, et inde dat lucem veris quae a lateribus.

5911. Et eris propinquus ad me, quod significet conjunctionem perpetuam, constat a significatione propinquus esse, quod sit conjunctio perpetua, nam per venire ad Josephum, significatur conjunctio, n: 5909, inde propinquus esse ei, ita continue prope illum, est conjunctio perpetua.

5912. Tu et filii tui, et filii filiorum tuorum, quod significet bonum spirituale, et omnia quae ab illo, et quae ab his, constat ex repraesentatione Israëlis, qui hic est tu, quod sit bonum spirituale, de qua supra n: 5906; ex significatione filiorum ejus, quod sint quae ab illo, et sunt vera in naturali, quae repraesentantur per filios ejus; et ex significatione filiorum filiorum ejus, quod sint quae ab his, nempe vera iterum nata et derivata: Bonum enim cum primo loco est, et dominium habet, producit vera continuo; multiplicat illa circum se, et quoque circum unumquodvis verum, et facit unumquodvis verum sicut stellulam, in cujus medio est luminosum; bonum nec modo multiplicat vera circum se, sed etiam producit a veris vera per derivationes successive, quae sunt filii filiorum seu nepotes, et sic porro. Joseph fratres suos non aliter ad se invitat, quam per patrem, dicendo, quod is cum filiis et filiis filiorum veniret; causa est, quia conjunctio Coelestis Interni cum veris in naturali non datur nisi quam per Medium.

5913. Et greges tui, et armenta tua, quod significet bonum naturale interius et exterius, constat a significatione gregis, quod sit bonum interius, de qua n: 2566, hic bonum interius naturale, quia erant greges Israëlis, per quem repraesentatur bonum spirituale *e naturali*, n: 5906; et ex significatione armenti, quod sit bonum exterius naturale. Quod per armentum significetur bonum exterius, et per greges interius, est quia bestiae quae constituebant armentum, ut boves et juvenci, in sacrificiis significabant bona charitatis externa, tum bona externi hominis; at quae constituebant greges, ut agni, oves, caprae, significabant bona charitatis interna, tum bona interni hominis; quare qui in his bonis sunt, in Verbo una voce vocantur grex, et qui ducit illos, Pastor.

5914. Et omne quod tibi, quod significet quicquid ab illo, constat a significatione omne quod tibi, quod sit id quod ab illo: nam bona et vera in naturali sunt a bono spirituali, ut a patre, inde quia ab illo, sunt illius.

5915. Et sustentabo te ibi, quod significet continuum influxum vitae spiritualis a Coelesti Interno, constat ex significatione sustentare, cum dicitur a Josepho, per quem repraesentatur Coeleste Internum, quod sit influxus vitae spiritualis a Coelesti Interno, sustentatio in spirituali sensu non aliud est quam influxus boni et veri per Coelum a Domino, inde sustentantur Angeli, et inde sustentatur anima hominis, hoc est, internus ejus homo: huic sustentationi correspondet sustentatio Externi hominis per cibum et potum; quapropter per cibum significatur bonum, et per potum verum; talis etiam est correspondentia, ut cum vescitur homo cibo, Angeli apud illum in idea de bono et vero sint; et quod mirum, cum differentia secundum cibi species: quapropter cum homo in Sancta Coena accipit panem et vinum, angeli apud illum in idea de bono amoris et de bono fidei sunt, n: 3464. 3735, ex causa, quia panis correspondet bono amoris, et vinum bono fidei; et quia correspondent, etiam eadem significant in Verbo. Quod per cibum et potum spiritualem, hoc est, per bonum et verum, sustentetur anima hominis, hoc est, internus homo, constat a Domini verbis apud Mosen „Non per panem solum vivit homo, sed per omne enuntiatum oris Jehovae vivit homo" Deut: VIII: 3. Matth: IV: 4; enuntiatum oris Jehovae est bonum et verum, quae ab Ipso procedunt. Apud Johannem „Operamini cibum, non qui perit, sed cibum qui manet in vitam aeternam, quem Filius hominis vobis dabit" VI: 27. Apud Eundem „Rogarunt Jesum discipuli, dicentes, Magister, ede: Ipse dixit illis, Ego cibum habeo quem edam, quem vos nescitis" IV: 31. 32. Et de potu, apud Eundem „Dixit Jesus, si quis sitiverit, venito ad Me, et bibito; quisquis credit in me, sicut dixit Scriptura, flumina e ventre ejus fluent aquae viventis" VII: 37. 38.

5916. Quia adhuc quinque anni famis, quod significet durationem defectus boni, constat ex illis quae de fame et de quinque, supra n: 5893. 5894, dicta et explicata sunt.

5917. Ne forte exstirperis, quod significet ne pereat, constat absque explicatione.

5918. Tu et domus tua, et omne quod tibi, quod significet bonum spirituale, et omne illius, constat ex repraesentatione Israëlis, qui hic est tu, quod sit bonum spirituale, de qua prius; quod domus tua, et omne quod tibi, sit omne illius, patet.

5919. Et ecce oculi vestri vident, quod significet testificationem, ex perceptione, constat ex significatione oculorum et videre, quod sit perceptio, de qua n: 2150. 3764. 4567. 4723. 5400; quod sit testificatio, patet.

5920. Et oculi fratris mei Benjamin, quod significet imprimis a perceptione Medii, constat ex significatione oculorum et videre, quod sit intelligere, et inde percipere, ut supra n: 5919: et a repraesentatione Benjaminis, quod sit Medium, de qua n: 5411. 5413. 5443. 5639. 5688. 5822. Cum hoc ita se habet; Benjamin, quia repraesentabat Medium, et hoc Medium erat Verum interius, n: 5600. 5631, immediate dependens ex Bono Interno, quod Joseph, idcirco ei perceptio clarior et exquisitior, quam veris quae infra seu externis, quae decem ejus fratres repraesentabant; Verum enim et Bonum, quo propius est Interno, eo perfectius habent perceptivum, sunt penitius in luce coeli, ac ita propius Domino; influxus namque Divini Boni et Veri a Domino, progreditur per continuas mediationes [27] et sic successiones, quare qui in primis seu initiis sunt, excipiunt influxum perceptione clariore, quia immediatius, quam qui in mediis et ultimis; obscuratur successive bonum et verum, sicut lux, ad distantias, nam imperfectiora, quae per gradus succedunt, hebetant. Ex his patet, quomodo intelligitur testificatio imprimis a perceptione Medii, est enim Medium interius, et vera, quae filii Jacobi repraesentant, sunt exteriora.

5921. Quod ore loquens ad vos, quod significet manifestationem, constat ex eo, quod prima testificatio fuerit quod oculi eorum viderent, altera quod oculi Benjaminis, jam tertia quod ore loqueretur ad eos, ex quibus omne dubium, quin ipse esset Josephus, sustulit, consequenter plene se manifestavit; inde illa verba involvunt manifestationem.

5922. Et indicetis patri meo omnem gloriam meam in Aegypto, quod significet communicationem coeli spiritualis in Na-

turali cum Bono spirituali, constat ex significatione indicare, quod sit communicare; ex significatione gloriae, quod sit coelum spirituale, de qua sequitur; ex significatione Aegypti, quod sint scientifica quae in naturali, ita naturale, ut supra n: 5908; et ex repraesentatione Israëlis, qui hic pater cum quo communicatio fieret, quod sit bonum spirituale, de qua supra n: 5906; inde patet, quod per indicetis patri meo omnem gloriam meam in Aegypto, significetur communicatio coeli spiritualis in naturali cum bono spirituali. Cum hoc, quod gloria sit coelum spirituale, ita se habet; sunt duo Regna, ex quibus coelum, nempe Regnum Coeleste, et Regnum spirituale, Regnum Coeleste est intimum seu tertium Coelum, et Regnum spirituale est medium seu secundum; Bonum in quo Coelestes sunt, vocatur Bonum coeleste, et Bonum in quo Spirituales, vocatur Bonum spirituale; Bonum coeleste est Bonum amoris in Dominum, et Bonum spirituale est Bonum amoris erga proximum; cum conjunctione duorum illorum Regnorum, ita est, est Bonum Charitatis erga proximum, quod illa conjungit, Internum enim illorum qui in Coelesti Regno sunt, [est] amor in Dominum, et externum eorum est Charitas erga proximum; internum vero illorum, qui in spirituali Regno sunt, est Charitas erga proximum, et Externum eorum est fides inde; ex quo apparet, quod conjunctio duorum illorum Regnorum fiat per Charitatem erga proximum, nam in illam desinit Regnum Coeleste, et ab illa inchoat Regnum spirituale, ita ultimum unius est primum alterius, sic excipiunt se mutuo. Nunc dicatur quid Gloria; Gloria in supremo sensu est Dominus quoad Divinum Verum, ita est Divinum Verum quod procedit a Domino; Gloria autem in sensu repraesentativo est Bonum Amoris erga proximum seu Charitas, quae est Bonum externum Regni Coelestis, et internum Regni spiritualis Domini, nam hoc bonum in genuino sensu est Divinum Verum in Coelo: et quia agitur hic de Israële, qui est bonum spirituale, seu Charitas, quae facit Regnum spirituale in coelis, et Ecclesiam spiritualem in terris, idcirco per gloriam Josephi hic, quam indicarent Israëli, intelligitur Coelum spirituale. Coelum spirituale vocatur Gloria, quia illa quae ibi, apparent in luce, in splendore, in jubare. Quod Gloria praedicetur de Divino Vero quod a Divino Humano Domini, et quod tribuatur

Domino ut Regi, Regium enim in sensu interno est Divinum Verum, n: 1728. 2015. 2069. 3009. 3670. [28] 4581. 4966. 5044. 5068, constat apud Johannem „Caeterum Verbum Caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus *Gloriam* Ipsius, *Gloriam* sicut Unigeniti a Patre, plenus gratia et *veritate*" I: 14; Verbum est Divinum Verum, hoc quia procedit a Domino, est Ipse Dominus, inde de Divino Vero praedicatur Gloria. Apud Lucam, Cum Jesus in monte transformatus „Ecce Viri duo colloquuti sunt cum Ipso, qui erant Moses et Elias, *qui visi in gloria*" IX: 30. 31, ostendebat ibi Dominus Petro, Jacobo, et Johanni, Divinum Humanum suum, quale erat et apparebat in luce Divina, et forma in qua tunc visus, sistebat Verbum quale est in sensu interno, ita quale Divinum Verum in Coelo, nam Verbum est Divinum Verum pro usu Ecclesiae; ideo quoque simul sistebatur, quod Moses et Elias loquerentur cum Ipso, per Mosen enim repraesentatur Lex, per quam intelliguntur Libri ejus cum Historicis, et per Eliam prophetae seu Verbum propheticum; quod per Mosen illa, videatur Praefatio ad Cap: XVIII, Genes: tum n: 4859 fin: et quod per Eliam hoc, eadem Praefatio, tum n: 2762. 5247 ad fin. Apud Matthaeum „Videbunt Filium hominis venientem in *Nubibus coeli*, cum virtute et *gloria*" XXIV: 30; quod sensus literalis Verbi sit Nubes, et sensus internus sit gloria, consequenter Divinum Verum quale est in Coelo, videatur Praefat: ad Cap: XVIII, Genes: et quod gloria sit intelligentia et sapientia quae Divini veri, n: 4809; Verbum quoad sensum externum est in Nube, ex causa, quia mentes humanae sunt in tenebris, quare si Verbum non foret in Nube, vix ab aliquo intelligeretur, et quoque sancta, quae sunt sensus interni, a malis in mundo prophanarentur; idcirco dicit Dominus apud Esaiam „Creabit Jehovah super omne habitaculum montis Zionis, et super convocationes ejus, *Nubem* interdiu, et splendorem ignis flammae noctu; nam *super omni gloria obtegumentum*, et *tabernaculum* erit *in umbram* interdiu" IV: 5. 6; inde quoque erat, quod super Tabernaculo apparuit nubes interdiu, et ignis noctu, quia Tabernaculum repraesentabat Divinum Humanum Domini, proinde Divinum Verum quod ab Ipso procedit, ita Verbum quod est Divinum Ve-

rum Ecclesiae, videatur n: 3210. 3489; [29] tale significatur per haec apud Mosen „Obtexit *Nubes* Tentorium conventus, et *Gloria Jehovae* implevit Habitaculum" Exod: XL: 34; apud Eundem „*Gloria Jehovae* apparuit in Tentorio conventus coram omnibus filiis Israëlis" Num: XIV: 10: et alibi „Obtexit Tentorium *Nubes*, et apparuit *gloria Jehovae*" XVII: 7. Similiter Nubes et Gloria super monte Sinai, de quibus ita apud Mosen „Cum ascendit Moses in montem, obtexit *Nubes* montem, et habitavit *Gloria Jehovae* super monte Sinai sex dies" Exod: XXIV: 15. 16; haec quoque repraesentabantur, quia Lex, quae est Divinum Verum, e monte illo promulgabatur: quod Nubes visa et Gloria Jehovae, cum Moses ascendit in Montem, erat quia in illo repraesentabat Legem, hoc est, Verbum Historicum, inde aliquoties dicitur Moses et Prophetae, aut Lex et Prophetae, perque Legem intelliguntur ejus Libri cum Historicis reliquis, non autem Prophetae, quia hoc Verbum repraesentabatur per Eliam et Elisaeum; est enim Verbum Historicum et Propheticum, ut notum est; quapropter cum Verbum vocatur Lex et Prophetae, per Legem intelligitur Verbum Historicum, et per Prophetas Propheticum. Divinum Verum etiam repraesentabatur per splendorem instar iridis in nube circum Cherubos, et supra illos, apud Ezechielem, ubi de illis ita „Vidi aspectum ignis, sicut splendor circumcirca, sicut aspectus *iridis* quae est *in nube* in die pluviae; hic aspectus similitudinis *Gloriae Jehovae*" I: 26. 27. 28, et vocatur quoque *gloria Jehovae*, et *gloria Dei Israëlis*, Cap: VIII: 4. Cap: X: 18. 19. Cap: XI: 22. 23, gloria Jehovae vocatur respective ad coelum intimum, et gloria Dei Israëlis respective ad Coelum medium seu spirituale; quod Divinum Verum in Coelis appareat in gloria, est quia ipsum Verum in Coelo spirituali coram oculis apparet ut candida nubes, quam etiam aliquoties videre datum est, ac Bonum in Vero illo apparet ibi ut igneum, inde nubes per ignem variegata dat aspectus mirabiles, qui sunt gloria in sensu externo; at gloria in sensu interno est intelligentia et sapientia; hae quoque sunt, quae repraesentantur per illa. Quod Divinum Verum, ex quo omnis sapientia et intelligentia, tum apparentia variegatae nubis coram visu externo, sit Gloria, etiam constat ab his locis; apud Mosen „Dixit Jehovah, vivus Ego, et implebitur *gloria Jeho-*

vae universa terra" Num: XIV: 21, hoc a Jehovah dictum est, cum repudiabatur populus Israëliticus, et dictum quod infantes eorum modo venirent in terram Canaanem, tunc per quod universa terra impleretur gloria Jehovae, significabatur, quod in repraesentativis Ecclesiae apud illos, et in Verbo quod quoad plurimam partem de illis, esset gloria Jehovae, qua impleretur totum coelum, et inde Ecclesiae sancta. Apud Esaiam „Seraphim clamabant, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Jehovah Zebaoth, *plenitudo omnis terrae Gloria Ipsius*" VI: 3. Apud Eundem „Revelabitur *Gloria Jehovae*, et videbunt omnis Caro simul" XL: 5. Apud Eundem „Propterea in Urim *Gloriam date Jehovae*, in insulis maris Nomini Jehovae Dei Israëlis" XXIV: 15; Urim pro luce, quae est ex Divino Vero procedente a Domino, insulae maris, pro illis qui remotiores a Vero sunt, n: 1158. Apud Eundem „*Gloria Libani* data est illi, *honor* Carmeli et Scharonis; illi videbunt *Gloriam Jehovae, honorem* Dei nostri" XXXV: 2; Libanus pro Ecclesia spirituali, Carmelus et Scharon pro Ecclesia Coelesti, de hac praedicatur Gloria Jehovae cum intelligitur Coeleste verum quod est Charitas, de illa praedicatur honor Dei Israëlis cum intelligitur spirituale Bonum, quod etiam est charitas. Apud Eundem „Surge, illuminare, quia venit *lux tua*, et *Gloria Jehovae* super Te exorta est, nam ecce tenebrae obtegunt terram, et caligo populos; sed super Te exorietur Jehovah, et *Gloria Ipsius* super Te videbitur" LX: 1. 2; ibi de Domino, qui vocatur Lux, ut apud Johannem Cap: I: Vers: 4. 9; et dicitur, quod super Ipsum exorietur Gloria Jehovae, hoc est, quod Ipsi Divinum Verum. Similiter apud Eundem „Propter me, propter Me faciam, nam quid prophanaretur, *Gloriam meam non alii do*" XLVIII: 11; ibi etiam de Domino, gloria in supremo sensu pro Divino Humano, ita quoque pro Divino Vero, quia hoc ab Illo; non alii dare gloriam, est modo Divino Humano, quod unum cum Se. Apud Johannem „Civitas sancta Hierosolyma, descendens e Coelo, *habens gloriam Dei*, et luminare illius simile lapidi pretiosissimo" Apoc: XXI: 11; Civitas sancta Hierosolyma, est Regnum Spirituale Domini in Coelis, et Ecclesia spiritualis Ipsius in terris, de quibus praedicatur Gloria; luminare est verum a Divino. Quia Divinum Verum est quod repraesentatur per Re-

gium in Verbo, siquidem Dominus quoad Divinum Verum repraesentabatur per Reges, videantur loca mox supra citata, ideo ipsi ut Regi tribuitur Gloria, ut apud Davidem „Attollite portae Capita vestra, et extollimini ostia mundi, ut ingrediatur *Rex gloriae;* quis hic *Rex gloriae,* Jehovah fortis et heros, Jehovah heros belli. Attollite portae capita vestra, et attollite ostia mundi, *ut ingrediatur Rex gloriae;* quisnam hic est *Rex gloriae,* Jehovah *Zebaoth* hic est *Rex gloriae*" Psalm: XXIV: 7. 8. 9. Apud Esaiam „*Regnabit* Jehovah *Zebaoth* in monte Zionis et in Hierosolyma, et coram senioribus Ipsius, *Gloria*" XXIV: 23; gloria pro Divino Vero; Jehovah dicitur Jehovah Zebaoth, seu Jehovah exercituum, ubi agitur de Divino Vero, nam per Exercitus significantur vera, n: 3448. Et quia per Regnum repraesentabatur Divinum Verum, ideo Thronus, super quo sedebant Reges cum judicabant, vocabatur *Thronus gloriae,* Esai: XXII: 23. Jerem: XIV: 21. Cap: XVII: 12; [30]et apud Matthaeum „ Filius hominis sedebit super *Throno gloriae suae*" XIX: 28; apud Eundem „Quando venerit Filius hominis *in gloria sua*, et omnes sancti Angeli cum Ipso, tunc sedebit *super Throno gloriae suae:* et dicet *Rex* illis" XXV: 31. 34. 40; quod Thronus dictus Thronus gloriae, etiam erat causa, quia judicia fiebant ex Vero. Apud Eundem „ Venturus Filius hominis *in Gloria Patris sui*, cum Angelis suis, et tunc reddet unicuique juxta facta illius" XVI: 27. Ex his etiam patet, quid per Gloriam in Oratione Dominica intelligitur „Tuum est Regnum, Potentia et *Gloria*, in saecula" Matth: VI: 13. Regnum spirituale Domini in Coelis, et Ecclesia [31] spiritualis in terris, vocatur quoque *Decus*, Esai: LX: 7. Cap: LXIII: 15. Cap: LXIV: 10. Dan: VIII: 9. 10. 11. Cap: XI: 16. 41. 45. Etiam ideo Gloria a Josepho dicitur, quia ipse Josephus repraesentat in supremo sensu Dominum quoad Divinum spirituale seu Divinum Verum, in sensu interno Regnum spirituale Ipsius, tum Bonum fidei, videatur n: 3969. 4669. 4723. 4727.

5923. Et omne quod videtis, quod significet quicquid ibi apperceptum et perceptum, constat ex significatione videre, quod sit intelligere, et inde percipere et appercipere, de qua n: 2150. 2325. 2807. 3764. 3863. 4403 ad 4421. 4567. 4723. 5400.

5924. Et festinetis et descendere faciatis patrem meum huc, quod significet conjunctionem arctam, constat ab illis supra n: 5299, [32] et quia hic denuo idem dicitur et ex affectione amoris, est conjunctio arcta.

5925. Vers: 14. 15. *Et cecidit super colla Benjaminis fratris sui, et flevit, et Benjamin flevit super collis illius. Et osculatus omnes fratres suos, et flevit super illis: et postea loquuti sunt fratres illius cum illo.* Et cecidit super colla Benjaminis, significat conjunctionem intimam cum Medio: et flevit, significat effectum Misericordiae: et Benjamin flevit super collis illius, significat receptionem, et inde reciprocum: et osculatus omnes fratres suos, significat adjunctionem ex gratia: et flevit super illis, significat affectionis effectum: et postea loquuti sunt fratres illius cum illo, significat reciprocam communicationem ex receptione.

5926. Et cecidit super colla Benjaminis, quod significet conjunctionem intimam cum Medio, constat ex significatione colli, quod sit influxus, communicatio, et conjunctio, de qua n: 3542. 3695. 3725; et est proprie conjunctio coelestium et spiritualium, n: 5320. 5328, ita conjunctio coelestis interni, quod Joseph, cum spirituali coelestis, quod Benjamin; inde cadere super colla, est arcte se conjungere, proinde est, conjunctio intima; et ex repraesentatione Benjaminis, quod sit Medium, de qua n: 5411. 5413. 5443. 5639. 5686. 5688. 5689.

5927. Et flevit, quod significet effectum Misericordiae, constat ex significatione flere, quod sit ex Misericordia, ita effectus ejus, de qua n: 5480. 5873. [33]

5928. Et Benjamin flevit super collis illius, quod significet receptionem et inde reciprocum, constat ex eo, quod vicissim hoc factum, unde est receptio, et inde reciprocum. Quod conjunctionem boni cum veris, et verorum reciprocum cum bono attinet, sciendum, cum influit bonum in vera, et sibi illa conjungit, quod tunc infundat illis bonum ex suo, et per suum addicet illa sibi, inde conjunctio; et quia vera sic vitam accipiunt, apparet dein sicut agant ex se, cum reciproce agunt seu reagunt, at usque vera non agunt ex se, sed ex bono quod influit in bonum a se addicatum veris: se habent haec, sicut vasa sanguinis in corpore vivo, vera sunt quasi vasa absque sanguine, bonum

autem est quasi sanguis, hic cum se infudit in vasa, quae prius vacua fuerunt, agit illa, et quoque reciproce, a sanguine enim acceperunt movendi facultatem, et quasi vitam. Ex his patet, quomodo se habet cum conjunctione boni cum veris, et cum verorum cum bono reciproca.

5929. Et osculatus omnes fratres suos, quod significet adjunctionem ex gratia, constat ex significatione osculari, quod sit conjunctio ex affectione, de qua n: 3573. 3574. 4353, hic adjunctio ex gratia, quia vera Ecclesiae in naturali, quae repraesentantur per filios Jacobi a Bono Interno, quod Joseph, remotiora sunt, et quae remotiora sunt quidem conjunguntur per Medium cum Bono Interno, sed usque diu retinent talia, quae cum Bono interno non correspondent; idcirco per osculari fratres significatur adjunctio ex gratia. Ex gratia dicitur, non ex misericordia, quia quae remotiora sunt, et non plene correspondentia, non in tali humiliatione sunt, ut implorare queant Misericordiam, imo ne quidem ex corde nominare Misericordiam, sed loco ejus gratiam; et hoc quia non correspondentia, quae adhaerent, sunt ex amore sui, et qui se amat, nusquam se humiliare potest ex corde, erigit enim se, nam spectat se in singulis, et parvi facit illa quae extra se.

5930. Et flevit super illis, quod significet affectionis effectum, constat ex significatione flere, quod sit Misericordiae effectus, de qua mox supra n: 5927. 5928, hic affectionis, ex eadem causa de qua nunc supra n: 5929.

5931. Et postea loquuti sunt fratres illius cum illo, quod significet reciprocam communicationem ex receptione, constat ex illis, quae supra n: 5880, explicata sunt; tum quid reciproca communicatio ex receptione, ex illis quae etiam supra n: 5928.

5932. Vers: 16. 17. 18. 19. 20. *Et vox audita domo Pharaonis, dicendo venerunt fratres Josephi, et bonum fuit in oculis Pharaonis, et in oculis servorum illius. Et dixit Pharao ad Josephum, dic ad fratres tuos, hoc facite, onerate jumenta vestra, et ite, venite terram Canaan. Et accipite patrem vestrum, et domos vestras, et venite ad me, et dabo vobis bonum terrae Aegypti, et comedetis pingue terrae. Et nunc mandatum hoc facite, accipite vobis e terra Aegypti, vehicula infantibus vestris, et mulieribus vestris, et feratis patrem ve-*

strum, et veniatis. Et oculus vester ne parcat super supellectilibus vestris, quia bonum totius terrae Aegypti vobis hoc. Et vox audita domo Pharaonis, significat quod hoc impleret universum naturale: dicendo, venerunt fratres Josephi, significat perceptionem quod praesentia vera Ecclesiae in Naturali: et bonum fuit in oculis Pharaonis, significat gaudium ubivis ibi: et in oculis servorum illius, significat usque ad infima ibi: et dixit Pharao ad Josephum, significat perceptionem Naturalis ex Coelesti interno: dic ad fratres tuos, significat de veris Ecclesiae in naturali: hoc facite, onerate jumenta vestra, significat quod implerent omne verum bono: et ite venite terram Canaanem, significat habitationem illorum: et accipite patrem vestrum, et domos vestras, et venite ad me, significat accessionem boni spiritualis et verorum Ecclesiae ad scientifica naturalis: et dabo vobis bonum terrae Aegypti, significat possessionem scientificorum: et comedetis pingue terrae, significat appropriationem boni ibi: et nunc mandatum hoc facite, significat voluntatem: accipite vobis e terra Aegypti vehicula, significat doctrinalia scientificorum: infantibus vestris, et mulieribus vestris, significat pro illis qui nondum sciunt: et feratis patrem vestrum, et veniatis, significat servitium eorum, et accessionem: et oculus vester non parcat super supellectilibus vestris, significat quod instrumentalia non sint curae: quia bonum totius terrae Aegypti vobis hoc, significat quod illis primarium in mente naturali.

5933. Et vox audita domo Pharaonis, quod significet quod hoc impleret universum naturale, constat ex significatione vocis, quae auditur alibi, et ad distantiam, cum praedicatur de influxu, quod sit impleri; sicut enim vox audita implet, ita quod influit; et ex significatione domus Pharaonis, quod sit universum Naturale; nam per Pharaonem repraesentatur Naturale in communi, n: 5160. 5799.

5934. Dicendo, venerunt fratres Josephi, quod significet quod praesentia vera Ecclesiae in naturali, constat ex significatione venisse, quod sit praesentia; et ex repraesentatione filiorum Jacobi, seu fratrum Josephi, quod sint vera Ecclesiae in naturali, de qua n: 5403. 5419. 5458. 5512. Sunt in naturali scientifica varii generis; sunt scientifica de terrestribus, corpo-

reis et mundanis, quae sunt infima, nam haec sunt immediate ex sensualibus externis seu corporis; sunt scientifica de statu civili, ejus regimine, statutis et legibus, quae sunt paulo interiora; sunt scientifica de illis quae sunt vitae moralis, quae sunt adhuc interiora: quae autem sunt vitae spiritualis, sunt illis omnibus interiora; haec sunt vera Ecclesiae; quae quatenus solum ex doctrina apud hominem sunt, non aliud sunt quam scientifica, at cum ex bono amoris, tunc vadunt supra scientifica, nam tunc in luce spirituali sunt, e qua spectant scientifica in suo ordine infra se: homo per tales gradus scientificorum ascendit ad intelligentiam, scientifica enim per illos gradus aperiunt mentem, ut lux e mundo spirituali influere possit. Ex his nunc patet, quid intelligitur per praesentiam verorum in naturali.

5935. Et bonum fuit in oculis Pharaonis, quod significet gaudium ubivis ibi, nempe in naturali, constat ex significatione bonum esse in oculis alicujus, quod sit gaudium esse ei; et ex repraesentatione Pharaonis, quod sit naturale in communi, de qua mox supra n: 5933.

5936. Et in oculis servorum illius, quod significet usque ad infima ibi, constat ex significatione servorum, quod sint inferiora, de qua n: 2541. 5161. 5164. 5305, ita quoque infima: quaenam scientifica in naturali infima sunt, et quaenam inferiora, videatur mox supra n: 5934.

5937. Et dixit Pharao ad Josephum, quod significet perceptionem Naturalis ex Coelesti Interno, constat ex significatione dicere in historicis Verbi, quod sit perceptio, de qua saepius; ex repraesentatione Pharaonis, quod sit Naturale in communi, de qua n: 5160. 5799; et ex repraesentatione Josephi, quod sit Coeleste Internum, de qua n: 5869. 5877; quia Coeleste, quod Joseph repraesentat est internum, et Naturale, quod Pharao, est externum, idcirco est perceptio naturalis ex Coelesti interno, omnis enim perceptio est ex interiori, nusquam est aliqua perceptio interioris ab exteriori, unde enim influxus inde est perceptio. Quid Perceptio, quae toties nominatur, paucis hic dicendum; est apud unumquemvis hominem facultas percipiendi num ita sit, vel non ita, facultas concludendi intus in se seu in mente sua, facit ut res percipiatur; haec facultas nusquam dabilis est nisi influxus sit ex spirituali mundo: hac dote excellet

unus homo prae altero; qui minus excellent sunt qui parum intus in se seu in mente sua concludunt et sic percipiunt, sed dicunt ita esse, quia alii, quibus fidem habent, ita dixerunt; at qui magis excellent, sunt qui non ex aliis sed ex se vident quod ita sit; verum enim vero perceptio, quae est apud unumquemvis hominem, est in rebus mundanis, non autem hodie apud aliquem in rebus spiritualibus; causa est, quia spirituale quod influit et facit perceptionem, obscuratum est et paene exstinctum a jucundis amoris mundi et sui; quapropter nec illis curae sunt spiritualia, nisi quatenus ex debito et more, si auferretur timor ex debito, et jucundum ex more, spernerent illa, aversarentur, imo negarent: qui perceptionem in spiritualibus habebit, is erit in affectione veri ex bono, et desiderabit continue scire vera, inde Intellectuale ejus illuminatur, et cum Intellectuale illuminatum est, tunc datur ei aliquid intus in se percipere; at qui non in affectione veri est, quod scit ita esse, hoc scit a doctrinali Ecclesiae cui fidem adjungit, et quia dixit ita esse sacerdos, presbyter, monachus. Ex his constare potest, quid Perceptio, et quod in mundanis detur, non autem in spiritualibus; quod adhuc patet ex eo, quod quisque in dogmate, in quo natus est, maneat, etiam qui nati sunt Judaei, tum qui extra Ecclesiam, tametsi intra eam vivunt; et quoque qui in haeresi, si illis ipsissima vera dicerentur, et quoque confirmarentur, usque tamen ne hilum perciperent quod vera sint, apparebunt illis ut falsa.

5938. Dic ad fratres tuos, quod significet de veris Ecclesiae in naturali, nempe quod sit perceptio, constat ex repraesentatione fratrum Josephi, quod sint vera Ecclesiae in naturali, de qua n: 5403. 5419. 5458. 5512. Hic Pharao invitat filios Jacobi ut veniant in Aegyptum cum infantibus et mulieribus, utque ferant patrem suum secum, nam dicit Pharao „Dic ad fratres tuos, hoc facite, et accipite patrem vestrum; et accipite vobis e terra Aegypti vehicula pro infantibus vestris et mulieribus vestris; et feratis patrem vestrum, et veniatis:" Joseph autem mox supra invitat patrem suum, et non aliter fratres suos quam sicut illius; dicit enim „Ascendite ad patrem meum, et dicatis ad illum, descende ad me, ne subsistas, et habitabis in terra Goschen, et eris propinquus ad me, tu et filii tui, et filii filiorum tuorum, et omne quod tibi; festinate, et descendere

faciatis patrem meum huc:" Causa quod Pharao invitaverit filios Jacobi, et Josephus patrem, non patet nisi ex sensu interno; qui est, quod naturale in communi, quod repraesentatur per Pharaonem, immediatam communicationem habeat cum veris Ecclesiae in naturali, quae repraesentantur per filios Jacobi; inde est quod Pharao de illis loquatur; at Coeleste internum, quod repraesentatur per Josephum, non immediatam communicationem habet cum veris Ecclesiae in Naturali, quae filii Jacobi, sed per Bonum spirituale, quod est Israël pater illorum; inde est quod Joseph de patre loquatur.

5939. Hoc facite, onerate jumenta vestra, quod significet quod implerent omne verum bono, constat ex significatione onerare jumenta, quod sit implere vera; et ex significatione frumenti, quo onerarentur jumenta, quod sit bonum veri, de qua n: 5295. 5410; jumenta, quod hic vera sint, est quia erant asini, Gen: Cap: XLII: 26. 27. Cap: XLIII: 18. 24. Cap: XLIV: 3, per quos significantur scientifica, n: 5741; et quia per asinos significantur scientifica, et nunc conjunctio facta est cum Bono interno per Medium, sunt scientifica vera, eapropter pro asinis hic dicuntur jumenta.

5940. Et ite, venite terram Canaan, quod significet habitationem eorum, nempe verorum Ecclesiae in naturali, constat ex significatione terrae Canaanis, quod sit ubi habitatio illorum qui fuerunt ab Ecclesia, de qua n: 3705. [34] 3686. 4447. 4454. 4517. 5136, ita habitatio verorum Ecclesiae cum bono, quia haec constituunt Ecclesiam.

5941. Et accipite patrem vestrum, et domos vestras, et venite ad me, quod significet accessionem boni spiritualis, et verorum Ecclesiae ad scientifica naturalis, constat ex repraesentatione Israëlis, qui hic est pater, quod sit bonum spirituale, ut n: 5801. 5803. 5806. 5812. 5817. 5819. 5826. 5833; ex repraesentatione filiorum ejus, quod sint vera Ecclesiae in naturali, de qua n: 5414. 5879, quorum omnia sunt domus eorum; ex significatione venire, quod sit accedere; et ex repraesentatione Pharaonis, qui est *Me* ad quem venirent, quod sit scientificum naturalis in communi; ex his patet, quod per accipite patrem vestrum, et domos vestras, et venite ad me, signi-

ficetur accessio boni spiritualis et verorum Ecclesiae ad scientifica naturalis.

5942. Et dabo vobis bonum terrae Aegypti, quod significet possessionem scientificorum, constat ex significatione terrae Aegypti, quod sint scientifica, de qua n: 1164. 1165. 1186. 1462. 4749. 4964. 4966. 5700; et ex significatione dare ejus terrae bonum, quod sit possessionem, nam qui dat possessionem dat ejus bonum, et vicissim.

5943. Et comedetis pingue terrae, quod significet appropriationem boni ibi, constat a significatione comedere, quod sit communicari, conjungi, et appropriari, de qua n: 2187. 2343. 3168. 3513 f. 3832. 4745; et ex significatione pinguis seu pinguedinis terrae, nempe Aegypti, quod sit bonum in naturali. Quod pingue sit Coeleste seu bonum, a pluribus locis in Verbo constat; nec modo pingue quod in Animali, sed etiam pingue quod aliunde, sicut butyrum, oleum; et quae trahunt aliquid a pingui, etiam quantum trahunt, tantum boni significant, ut lac, mella, resinae. Quod pinguedo fuerit repraesentativum boni coelestis, ita amoris qui a Domino, constat ex holocaustis et sacrificiis, quod omnis pinguedo adoleretur super altari, et quod inde,odor quietis Jehovae, tum quod ideo prohibitum fuerit filiis Israëlis comedere pinguedinem; ex quibus, sicut ex reliquis, manifestum potest esse, quod illa quae instituta fuerunt apud Israëlitas, repraesentativa fuerint coelestium et spiritualium, et sic quod sancta involverint; alioquin nihil causae ex Divino fuisset in eo, quod sacrificaretur omne pingue animalis, et quod id esset odor quietis Jehovae, tum quod prohiberetur esus ejus, sicut sanguinis; certe, perquam crasse cogitaretur de Divino, si crederetur quod pinguedo delectaret, ac Jehovah statutum faceret, in quo non intus reconditum esset aliud; etiam homo nimis terrestris et corporeus foret, si nihil curaret scire, quid per talia significaretur, indicium quod nulla ei affectio sciendi quae sunt Verbi et vitae aeternae. De pinguedine ita apud Mosen „Sumes omnem *pinguedinem* tegentem intestina, et *reticulum* super jecore, et *pinguedinem* super renibus, et adolebis super Altari" Exod: XXIX: 13. 22. tum Levit: III: 4. 5. 9. 10. 14. 15. Cap: IV: 8. 9. 19. 26. 31. 35. Cap: VII: 3. 4: quod etiam „*pinguedo pectoris* sacrificaretur" Levit: VII: 30. 31.

Quod id esset odor quietis Jehovae, ita „Hoc panis igniti Jehovae *in odorem quietis*" Levit: III: 16. „Sparget Sacerdos sanguinem super altare Jehovae et *offeret pinguedinem* in odorem quietis Jehovae" Levit: XVII: 6: et alibi „*Pinguedo* primogeniti bovis et ovis adolebitur super altari, *in odorem quietis Jehovae*" Num: XVIII: 17; [35] odor quietis significat gratum ex bono amoris. Quod a filiis Israëlis non pinguedo comederetur „Omnis *Pinguedo* Jehovae esto; ideo statutum aeternitatis in generationes vestras, in omnibus habitationibus vestris, *ullam pinguedinem* aut ullum sanguinem *non comedetis*" Levit: III: 16. 17: et alibi „Loquere ad filios Israëlis, dicendo, *ullam pinguedinem sive bovis sive ovis, sive caprae, non comedetis*; omnis *qui comederit pinguedinem* de bestia, de qua oblatum fuerit ignitum Jehovae, exscindetur anima comedens e populis suis; nec ullum sanguinem comedetis" Levit: VII: 23. 24. 25. 26. Holocausta et sacrificia constituebant principale cultus Divini apud populum illum, n: 923. 2180, quare per holocausta et sacrificia in genere significatur Cultus, et per illa quae sacrificabantur, tum per omnem processum sacrificationis, significatur quale cultus, et per Pinguedinem et ejus adolitionem ipsissimum coeleste Divinum, quod est Bonum amoris a Domino; ut quoque apparet ab his locis. Apud Esaiam „Jacob non emisti Mihi argento calamum; et *pinguedine sacrificiorum* tuorum non implevisti Me; tantum servire fecisti Me per peccata tua" XLIII: 24; non emisti argento calamum, pro quod non comparaveris tibi vera fidei; et pinguedine sacrificiorum non implevisti Me, pro quod non bonum amoris. Apud Davidem „*Holocausta pinguium* offeram Tibi, cum suffimento arietum" Psalm: LXVI: 15, holocausta pinguium pro cultu ex amore. Apud Mosen „Quando dicetur, ubi dii eorum, Petra cui confisi sunt, qui *Pinguedinem sacrificiorum* eorum comederunt, biberunt vinum libaminis eorum" Deut: XXXII: 37. 38; hoc a gentilibus diceretur, qui putabant quod dii cibarentur, imprimis talibus, nescientes prorsus quod pinguedo sacrificiorum esset coeleste seu bonum amoris in cultu, et vinum libaminis verum fidei inde, quae afficiebant angelos cum sacrificabatur, et quae ideo mandata, ut coelum prope hominem per repraesentativa et correspondentias esset. Apud Davidem „Jehovah recordabitur

omnium oblationum tuarum, et *holocaustum tuum pingue faciet*" Psalm: XX: 4, holocaustum pingue facere pro cultum reddere bonum. Apud Esaiam „Faciet Jehovah Zebaoth omnibus populis in monte hoc *Convivium pinguedinum*, convivium fecum; *pinguedinum medullatarum*, fecum defecatarum: absorbebit mortem in aeternum, et absterget Dominus Jehovih lachrymam desuper omnibus faciebus" XXV: 6. 8, Convivium pro coelo et ibi conjunctione cum angelis per amorem et charitatem, n: 3596. 3832. 5161, pinguedines sunt bona amoris et charitatis. Apud Eundem „Quare appenditis argentum pro eo quod non panis, et laborem vestrum pro eo quod non ad satietatem; attendite attendendo ad Me, et *Comedite bonum*, et delicietur *in Pinguedine* anima vestra" LV: 2: et apud Jeremiam „Convertam luctum eorum in gaudium, et consolabor eos, et laetificabo eos e maerore suo, *ac implebo animam sacerdotum pinguedine*, et populus meus *bono meo* saturabuntur" XXXI: 13. 14; pinguedo manifeste pro bono, nam dicitur quod anima saturabitur, et vocatur bonum Jehovae, quod non aliud est quam Coeleste quod ab Ipso. Apud Davidem „Sicut *Pinguedine* et *adipe* saturabitur anima mea, et labiis canticorum laudabit os meum" Psalm: LXIII: 6, similiter. Apud Eundem „Coronasti annum *bonitatis* tuae, et orbitae tuae stillant *pinguedine*" Psalm: LXV: 12. Apud Eundem „Filii hominis in umbra alarum tuarum confidunt, *implentur Pinguedine* domus tuae, et flumine deliciarum potas eos" Psalm: XXXVI: 8. 9. Apud Esaiam „Tunc dabit Jehovah pluviam seminis tui, quo conseres terram, et panem proventus terrae; et erit *pingue* et opulentum" XXX: 23. Apud Johannem „Omnia *Pinguia* et splendida abiverunt, et non amplius invenies ea" Apoc: XVIII: 14, de Babylone, omnia pinguia et splendida abiverunt, pro quod omnia bona amoris et vera fidei. Apud Mosen „Sugere fecit eum *mel* e rupe, et *oleum* e saxo petrae; *butyrum* armenti, et *lac* gregis, cum *Pinguedine* agnorum et arietum filiorum Baschanis et hircorum, cum *Pinguedine renum tritici*, et sanguinem uvae bibis merum" Deut: XXXII: 13. 14, ibi de Antiqua Ecclesia Spirituali, cujus varia bona recensentur, et significantur per mel, oleum, butyrum, lac, pinguedinem. Quia Pinguedo erat bonum, ideo quoque

adjungitur talibus, quae non pinguia in se sunt, sed usque significant bona, ita Pingue et Bonum quasi idem erant; ut in loco allato, *Pinguedo tritici;* similiter apud Davidem „Cibarem eos *ex pinguedine tritici*" Psalm: LXXXI: 17, et alibi „Qui ponit terminum tuum pacem, et *pinguedine triticorum* satiat te" Psalm: CXLVII: 14. [36] Tum apud Mosen „Omnis *Pinguedo olei* puri, et omnis *Pinguedo Musti* et *frumenti*, quae primitiae, quia Jehovae, data Aharoni sunt" Num: XVIII: 12.

5944. Et nunc mandatum hoc facite, quod significet voluntatem, constat absque explicatione.

5945. Accipite vobis e terra Aegypti vehicula, quod significet doctrinalia scientificorum, constat ex significatione terrae Aegypti, quod sint scientifica, de qua prius; et ex significatione vehiculorum, quod sint doctrinalia. In Verbo, ubi agitur de Aegypto, passim nominantur Currus et equi, et per Currus ibi intelliguntur doctrinalia nunc falsa nunc vera, et per equos intellectualia etiam in utroque sensu; quod Currus sint doctrinalia, videatur n: 5321; similiter vehicula ibi, sed per haec significantur doctrinalia scientificorum; doctrinalia scientificorum sunt doctrinalia ex sensu literali Verbi, ac imprimis inserviunt illis, qui primum inaugurantur in vera interiora Ecclesiae; sicut sunt, quod Viduis prae caeteris benefaciendum, quod pupillis, quod pauperibus qui in plateis; tum quoque praecepta decalogi; haec et plura sunt doctrinalia scientificorum, et significantur per Vehicula Aegypti: talia doctrinalia, quia sunt prima, quae homo addiscit, etiam dein pro ultimo plano ei inserviunt, nam cum progressus fit ad interiora, fiunt ultima: etiam in illis actualiter desinunt coelestia et spiritualia, nam illis quasi insistunt ac innituntur, spiritualis enim mundus habet suos quasi pedes et suas plantas in Naturali, et apud hominem quoad vitam ejus spiritualem in doctrinalibus scientificorum; similiter ac sensus internus Verbi in sensu ejus literali. Vehicula, per quae doctrinalia haec significantur, in Verbo non nisi quam aliquibus in locis nominantur; nominatur vehiculum illa voce in Lingua originali, ubi agitur de Arca, quod imposita tali, I Sam: VI: 7. II Sam: VI: 3; et quoque cum sanctificabatur habitaculum, Num: VII: 3; causa est, quia arca repraesentabat coelum, n:

3478, quod, ut dictum, insistit ac innititur doctrinalibus scientificorum.

5946. Infantibus vestris et mulieribus vestris, quod significet pro illis qui nondum sciunt, nempe interiora Ecclesiae, constat ex significatione infantum, quod sint qui nondum sciunt illa; et ex significatione mulierum, quod sint affectiones veri; cum enim viri significant vera, sicut hic filii Jacobi, tunc mulieres illorum significant affectiones veri; ac vicissim, cum viri significant bona, mulieres illorum significant vera, sed tunc viri vocantur mariti, n: 3236. 4510. 4823: affectiones veri, quae hic mulieres, nec sciunt interiora Ecclesiae, nisi per vera, quae sunt viri; affectiones absque his, sunt sicut voluntas absque intellectuali, voluntas ut aliquid videat et sciat, erit per intellectum, ibi est ejus visus seu oculus.

5947. Et feratis patrem vestrum, et veniatis, quod significet servitium eorum, et accessionem, constat ex significatione ferre patrem, quod sit servitium, de qua sequitur; et a significatione venire, quod sit accessio, ut supra n: 5941. Cum servitio, quod significatur per ferre patrem, ita se habet; quae inferiora sunt, servire debent interioribus; inferiora sunt vera Ecclesiae in naturali, quae repraesentantur per filios Jacobi; Interius autem est Bonum spirituale, quod repraesentatur per Israëlem patrem eorum, hoc quia interius, seu, quod idem, superius, serviri debet ab exterioribus seu inferioribus; sunt enim inferiora non ad aliud formata, quam ut servitia sint, nam sunt formata ut Interius vivat et agat in illis et per illa, et quidem ita, ut si auferatur Interius ab illis, non aliud sint quam vasa absque vita et actione, ita prorsus mortua; ita se habet cum corpore respective ad spiritum ejus, quare cum hic recedit, corpus statim occumbit mortuum; ac ita se habet cum Externo homine respective ad Internum, et quoque ita se habet cum Interno homine respective ad Dominum, formatus enim est Internus homo ad recipiendum vitam a Domino, et est non nisi quam vitae Ipsius Organum; consequenter est formatum ad inserviendum Domino, ad omnes usus quos amor in Ipsum, et charitas erga proximum, postulant, primum in mundo naturali, et postea in mundo spirituali.

5948. Et oculus vester non parcat super supellectilibus ve-

stris, quod significet quod instrumentalia non sint curae, constat ex significatione supellectilium seu vasorum, quod sint instrumentalia; quod illa non curae sint, significatur per oculos ne parcat. Sunt Essentialia et sunt instrumentalia; Essentiale ut agat alicubi effectum, habebit Instrumentale, per quod agat; sicuti Instrumentale formatum est, ita agit: sit pro exemplo; corpus est instrumentale sui spiritus; Externus homo est Instrumentale Interni; scientificum est instrumentale veri, et Verum est instrumentale boni, n: 3068. 3079, ac ita porro. Instrumentalia in Verbo vocantur vasa, hic supellectilia, quia praedicantur de migratione eorum, ita de illis quae in domibus: Essentialia autem in Verbo vocantur res, et sunt illa quae agunt per instrumentalia; interiora sic, quia agunt per exteriora, sunt respective Essentialia. Per quod Instrumentalia non curae erunt, intelligitur, quod illa pro fine non erunt, sed Essentialia; quantum enim instrumentalia pro fine sunt, tantum retrahunt se et evanescunt Essentialia; ut si pro fine sit scientificum, et non curae vera, vera tandem ita evanescunt, ut non appercipi possit num vera sint; si quoque vera pro fine sunt, et non curae bonum, bonum tandem ita evanescit, ut non sit: tum qui terrestria, aut corporea, aut mundana, pro fine habent, sic ut haec solum curae sint, non autem coelestia, coelestia ita evanescunt, ut tandem vix aliquid coeleste agnoscatur. Haec et similia sunt, quae significantur per Oculus vester ne parcat super supellectilibus vestris. At sciendum, quod Essentiale et Instrumentale sint respectiva, nempe quod Essentiale dicatur, quia agit per alterum, ut per suum Instrumentum aut Organum; cum autem aliud agit per illud quod Essentiale fuit, tunc hoc fit Instrumentale, et sic porro: praeterea in universo creato non datur aliquod Essentiale in se, hoc solum datur in Supremo, hoc est, in Domino, Ipse quia est Esse seu Essentiale in se, vocatur Jehovah ab Esse; reliqua omnia sunt modo Instrumentalia: ex his nunc sequitur, quia, ut dictum, Essentialia pro fine erunt, non Instrumentalia, quod Solus Dominus erit.

5949. Quia bonum totius terrae Aegypti vobis hoc, quod significet quod illis primarium in Mente naturali, constat ex significatione terrae Aegypti, quod sit mens naturalis, de qua n: 5276. 5278. 5280. 5288. 5301; per bonum totius illius terrae

significatur primarium. Per haec verba etiam intelligitur quod si illis non instrumentalia sed essentialia curae sint, illis instrumentalia erunt in copia; ut pro exemplo; si vera curae, illis scientifica, quae sunt bonum terrae Aegypti, erunt in copia; similiter si bonum curae, vera erunt in copia. Scientifica quidem, tum vera, erunt curae, sed spectabunt bonum ut finem; si oculus in bono ut in fine est, tunc homo in visu consequentium est, seu in talium, quae inde, perceptione, quae nusquam datur, nisi bonum sit finis, hoc est, nisi is universaliter in omnibus et singulis regnet. Se habet hoc, sicut corpus et ejus anima; homini omnino curae erit corpus, ut quod nutriendum, quod vestiendum, quod jucundis mundi fruiturum, sed haec omnia non propter corpus sed propter animam, ut nempe haec in sano corpore correspondenter et rite agat, et corpus, ut organum sibi prorsus obsequiosum habeat, ita anima erit finis; nec anima pro fine erit, sed solum pro fine medio, ejus curam habebit homo, non propter illam, sed propter usus, quos in utroque mundo praestabit; et cum homo pro fine habet usus, pro fine habet Dominum, nam Dominus disponit ad usus et ipsos usus. Quia pauci sciunt, quid sit pro fine habere, etiam dicendum; pro fine habere, est amare prae reliquis, quod enim homo amat, hoc pro fine habet: quid homo pro fine habet, cognoscitur manifeste, nam hoc universaliter in illo regnat, ita continue adest, etiam tunc quando de eo nihil cogitare sibi videtur, insidet enim et facit interiorem ejus vitam, et sic latenter regit omnia et singula; sit pro exemplo, qui ex corde honorat parentes suos, in omnibus et singulis quae agit in praesentia illorum, et quae cogitat in absentia, honor ille adest, et quoque id ex gestibus et loquela appercipitur; ita qui ex corde Deum timet et honorat, timor ille et honor in singulis quae cogitat, loquitur et agit, adest, quia inest, etiam cum non adesse videtur, sicut cum in remotioribus inde negotiis est, nam regnat universaliter, ita in singulis; regnans apud hominem in altera vita manifeste appercipitur, nam totius ejus vitae sphaera, quae ab ipso exhalat, inde est. Ex his constare potest, quomodo intelligitur, quod Deus semper ante oculos habendus sit, non quod de Ipso jugiter cogitandum, sed quod timor ejus aut amor regnabit universaliter, tunc Deus in singulis ante oculos habetur, et quum hoc,

homo non cogitat, loquitur, et facit, quod Ipsi adversum est et ingratum, sin aliter, id quod universaliter regnat, ac interius latet, se manifestat et admonet.

5950. Vers: 21. 22. 23. *Et fecerunt ita filii Israëlis, et dedit illis Joseph vehicula, juxta os Pharaonis, et dedit illis viaticum ad viam. Et omnibus illis dedit cuique mutatorias vestes; et Benjamini dedit trecentos argenti, et quinque mutatorias vestes. Et patri suo misit, ut hoc; decem asinos portantes e bono Aegypti, et decem asinas portantes frumentum et panem, et alimentum patri suo ad viam.* Et fecerunt ita filii Israëlis, significat effectum a veris spiritualibus in naturali: et dedit illis [Joseph] vehicula juxta os Pharaonis, significat quod ab Interno illis doctrinalia, sicut placuit: et dedit illis viaticum ad viam, significat sustentationem a bono et vero interea: et omnibus illis dedit mutatorias vestes, significat vera initiata bono: et Benjamini dedit trecentos argenti, significat quod Medio plenum veri ex bono: et quinque mutatorias vestes, significat multum veri e naturali: et patri suo misit ut hoc, significat quid gratis donatum Bono spiritnali: decem asinos portantes e bono Aegypti, significat scientifica meliora cum multis servitiis: et decem asinas portantes frumentum et panem, significat boni verum et veri bonum etiam cum multis servitiis: et alimentum patri suo ad viam, significat verum interius bono spirituali interea.*

5951. Et fecerunt ita filii Israëlis, quod significet effectum a veris spiritualibus in naturali, constat a significatione fecerunt, quod sit effectus; et a repraesentatione filiorum Israëlis, quod sint vera spiritualia in naturali, de qua n: 5414. 5879. Quid vera spiritualia in Naturali, dicendum; vera fidei extra hominem, spiritum, et angelum, non sunt vera fidei, non enim applicata sunt alicui subjecto, in quo fiunt, cum autem applicantur homini, spiritui et angelo, ut subjecto, tunc fiunt vera fidei, sed cum differentia secundum status vitae cujusvis; apud eos, qui primum addiscunt illa, sunt modo scientifica; postea si illi sancte venerantur illa, ultra vadunt, et fiunt vera Ecclesiae; cum autem afficiuntur illis, et secundum illa vivunt, tunc fiunt vera spiritualia; bonum enim amoris et charitatis, quod unice est ex spirituali mundo, tunc imbuit illa, et facit ut vi-

vant; nam affici illis et vivere secundum illa, est ex illo bono. Qualia sunt vera, quae fidei vocantur, apud illos, qui vivunt secundum illa, et qui non vivunt, mihi ostensum est; apud illos qui non vivunt secundum illa, apparuerunt sicut filamenta alba, et apud quos vera illa fuerunt, at nihil boni, fragilia; at apud illos qui vivunt secundum illa, apparuerunt sicut fibrae e cerebro impletae spiritu, et molles; ita fuerunt haec vera animata, illa autem inanimata; ex quibus sciri potest, quod vera apud homines se habeant secundum statum vitae cujusvis. Vera quae per filios Jacobi repraesentantur, sunt vera nondum spiritualia, quia nondum facta vitae; at vera, quae per illos, ut filios Israëlis, repraesentantur, sunt spiritualia, quia ex eo quod facta vitae, bono amoris et charitatis imbuta sunt: haec Vera hic intelliguntur, quia nunc actum est de initiatione ad conjunctionem verorum in naturali, quae sunt filii Jacobi, cum Bono Interno, quod est Joseph, per Medium, quod Benjamin, et quoque per Bonum spirituale, quod Israël.

5952. Et dedit illis [Joseph] vehicula juxta os Pharaonis, quod significet quod ab Interno doctrinalia, sicut placuit, constat ex repraesentatione Josephi, qui est is qui dedit, quod sit Bonum Internum, de qua prius; ex significatione vehiculorum, quod sint doctrinalia, de qua supra n: 5945; et ex significatione juxta os Pharaonis, quod sit sicut placuit, nempe veris spiritualibus, quae sunt filii Israëlis, quia haec vera sunt in Naturali, quod per Pharaonem repraesentatur, n: 5160. [37] 5799, et vehicula, per quae doctrinalia significantur, data sunt illis ad dispositionem. Sicut placuit, dicitur, quia doctrinalia, quae per vehicula Aegypti significantur, sunt ex sensu literali Verbi, n: 5945, qui absque sensu interno, applicari potest cuique bono; Dominus enim non aliquem aperte docet vera, sed per bonum ducit ad cogitandum quid verum, et quoque inspirat, homine nesciente, apperceptionem et inde electionem quod hoc verum sit, quia ita dictat Verbum, et quia hoc quadrat; ita Dominus aptat vera secundum receptionem boni ab unoquovis; hoc quia fit secundum cujusvis affectionem, ac ita in libero, dicitur hic, sicut placuit.

5953. Et dedit illis viaticum ad viam, quod significet sustentationem a bono et vero [38] interea, constat ex signi-

ficatione viatici, quod sit sustentatio a bono et vero, de qua n: 5490.

5954. Et omnibus illis dedit cuique mutatorias vestes, quod significet vera initiata bono, constat ex significatione vestium, quod sint vera, de qua sequitur; inde mutatoriae vestes sunt vera quae nova, et vera nova fiunt cum initiantur bono, tunc enim vitam accipiunt; agitur enim de Conjunctione Naturalis hominis cum spirituali, seu Externi cum Interno; quando conjunctio fit, tunc vera mutantur et nova fiunt, nam vitam ab influxu boni accipiunt, videatur mox supra n: 5951; quod mutare vestes fuerit repraesentativum, quod induerentur sancta vera, et quod inde quoque vestes mutatoriae, videatur n: 4545. Quod per Vestes in Verbo significentur Vera, est quia vera vestiunt bonum, paene sicut vasa sanguinem, ac fibrae spiritum: quod Vestis significativum veri sit, est quia spiritus, et quoque angeli appareant vestibus induti, et quilibet secundum vera quae apud illos, in albis apparent illi qui sunt in veris fidei per quae bonum, at in candidis splendentibus qui in veris fidei quae ex bono, translucet enim bonum per verum, inde splendor; videatur n: 5248. Quod Spiritus et Angeli appareant in vestibus, constare etiam potest ex Verbo, ubi memoratur quod Angeli visi; ut apud Matthaeum „Angeli ad sepulchrum Domini sedentis species erat sicut fulgur, et *vestimentum album sicut nix*" XXVIII: 3. Apud Johannem „Super thronis vidi viginti et quatuor seniores sedentes, *indutos vestimentis albis*" Apoc: IV: 4. Apud Eundem „Sedens super Equo albo *indutus erat vestimento tincto sanguine*, et vocatur nomen ejus Verbum Dei: Exercitus ejus in Coelo sequebantur Eum super equis albis, *induti byssinum album* et *mundum*" Apoc: XIX: 11. 13. 14; Vestimenta alba sicut nix, et byssinum album, significant sancta vera, albedo enim et candor praedicantur de veris, n: 3301. 3993. 4007. 5319, ex causa quia proxime accedunt ad lucem, et Lux quae a Domino est Divinum Verum; quapropter Dominus cum transformatus, Vestimenta ejus apparuerunt sicut Lux, de qua apud Matthaeum „cum Jesus transformatus, splenduit facies Ipsius sicut Sol, et *Vestimenta Ipsius sunt facta sicut Lux*" XVII: 2; quod Lux sit Divinum Verum, in Ecclesia notum est, at quod comparetur vesti, constat apud Davidem „Je-

hovah operit se *Luce*, quasi *Veste*" Psalm: CIV: 2. Quod vestes sint vera, patet a pluribus locis in verbo, ut apud Matthaeum „Ingressus Rex ut videret discumbentes, videt ibi hominem *non indutum veste nuptiarum;* et dixit illi, amice, quomodo huc intrasti *non habens vestem nuptiarum;* quare ejectus est in tenebras exteriores" XXII: 11. 12. 13; quinam intelliguntur per non indutum veste nuptiarum, videatur n: 2132. Apud Esaiam „Excitare, excitare, indue robur tuum, Zion; *indue vestes decoris tui*, Hierosolyma, urbs sanctitatis, quia non addet veniat in te amplius praeputiatus et immundus" LII: 1, vestes decoris pro veris ex bono. Apud Ezechielem „*Vestivi te acupicto*, et calceavi te taxo, et *accinxi te bysso*, ac *obtexi te serico; vestes tuae byssus et sericum*, et *acupictum;* similam, mel et oleum comedisti" XVI: 10. 13, de Hierosolyma, per quam ibi intelligitur Ecclesia Antiqua spiritualis, quae postquam exspiravit Ecclesia Antiquissima Coelestis, instaurata fuit a Domino; vera, quibus Ecclesia illa donata fuit, describuntur per vestes; acupictum est scientificum, hoc cum genuinum, etiam apparet ut acupictum, ac sicut lacinia in altera vita, quod etiam datum est videre; byssus et sericum sunt vera ex bono, sed illa in coelo, quia in ejus luce ibi, sunt splendidissima et transparentia. Apud Eundem „*Byssus in acupictura ex Aegypto*, fuit expansio tua, et *hyacinthinum* et *purpura* ex insulis Elischa, fuit *tegumentum tuum*" XXVII: 7, ibi de Tyro, per quam repraesentantur cognitiones veri et boni, n: 1201, quae cum genuinae, sunt byssus in acupictura ex Aegypto; bonum inde, seu bonum veri, sunt hyacinthinum et purpura. Apud Davidem „Tota gloriosa filia Regis, *de implexis auri vestis ejus*, in *acupictis* adducetur Regi" Psalm: XLV: 14. 15, [39] filia regis pro affectione veri; de implexis auri vestis ejus pro veris in quibus bonum; acupicta pro veris infimis. Apud Johannem „Habes pauca nomina in Sardibus, *qui non polluerunt vestimenta sua*, et ambulabunt Mecum *in albis*, quia digni sunt. Qui [40] vicerit, *hic induetur vestimentis albis*" Apoc: III: 4. 5, non polluere vestimenta pro vera non inquinare falsis. Apud Eundem „Beatus qui vigilat et *servat vestimenta sua*, ut non nudus ambulet, et videant [41] pudorem ejus" Apoc: XVI: 15, vestimenta similiter pro veris; sunt vera fidei ex Verbo, quae proprie significantur

per vestimenta; qui illa inde, aut qui vera seu verosimilia ex suo religioso, ut gentiles, non sibi acquisiverat, et applicuerat vitae, is utcunque putat se in bono esse, usque non est; nam quia nulla ei vera ex Verbo aut religioso sunt, se patitur duci per ratiocinia aeque a spiritibus malis quam bonis, ac ita defendi non potest ab Angelis; hoc intelligitur per quod vigilandum, et servanda vestimenta sua, ut non nudus ambulet et videant pudorem ejus. Apud Sachariam „Jehoschua fuit *in Vestibus pollutis*, sic stabat coram Angelo, qui dixit ad stantes coram illo, *removete vestes pollutas a coram illo:* ad illum autem dixit, vide transire feci a te iniquitatem tuam, et *induendo te vestibus mutatoriis*" III: 3. 4, vestes pollutae pro veris conspurcatis a falsis quae a malo, quare remotis vestibus illis, et indutis aliis, dicitur, vide transire feci a te iniquitatem tuam; quod iniquitas non transeat per mutationem vestium, quisque scire potest, inde etiam quisque concludere, quod vestium mutatio fuerit repraesentativum, sicut etiam *Vestium Lavatio*, quae mandata, cum purificarentur, ut cum accederent ad montem Sinai, Exod: XIX: 14; [42] cumque ab impuris mundarentur, Levit: XI: 25. 40. Cap: XIV: 8. 9. Num: VIII: 6. 7. Cap: XIX: 21. Cap: XXXI: 19 ad 23. 24; [43] mundationes enim ab impuris fiunt per vera fidei, quia haec docent quid bonum, quid charitas, quid proximus, quid fides, quod Dominus, quod Coelum, quod vita aeterna, haec non sciuntur quid sunt absque veris quae docent, et ne quidem quod sint; quis non aliter ex se novit, quam quod bonum amoris sui et mundi, sit unicum quod bonum homini, utrumque enim est ejus vitae jucundum; et quis nisi ex veris fidei nosse potest, quod aliud bonum sit, quod homini applicari potest, nempe bonum amoris in Deum, et bonum charitatis erga proximum, et quod in illis bonis sit vita coelestis, tum quod tantum ejus boni influat per coelum a Domino, quantum homo se prae aliis non amat, et quantum non amat mundum prae coelo: ex his constare potest, quod purificatio, quae repraesentata fuit per lavationem vestium, fiat per vera fidei.

5955. Et Benjamini dedit trecentos argenti, quod significet quod Medio plenum veri ex bono, constat a repraesentatione Benjaminis, quod sit Medium, de qua n: 5600. 5631. 5639. 5688. 5822; ex repraesentatione Josephi, qui dedit, quod sit

Bonum Internum, de qua n: 5826. 5827. 5869. 5877; ex significatione trecentorum, quod sint plenum, de qua sequitur; et ex significatione argenti, quod sit verum, de qua n: 1551. 2954. 5658; ex his patet, quod per Benjamini dedit trecentos argenti, significetur quod Medio donaverit plenum veri ex bono, est enim Medium, quod Benjamin repraesentat, Verum interius per influxum a Coelesti Interno, n: 5600. 5631. Quod Trecenti sint plenum, est quia exsurgunt ex tribus et ex centum per multiplicationem, et tria significant plenum, n: 2788. 4495, et centum significant multum, n: 4400; quid enim numeri compositi involvunt, constat ex simplicibus a quibus sunt. Trecenti, ubi alibi in Verbo nominantur, etiam simile involvunt, sicut quod arca Noë esset longitudine trecentorum cubitorum, Genes: VI: 15: tum quod Trecenti Viri essent, per quos Gideon percuteret Midianem, de quibus in Libro Judicum „Erat numerus lambentium in manu sua ad os suum, *Trecenti viri:* dixit Jehovah [ad] Gideonem, per *Trecentos viros*, qui fuerunt lambentes, dabo Midianem in manum tuam. Divisit Gideon *Trecentos viros* in *tria agmina*, et dedit buccinam in manum uniuscujusque eorum, et hydrias vacuas, et faces in medio hydriarum. Cum clangerent *Trecentis buccinis*, posuit Jehovah gladium viri contra socium illius, et contra universa castra" VII: 6. 7. 8. 16. 22, per Trecentos viros ibi etiam significatur plenum, ut quoque per tria agmina, in quae trecenti illi divisi sunt; et per centum, qui erat numerus cujusvis agminis, significatur multum ac satis, consequenter quod sufficerent contra Midianem: praeterea, repraesentativa erant omnia illa, nempe quod assumti qui lamberent aquam in manu; quod buccina unicuique; quod [44] hydriae in quibus faces; et hoc quia per Midianem, contra quem irent, repraesentabatur verum quod non verum, quia non bonum vitae; sed de singulis his, ex Divina Domini Misericordia, alibi; quod numeri etiam repraesentativi fuerint, patet ex pluribus aliis locis, ut quod Septem apud Joschuam cum caperent Jerichuntem, tunc enim mandatum, „ut *Septem sacerdotes* portarent *Septem buccinas* jubilantium coram arca: quod *die septimo* circumirent urbem *septem vicibus*" Cap: VI: 4.

5956. Et quinque mutatorias vestes, quod significet multum veri e naturali, constat ex significatione quinque, quod sint

multum, de qua n: 5708; et ex significatione mutatoriarum vestium, quod sint vera initiata bono; quod e naturali, est quia Vestes praedicantur de Naturali. Quod Verum *e naturali* esset Medio, quod repraesentatur per Benjaminem, est, quia ut Medium sit, trahet ab Interno, et ab Externo, n: 5822; quod ab Interno, intelligitur per quod Medio plenum veri ex bono, quod significatur per trecentos argenti, de quibus mox supra n: 5955; quod ab Externo, intelligitur per multum veri e naturali, quod significatur per quinque mutatorias vestes.

5957. Et patri suo misit ut hoc, quod significet quid gratis donatum bono spirituali, constat ex repraesentatione Israëlis, qui hic pater, quod sit Bonum spirituale e naturali, ut n: 5801. 5803. 5806. 5812. 5817. 5819. 5826. 5833; et ex significatione mittere, quod sit gratis donare; omne enim quod per Internum influit a Domino in Externum, seu in Naturale, etiam quod in Bonum spirituale, quod Israël, quia hoc est e naturali, gratis donatur: postulat quidem Dominus humiliationem, adorationem, gratiarum actiones, et plura ab homine, quae apparent sicut remunerationes, ac ita non gratis; sed Dominus non postulat illa sui causa, nam nihil gloriae Divino ex humiliatione, adoratione, et gratiarum actione hominis; in Divino prorsus non conceptibile est aliquid amoris sui, ut propter se talia fiant, verum sunt propter ipsum hominem, cum enim homo in humiliatione est, tunc potest recipere bonum a Domino, nam tunc separatus est ab amore sui et ejus malis, quae obstant; quapropter Dominus humiliationis statum apud hominem vult ejus causa, quia cum homo in illo statu est, potest Dominus influere cum bono coelesti: similiter se habet cum adoratione et cum gratiarum actione.

5958. Decem asinos portantes e bono Aegypti, quod significet scientifica cum multis servitiis, constat ex significatione decem, quod sint multum, de qua n: 3107. 4638. 5708; ex significatione asinorum, quod sint scientifica, de qua n: 5741, hic scientifica infima, de quibus n: 5934, [43] quae quia portant interiora, sunt servitia; et ex significatione boni Aegypti, quod sint scientifica, ut supra n: 5942. 5949, sed scientifica Ecclesiae, nam haec proprie per Aegyptum significantur, n: 4749. 4964. 4966; quod haec sint bonum Aegypti, inde est, quia a

Josepho ad Israëlem, quod est, a Coelesti interno ad Bonum spirituale, sunt missa.

5959. Et decem asinas portantes frumentum et panem, quod significet boni verum, et veri bonum, etiam cum multis servitiis, constat ex significatione decem, quod sint multum, ut supra n: 5958; ex significatione asinarum quod sint servitia, ut quoque mox supra n: 5958; ex significatione frumenti, quod sit bonum veri, de qua n: 5295. 5410, hic autem boni verum, quia a coelesti Interno, quod Joseph; et a significatione panis, quod sit veri illius bonum, de qua n: 276. 680. 2165. 2177. 3478. 3735. 4211. 4217. 4735. 4976. Cum hoc, quod frumentum significet boni verum, et alibi veri bonum, ita se habet; cum significationibus aliter se habet cum agitur de influxu a coelesti interno, et aliter cum a spirituali interno; quod influit a coelesti interno, non est nisi quam bonum, quod quidem in se verum habet, sed hoc verum est bonum; quod autem influit a spirituali interno, non est nisi quam verum, quod cum factum vitae, appellatur bonum veri; inde nunc est, quod frumentum significet nunc bonum veri, et nunc boni verum, hic boni verum, quia ex Coelesti Interno, quod Joseph. Quod asinae portaverint frumentum et panem, ac asini bonum Aegypti, est quia per asinos significantur servitia quatenus se referunt ad verum, et per asinas significantur servitia quatenus se referunt ad bonum; ideo super asinis portabantur talia quae illis conveniebant, et super asinabus talia quae illis; alioquin non opus fuisset memorare, quod essent asini et asinae, et quid illi et quid hae portarent.

5960. Et alimentum patri suo ad viam, quod significet verum interius bono spirituali interea, constat ex significatione alimenti, quod sit verum interius, hoc enim existit a boni vero et veri bono, quae significantur per frumentum et panem, mox supra n: 5959; [46] et quoque verum interius [47] est alimentum bono spirituali; ex repraesentatione Israëlis, qui hic est pater, quod sit bonum spirituale, de qua supra n: 5957; et ex significatione ad viam, quod sit interea, nempe antequam veniret, hoc est, antequam plena conjunctio fieret.

5961. Vers: 24. 25. 26. 27. 28. *Et dimisit fratres suos, et iverunt, et dixit ad illos, ne contendatis in via. Et ascen-*

derunt ex Aegypto, et venerunt terram Canaan ad Jacobum patrem eorum. Et indicaverunt illi, dicendo, adhuc Joseph vivit, et quod ille dominans in omni terra Aegypti; et defecit cor ejus, quia non credidit illis. Et loquuti sunt ad illum omnia verba Josephi, quae loquutus ad illos; et vidit vehicula quae misit Joseph ad ferendum illum; et revixit spiritus Jacobi patris illorum. Et dixit Israël, multum, adhuc Joseph filius meus vivit, ibo et videbo illum, antequam morior. Et dimisit fratres suos et iverunt, significat occultationem: et dixit ad illos, ne contendatis in via, significat perceptionem datam ut in tranquillo sint: et ascenderunt ex Aegypto, significat recessionem a scientificis Ecclesiae: et venerunt terram Canaan ad Jacobum patrem suum, significat habitationem ubi bonum naturale non spirituale: et indicaverunt illi, dicendo, significat influxum et apperceptionem: adhuc Joseph vivit, significat quod Internum non rejectum: et quod ille dominans in omni terra Aegypti, significat quod Mens naturalis sub ejus potestate sit: et defecit cor ejus, quia non credidit illis, significat deficientiam vitae naturalis, et inde intellectus: et loquuti sunt ad illum omnia verba Josephi quae loquutus ad illos, significat influxum ex coelesti spiritualis: et vidit vehicula quae misit Josephus ad ferendum illum, significat doctrinalia inde quae persuaderent: et revixit spiritus Jacobi patris illorum, significat vitam novam: et dixit Israël, significat bonum spirituale nunc: multum, adhuc Joseph filius meus vivit, significat gaudium quod Internum non perierit: ibo et videbo illum antequam morior, significat desiderium conjunctionis, antequam novum.

5962. Et dimisit fratres suos et iverunt, quod significet occultationem, constat ex significatione dimittere, quod sit removere a se, consequenter non magis sic praesens esse apud illos; et a significatione ire seu abire, quod sit vivere, tum vivere remotius, ut et relinquere, de qua n: 3335. 3416. 3690. 4882. 5493. 5696, [48] ita est occultari. Quod nunc de remotione a coelesti Interno, et sic de ejus occultatione, agatur, constat a sequentibus in sensu interno. Qui non scit, quomodo se habet cum statu vitae spirituum et angelorum in coelis, nec scire potest cur nunc agatur de occultatione veri et boni, cum mox prius fuerant in luce eorum: status ille in coelo est, quod spiritibus

et angelis sint Mane, Meridies, et Vespera, tum diluculum, et iterum mane, et sic porro; mane eorum est, cum Dominus praesens est, et illos manifesta felicitate beat, sunt tunc in perceptione boni; Meridies est, cum in luce veritatum sunt; et vespera, cum ab illis removentur, tunc apparet illis quod Dominus remotior sit, et ab illis occultatus; has vices omnes qui in coelo subeunt et percurrunt, aliter non possunt continue perfici; inde enim illis relativa, et a relativis perfectior perceptio, quoniam inde sciunt quid non felix, quia inde sciunt quid non bonum, et quid non verum. Quod admiratione dignum, est, quod nusquam unus status sit prorsus similis alteri in aeternum; tum quod unus spiritus et angelus non similes status mutationes percurrat ac alter, ex causa quia unus non est alteri prorsus similis quoad bonum et verum, sicut nec unus homo alteri quoad faciem; sed usque Dominus ex variis illis unum facit; canon communis est, quod omne unum, in quo aliquid quale, ex variis existat, quae in unanimum tale ut per harmoniae consensum rediguntur, ut appareant omnes sicut unum; unum inde seu unio in coelis fit per amorem et charitatem; videatur etiam n: 3241. 3267. 3744. 3745. 3986. 4005. 4149. 4598. Occultatio, quae significatur per quod Joseph dimisit fratres suos, et iverunt, in Verbo vocatur vespera, quae tunc est apud Angelos, cum non percipiunt Dominum praesentem, est enim in coelo continua perceptio Domini; cum in statu non perceptionis sunt, tunc non afficiuntur bono, nec vident verum, ut prius, hoc angit illos; at brevi post venit diluculum, et sic mane.

5963. Et dixit ad illos, ne contendatis in via, quod significet perceptionem datam, ut in tranquillo sint, constat ex significatione dicere ad illos, quod sit perceptio data ab Interno, quod est Joseph, de qua saepius; et a significatione non contendere in via, quod sit ut in tranquillo sint; contentio enim cum aliis est intranquillum, quia est turba animi. Status qui variantur in altera vita, de quibus mox supra n: 5962, [49] se habent secundum perceptionem boni et veri apud illos, ita secundum perceptionem praesentiae Domini; secundum perceptionem illam, est illis tranquillum, nam qui in perceptione praesentiae Domini sunt, illi in perceptione sunt, quod omnia et singula, quae illis contingunt, ad bonum eorum tendant, et quod mala

ad illos non pertingant, inde sunt in tranquillo; absque tali fide seu confidentia in Dominum, nusquam aliquis venire potest ad tranquillum pacis, ita nec ad beatum in gaudio, quia beatum illud in tranquillo pacis habitat.

5964. Et ascenderunt ex Aegypto, quod significet recessionem a scientificis Ecclesiae, constat a significatione ascendere inde, quod sit recedere; ascendere dicitur ab Aegypto ad terram Canaan, et descendere ab hoc ad Aegyptum, ex causa de qua aliquoties prius; hic per ascendere significatur abire; et ex significatione Aegypti, quod in proprio sensu sint scientifica Ecclesiae, de qua n: 4749. 4964. 4966; quod illa scientifica hic significentur, est quia in illis fuerunt cum in Aegypto, cum Josepho, n: 5958. [50] Agitur hic usque ad Versum ultimum hujus Capitis, de remotione ab illis quae sunt boni et veri, ita ab illis quae Ecclesiae, quae remotio intelligitur per occultationem supra, n: 5962, [49] et hic per recessionem; hic status in Verbo significatur per Vesperam; cum in illo statu sunt, recedunt a coelestibus et spiritualibus, et accedunt ad talia, in quibus non spirituale et coeleste; at occultatio illa seu recessio non fit per quod Dominus se occultet aut recedat, sed quod ipsi, non enim diutius detineri possunt, quia non convenit, a proprio illorum, quapropter ille status venit, cum sibi seu proprio suo relinquuntur, et quantum illi relinquuntur, seu in id immerguntur, tantum ab illis quae coeli sunt recedunt, et tantum illis bonum fit imperceptibile, et verum obscurum; inde patet, quod Dominus non se occultet, sed quod homo, spiritus, et angelus se ipsum.

5965. Et venerunt terram Canaan ad Jacobum patrem suum, quod significet habitationem, ubi bonum naturale non spirituale, constat ex significatione terrae Canaanis, quod sit Ecclesia, de qua n: 3705. 3686. 4447. [51] 4517. 4736, ita habitatio eorum qui repraesentarent Ecclesiam, qui quod fuerint posteri Jacobi, notum est; et ex repraesentatione Jacobi, quod sit bonum naturale, de qua n: 3305. 3659. 3775. 4234. 4009. 4073. 4538; non autem spirituale, nam hoc repraesentatur per Israëlem; quod Jacob repraesentet Externum Ecclesiae, et Israël Internum, videatur n: 4286. 4570; sive dicas bonum naturale aut Ecclesiae Externum, sive bonum spirituale aut Ecclesiae Internum, idem est, nam bonum naturale

constituit Ecclesiae Externum, et bonum spirituale Ecclesiae Internum. Spirituale dicitur quod est in luce coeli, nam quod est in illa luce, in se habet affectionem boni et perceptionem veri, hae sunt in illa luce, quia lux illa est a Domino; quapropter qui in bono et vero spirituali sunt, illi in Interno Ecclesiae sunt, nam sunt capite intra coelum: naturale autem dicitur, quod est in luce mundi, et quod in illa luce est, non *in se* habet affectionem boni et perceptionem veri, sed *extra se;* influit enim lux coeli, et illuminat circum circa, ita extra, non intra, et facit ut sciatur quod bonum sit bonum, et verum verum, quia ita dicitur, non quod ita esse percipiatur; quapropter qui in bono naturali sunt, illi in Externo Ecclesiae sunt, nam non Capite sunt in coelo, sed caput illuminatur inde ab extra. Nunc Jacob vocatur Jacob, non Israël, ex causa quia nunc in externis sunt, ut ab illis, quae supra dicta sunt, liquet.

5966. Et indicaverunt illi dicendo, quod significet influxum et apperceptionem, constat a significatione indicare, quod sit communicari, et conjungi, de qua n: 4856. 5596, ita quoque influxus, nam quod indicatur, hoc in cogitationem influit; et a significatione dicere in historicis Verbi, [52] quod sit perceptio, de qua saepius, ita quoque apperceptio.

5967. Adhuc Joseph vivit, quod significet quod Internum non rejectum, constat a repraesentatione Josephi, quod sit bonum Internum, de qua n: 5805. 5826. 5827. 5869. 5877; et ex significatione vivere, quod sit adhuc esse, ita non rejectum: quod vivere sit non esse rejectum, est quia a filiis Jacobi, Internum, quod per Josephum repraesentatur, primum rejectum fuit, et quia tunc pater eorum crediderat, quod a malis et falsis perierit, n: 5828; inde nunc per vivere, significatur quod non ita sit.

5968. Et quod ille dominans in omni terra Aegypti, quod significet quod mens naturalis sub ejus potestate sit, constat ex significatione dominari, quod sit sub ejus potestate esse; et a significatione terrae Aegypti, quod sit mens naturalis, de qua n: 5276. 5278. 5280. 5301.

5969. Et defecit cor ejus, quia non credidit illis, quod significet deficientiam vitae naturalis et inde intellectus, constat ex significatione defecit cor, quod sit deficientia vitae, et quia

dicitur de Jacobo, per quem repraesentatur bonum naturale, n: 5965, [53] est deficientia vitae naturalis; et ex significatione non credere, quod sit deficientia intellectus; quod dicatur *inde*, est quia praecedit semper vita quae voluntatis, et sequitur vita intellectus, causa est, quia solum voluntati inest vita, non autem intellectui nisi ex voluntate; hoc constat a bono quod est voluntatis, et a vero quod est intellectus, quod bono insit vita, non autem vero nisi ex bono; manifestum enim est, quod id semper prius sit quod vivit, et id posterius quod inde vivit; haec causa est, quod dicatur deficientia vitae naturalis et inde intellectus, quae significantur per quod defecit cor ejus, quia non credidit illis.

5970. Et loquuti sunt ad illum omnia verba Josephi quae loquutus ad illos, quod significet influxum ex coelesti spiritualis, constat ex significatione loqui, quod sit influxus, de qua n: 2951. 5481. 5797; et ex repraesentatione Josephi, quod sit coeleste spiritualis, de qua n: 4286. 4592. 4963. 5307. 5331. 5332. 5417.

5971. Et vidit vehicula quae misit Josephus ad ferendum illum, quod significet doctrinalia inde quae persuaderent, constat ex significatione vehiculorum, quod sint doctrinalia; de qua n: 5945. 5952; ex significatione quae misit Josephus, quod sit quae a Coelesti Interno; et a significatione ad ferendum illum, quod sit quae persuaderent, nam ferre eum ad Josephum, ut videat eum, est persuadere; quod etiam ex visis vehiculis persuasus fuerit, ex Verbis quae nunc sequuntur, nempe, revixit spiritus Jacobi patris illorum, et dixit Israël, multum, adhuc Joseph filius meus vivit, constat.

5972. Et revixit spiritus Jacobi patris illorum, quod significet vitam novam, constat ex significatione revixit spiritus, quod sit vita nova; et ex repraesentatione Jacobi, quod sit bonum naturale, de qua n: 5965; [53] inde per revixit spiritus Jacobi, significatur vita nova bono naturali: vita nova fit, cum spirituale ab Interno influit, et in illis, quae in naturali sunt, ab interiori agit, inde bonum naturale fit spirituale, adjunctum bono spirituali quod repraesentatur per Israëlem; ob quam causam etiam Jacob nunc vocatur Israël, nam dicitur, „revixit spiritus Jacobi, et dixit Israël."

5973. Et dixit Israël, quod significet bonum spirituale nunc, constat ex repraesentatione Israëlis, quod sit bonum spirituale, ut n: 5801. 5803. 5806. 5832. 5817. 5819. 5826. 5833; quid bonum spirituale, quod Israël, et quid bonum naturale, quod Jacob, videatur supra n: 5965. [53] Qui non sensum internum Verbi novit, nusquam scire potest, cur Jacob nunc dicatur Jacob, et nunc Israël, nam in uno Capite, etiam in uno versu, nunc unum nomen, nunc alterum dicitur; quod sensus internus Verbi sit, inde manifeste constare potest; sicut hic, ubi dicitur „Revixit spiritus *Jacobi* patris illorum, et dixit *Israël:*" similiter alibi, ut Cap: XLII „Benjaminem fratrem Josephi non misit *Jacob* cum fratribus ejus, et venerunt filii *Israëlis* in medio venientium" Vers: 4. 5. Cap: XLVI: „Et profectus *Israël;* dixit Deus *Israëli* in visionibus noctis, *Jacob*, *Jacob*, et dixit, ecce me" Vers: 1. 2. „Surrexit *Jacobus* ex Beerscheba, et tulerunt filii *Israëlis Jacobum* patrem suum" ibid: Vers. 5. „Omnes animae domus *Jacobi*, venientis Aegyptum, septuaginta. Alligavit Joseph currum suum, et ascendit obviam *Israëli:* et dixit *Israël* ad Josephum" ibid: Vers: 27. 29. 30. Cap: XLVII „Habitavit *Israël* in terra Aegypti in terra Goschen; vixit *Jacòbus* in terra Aegypti septendecim annis. Et appropinquaverunt dies *Israëlis* ad moriendum" Vers: 27. 28. 29. Cap: XLVIII „Et indicavit *Jacobo*, et dixit, ecce filius tuus Joseph venit ad te; et confirmavit se *Israël*, et sedit super lecto, et dixit *Jacob* ad Josephum" Vers: 2. 3. Cap: XLIX: „Vocavit *Jacob* filios suos, et dixit, congregamini, et audite filii *Jacobi*, audite *Israëlem* patrem vestrum" Vers: 1. 2. et in eodem Capite „Maledicta ira eorum, quia vehemens, et excandescentia eorum, quia dura; dividam eos in *Jacobo*, et dispergam eos in *Israële*" Vers: 7. tum „Roborabuntur brachia manuum ejus a manibus *robusti Jacobi*, exinde pastor, lapis Israëlis" Vers: 24. praeter apud Prophetas frequenter.

5974. Multum, adhuc Joseph filius meus vivit, quod significet gaudium quod Internum non perierit, constat ex repraesentatione Josephi, quod sit coeleste internum; et ex significatione vivere, quod sit non periisse, nec rejectum, ut supra n: 5967; [54] quod gaudium sit, patet.

5975. Ibo et videbo illum antequam morior, quod signi-

ficet desiderium conjunctionis, antequam novum, constat ex significatione ire et videre, quod sit conjungi; quod videre sit conjungi, est quia interior visus in mundo spirituali conjungit, interior visus est cogitatio, et ibi in societate, quando plures ut unum agunt, „et quoque in choris" quod cogitat unus etiam cogitat alter, ita cogitatio conjungit; et quoque cum quidam cogitat de aliquo, sistitur is praesens, ita quoque conjungit; inde est, quod per ire et videre, significetur conjunctio: quod desiderium conjunctionis sit, fluit ex gaudio, de quo mox supra n: 5974; [55] et ex significatione antequam morior, quod sit antequam novum, nempe novum repraesentationis; in Verbo enim repraesentativa ita succedunt, ut cum unus moritur, sequatur repraesentativum vel simile per alium, vel aliud, ita novum, de qua re n: 3253. 3259. 3276; sicuti cum Abraham mortuus est, successit repraesentativum per Jischakum; et cum hic mortuus, successit repraesentativum per Jacobum; et cum hic mortuus, successit repraesentativum per posteros ejus; hoc novum est quod intelligitur.

Continuatio De Angelis et Spiritibus apud hominem.

5976. *Ad finem Capitis praecedentis, ostensum est, quod apud unumquemvis hominem, duo Spiritus ab Inferno sint, et duo Angeli e coelo, qui faciunt ut utrinque communicatio sit, et quoque ut homo in libero sit.*

5977. *Quod duo sint, est causa, quia duo genera Spirituum in Inferno sunt, et duo genera Angelorum in coelo, quibus correspondent duae facultates in homine, nempe voluntas et intellectus: primum genus Spirituum simpliciter vocantur* Spiritus, *et agunt in intellectualia; alterum genus vocantur* Genii, *et agunt in voluntaria; sunt etiam inter se distinctissimi; nam illi qui simpliciter vocantur Spiritus, infundunt falsa, ratiocinantur enim contra verum, ac in suae vitae jucundo sunt, cum possunt facere ut verum appareat ut falsum, ac falsum ut verum: at illi qui vocantur Genii, infundunt mala,*

agunt in affectiones et concupiscentias hominis, et olfaciunt momento quid desiderat homo; si hoc bonum est, solertissime flectunt id in malum, in jucundo suae vitae sunt, cum possunt facere ut bonum appercipiatur ut malum, ac malum ut bonum: illis permissum fuit agere in mea desideria, ut scirem qualis naturae sunt, et quomodo agunt, et fateri possum, nisi Dominus per Angelos custodiverit, quod pervertissent illa in concupiscentias mali, et hoc tam latenter ac tacite, ut vix aliquid de eo apperciperem. Hi qui Genii vocantur, nec quicquam commune habent cum illis qui vocantur Spiritus; illi seu Genii, nihil curant quid homo cogitat, sed solum quid amat; hi autem seu Spiritus, nihil curant quid homo amat, sed quid cogitat; illi seu genii jucundum in tacendo ponunt, hi autem seu spiritus in loquendo; sunt quoque prorsus separati ab invicem; Genii sunt in Infernis a tergo profunde, et ibi inconspicui spiritibus, cumque inspicitur illuc, apparent sicut umbrae quae volutant; spiritus autem in Infernis a lateribus et ab anterioribus sunt: inde nunc est, quod apud hominem bini spiritus ab Inferno sint.

5978. *Quod bini Angeli apud unumquemvis hominem sint, est quia illorum etiam duo genera sunt; unum quod agit in hominis voluntaria, alterum quod in ejus intellectualia; qui in hominis voluntaria, agunt in ejus amores et fines, consequenter in ejus bona; qui autem in hominis intellectualia, agunt in ejus fidem et principia, consequenter in ejus vera: sunt etiam illi inter se distinctissimi; vocantur illi qui in voluntaria hominis agunt,* Coelestes, *et illi qui in ejus intellectualia,* Spirituales: *Coelestibus oppositi sunt Genii, et Spiritualibus Spiritus. Haec a multa experientia scire datum est; nam cum utrisque continue sum in consortio et loquela.*

5979. *Homo, qui in fide est, credit, quod non nisi quam Angeli e coelo apud ipsum sint, et quod diabolici spiritus ab illo prorsus remoti; sed asseverare possum, quod apud hominem, qui est in concupiscentiis et jucundis amoris sui et mundi, et haec illi pro fine sunt, tam prope apud illum sint, ut sint in ipso, et regant ejus tam cogitationes quam affectiones; Angeli e coelo nequaquam possunt intra sphaeram talium esse, sed extra; quapropter etiam Angeli recedunt, sicut spiritus in-*

fernales propius accedunt: at usque angeli e coelo nusquam prorsus ab homine recedunt, tunc enim actum foret cum illo; nam si absque communicatione cum coelo per angelos foret, non potuisset vivere. Quod Spiritus infernales, et angeli coelestes apud hominem sint, etiam quodammodo ex doctrina fidei Ecclesiarum Christianarum est; dictat enim Doctrina, quod omne bonum a Deo, et quod malum a diabolo; et confirmant hoc praedicatores per id, quod in pulpitis orent, ut Deus regat eorum cogitata et eorum verba, quodque dicant quod in Justificatione omnia usque ad minima conatuum a Deo sint; tum quando homo bene vivit, quod se duci patiatur a Deo; et quoque quod angeli mittantur a Deo, qui homini inserviant: ac vicissim, cum homo aliquod enorme malum fecerat, dicunt, illum se a diabolo passum esse duci; et quod tale malum ab inferno sit; dixissent etiam, quod spiritus ab inferno influerent in mala interiora, quae sunt voluntatis et cogitationis, si haec mala pro tantis agnovissent.

5980. *Angeli sedulo et jugiter observant, quid mali spiritus et genii apud hominem intentant et moliuntur; et quantum homo patitur, flectunt mala in bona, vel ad bona, vel versus bona.*

5981. *Apparent apud infernales spiritus et genios aliquoties turpia et foeda, et effective qualia homo malus cogitat et loquitur; ne Angeli propter talia prorsus aufugiant, turpia illa et foeda apud illos mitiora appercipiuntur, quam in se sunt. Ut scirem, quomodo talia ab Angelis appercipiuntur, data est mihi apperceptio angelica cum turpia obvenirent, quae talis erat ut nihil horrescerem; versa fuerunt in mite quale describi non potest, sed modo comparari cum angulatis et pungentibus, qualia sunt cum illis ablata* [56] *sunt angularia et punctoria: ita turpia et foeda spirituum et geniorum infernalium hebetantur apud angelos.*

5982. *Dominus ponit hominem in aequilibrio inter mala et bona, ac inter falsa et vera, per malos spiritus ab una parte, et per angelos ab altera, ut homo sit in Libero; ut enim homo salvari possit, in Libero esse debet, ac in Libero abduci a malo, et duci ad bonum; quicquid non fit in Libero, hoc*

non manet, quia non appropriatur: Liberum illud est ex aequilibrio, in quo tenetur.

5983. *Quod per binos spiritus, et per binos angelos homini communicatio sit cum inferno et cum coelo, constare potest ex eo, quod in altera vita una societas cum alia, aut cum aliquo, non possit communicationem habere, nisi per spiritus qui ab illis emittuntur; emissarii hi spiritus vocantur subjecta, nam per illos ut per subjecta loquuntur. Emittere subjecta ad alias societates, et sic communicationem sibi comparare, inter familiaria in altera vita est; et mihi notissimum per id, quod millies ad me missi fuerint, et quod absque illis nihil scire potuerint quid apud me, ac nihil mecum communicare quod apud se. Inde sciri potest, quod spiritus et genii apud hominem nihil aliud sint quam subjecta, per quae cum inferno communicatio; et quod angeli coelestes et spirituales sint subjecta, per quae cum coelis communicatio.*

5984. *Spiritus, qui in mundo spirituum sunt, cum communicationem habere volunt cum pluribus societatibus, solent subjecta emittere, ad quamlibet unum: et observavi, quod mali spiritus emiserint plures circumcirca, et statuerint illos, sicut aranea suos casses, in quorum medio sunt illi qui emittunt: et quod miratus sum, hoc sciunt facere sicut ex quodam instinctu; nam qui nihil de talibus in vita corporis noverant, illico id in altera vita faciunt. Inde quoque constare potest, quod communicationes fiant per spiritus emissarios.*

5985. *Subjectum est, in quo concentrantur plurium cogitationes et loquelae, et sic plures sistuntur ut unus: et quia subjectum nihil prorsus ex se cogitat aut loquitur, sed ex aliis, et aliorum cogitationes et loquelae sistuntur ibi ad vivum, idcirco putant illi qui influunt, quod subjectum sit quasi nihil, et vix animatum, modo receptivum cogitationis et loquelae illorum; subjectum autem vicissim putat, quod non ab aliis, sed ex se solo cogitet et loquatur; ita fallaciae ludunt utrinque. Saepius datum est dicere ad subjectum, quod is nihil ex se cogitet et loquatur, sed ex aliis; et quoque quod alii illi putent, subjectum non posse aliquid ex se cogitare et loqui, ita apparere illis sicut in quo nihil vitae a se; quibus auditis, is qui fuit subjectum, valde indignatus est; sed ut de veritate convinceretur,*

loqui datum est cum spiritibus qui influebant, qui tunc fassi dicebant, quod subjectum prorsus nihil cogitet et loquatur ex se, et sic quod appareat illis vix ut animatum quoddam. Contigit etiam quondam, quod ille qui dicebat Subjectum esse nihil, factus sit Subjectum, et tunc caeteri dicebant de eo, quod is nihil esset, quo maximopere iratus est; sed usque per id instructus, quomodo se res habet.

5986. *Dignum memoratu est, quod pluries factum, et inde ostensum, quod nullus neque in Coelo neque in inferno, cogitet, loquatur, velit et agat ex se, sed ex aliis, et sic tandem omnes et singuli ex communi influxu vitae, quae a Domino: quando audivi dicentes, quod Subjectum nihil cogitaret et loqueretur ex se, et quod usque subjectum putaret quod solummodo ex se, pluries tunc datum est loqui cum illis, qui in subjectum influebant; qui cum confirmarent, quod illi ex se cogitarent et loquerentur, non autem Subjectum, et* [57] *quia putabant, quod illi ex se cogitarent et loquerentur, datum etiam est* [58] *illis dicere, quod hoc fallacia sit, et quod illi aeque ac subjectum cogitarent et loquerentur ex aliis; ad rem hanc confirmandam, loqui etiam datum est cum illis qui in hos influebant; et cum illi quoque simile fassi sunt, etiam cum illis iterum qui in hos, et sic porro in serie per continuum; inde patuit, quod unusquisque cogitaret et loqueretur ex aliis; ex hac experientia maxime indignati sunt spiritus, nam quisque eorum vult ut cogitet et loquatur ex se; sed quia inde instructi sunt, quomodo se res habet, dicebatur ad illos, quod omne cogitationis, ut et voluntatis influat, quia vita est unica, ex qua illae* [59] *vitae facultates, et quod influat illa a Domino per mirabilem formam, quae forma coelestis est; non solum communiter in omnes, sed etiam particulariter in singulos; et quod varietur ubivis secundum formam cujusvis subjecti, qualiter haec cum forma coelesti concordat, vel discordat. Ex his quoque constare potest, quomodo se habet cum homine, de quo in sequentibus, ubi de influxu.*

5987. *Quo plures sunt, qui intuitionem habent in unum Subjectum, eo vis fortior subjecti est cogitandi et loquendi, augetur vis secundum pluralitatem intuitionum concordantium; quod etiam mihi ostensum est, per abstractionem aliquorum qui*

influebant, quod tunc vis cogitandi loquendique Subjecti diminuta fuerit.

5988. *Fuerunt Subjecta apud me juxta caput, qui loquuti sicut essent in somno, sed usque loquuti sunt bene, sicut ii qui non in statu somni sunt: observabatur, quod mali spiritus in illa subjecta cum malignis dolis influerent, sed quod influxus in illis actutum dissiparetur; et quia noverunt, quod iidem illi fuerint prius illorum subjecta, ideo conquesti sunt, quod amplius non essent; causa erat, quia boni spiritus in illos nunc, cum in somno erant, agere possent, et sic quod per influxum illorum, maligna spirituum malorum discuterentur. Sed usque cogebantur mali spiritus in illa non in alia influere. Inde patet, quod dentur subjecta diversi generis et naturae, et quod variationes sint, secundum dispositionem Domini.*

5989. *Dolosissimi qui supra caput, sibi quondam subjecta assumebant, et ad me emittebant, ut cum dolis suis influere possent, sed fallebantur valde; unus cum subjectum factus, retorsit se et clausit, et se involvit quasi volumini, ut sic a se rejiceret influxum; ita ab illis extricavit se. Alium dein sumebant, sed nec poterant illum redigere ad loquendum, erat iis dolosior, quod manifestabat per quasi involutionem in formam helicis; ita delusi sunt. Praeterea mali spiritus non semper a suis emittunt subjecta, sed observant quinam spiritus sunt apud alios, tum quoque ubinam loci qui sunt simplices et obedientes, hos faciunt sibi subjecta; quod fit per quod cogitationes suas dirigant in illum, ac ei affectiones et persuasiones suas infundant, inde sui juris non est amplius, sed pro subjecto illis inservit; hoc quandoque is nescit.*

5990. *Sunt hodie perplures spiritus, qui non solum influere volunt in hominis cogitationes et affectiones, sed etiam in loquelam et actiones, ita quoque in ejus corporea; cum tamen corporea ab influxu particulari spirituum et angelorum exemta sunt, et reguntur per influxum communem, nempe cum cogitata in loquelam, et voluntaria in actiones determinantur, determinatio et transitio in corpus est secundum ordinem, et non regitur per aliquos spiritus in particulari; nam in corporea hominis influere, est illum obsidere: Spiritus, qui hoc volunt et intendunt, sunt qui in vita corporis fuerant adulteri, hoc*

est, qui jucundum in adulteriis perceperunt, ac sibi persuaserunt quod licita essent; tum quoque illi qui fuerunt crudeles; causa est, quia illi et hi prae caeteris sunt corporei et sensuales, et a se rejecerunt omnem cogitationem de coelo, tribuendo omnia naturae ac nihil Divino; ita clauserunt sibi interiora, et aperuerunt externa, in quorum solo amore quia fuerunt in mundo, ideo in altera vita in desiderio sunt redeundi in illa per hominem, obsidendo illum: sed providetur a Domino, ne tales in mundum spirituum veniant, detinentur in infernis suis bene clausi; inde nullae obsessiones externae hodie; sed usque sunt externae, [60] *etiam ab infernali et diabolica turba, cogitant enim mali homines talia quae spurca sunt, et quoque crudelia contra alios, tum adversa et maligna contra Divina; quae cogitationes nisi coërcerentur per timorem jacturae honoris, lucri, famae propter illa, poenae ex lege, et vitae, aperte erumperent, et sic tales ruerent plus quam obsessi in aliorum pernicies, et in blasphemias contra illa quae fidei sunt; sed vincula illa externa faciunt, ut non obsessi videantur, cum tamen quoad interiora, non autem quoad exteriora sunt; quod manifeste patet a talibus in altera vita, ubi vincula externa auferuntur, ibi sunt diaboli, continue in jucundo et cupido perdendi alios, et destruendi quicquid est fidei.*

5991. *Visi mihi sunt spiritus, qui dicendi sunt corporei; assurgebant e profundo ad latus plantae pedis dextri; apparuerunt coram visu mei spiritus sicut in crasso corpore; cumque interrogavi, quinam essent qui tales, dictum est, quod sint illi, qui in mundo polluerunt ingenio, et quoque Scientiis, et per illa se prorsus confirmaverunt contra Divinum, ita contra illa quae Ecclesiae sunt, et quia sibi plane persuaserunt, quod omnia naturae essent, clauserunt sibi plus quam alii interiora, ita illa quae spiritus sunt; inde crasse corporei apparent. Inter illos fuit unus, qui, cum vixit in mundo, mihi notus, is tunc inter celebratiores fuit propter ingenii dotes et eruditionem; sed haec, quae sunt media cogitandi bene de Divinis, fuerunt ei media cogitandi contra illa, et sibi persuadendi quod nihil sint, qui enim ingenio et eruditione pollet, is plura, quam alii, habet, quibus confirmat; inde ille interius fuit obsessus, sed in externa forma apparuit ut civilis et moratus homo.*

5992. *Angeli, per quos Dominus ducit, et quoque tutatur hominem, sunt prope caput; eorum munus est, inspirare charitatem et fidem; et observare jucunda hominis quo se vertunt, et illa, quantum ex libero hominis possunt, moderari et flectere ad bonum; illis vetitum est violenter agere, et sic frangere hominis cupiditates et principia, sed leniter; munus etiam eorum est, regere spiritus malos qui ab inferno, quod fit modis innumerabilibus; quorum hos solum memorare licet; cum mali spiritus infundunt mala et falsa, Angeli insinuant vera et bona, quae si non recipiuntur, usque per illa temperant; infernales spiritus continue aggrediuntur, et Angeli tutantur, talis est ordo: Angeli imprimis moderantur affectiones, nam hae faciunt vitam hominis, et quoque ejus liberum: tum observant Angeli, si aperiuntur Inferna, quae non prius aperta fuerunt, a quibus influxus apud hominem, quod fit cum homo in novum malum se infert; illa inferna Angeli, quantum homo patitur, claudunt, etiam Angeli removent spiritus, si quinam inde tentant emergere; dissipant etiam influxus peregrinos et novos, a quibus effectus mali: imprimis evocant Angeli bona et vera quae apud hominem, et opponunt contra mala et falsa, quae mali spiritus excitant; inde homo in medio est, nec appercipit malum nec bonum, et quia in medio, est in libero se convertendi ad unum aut ad alterum: per talia Angeli a Domino ducunt et tutantur hominem, et hoc unoquovis momento, et momenti momento; nam si modo Angeli uno momento intermitterent, homo praecipitaretur in malum, a quo postea nusquam potest educi. Haec faciunt Angeli ex amore, qui illis a Domino, nam nihil jucundius et felicius percipiunt, quam removere mala ab homine, et illum ducere ad Coelum, quod hoc gaudium illis, videatur Luc:* XV: 7. *Quod Dominus talem curam pro homine habeat, et hoc continue, a primo ejus vitae stamine ad ultimum, et dein in aeternum, vix aliquis homo credit.*

5993. *Ex his nunc constare potest, quod, ut communicatio homini sit cum Mundo spirituali, ei adjuncti erunt bini Spiritus ab Inferno, et bini Angeli e coelo, et quod absque illis prorsus nulla ei vita foret; homo enim nequaquam vivere potest ex influxu communi, sicut animalia rationis expertia,*

de quibus n: 5850, ex causa, quia omnis vita ejus est contra ordinem; si is, quia in illo statu, ageretur a solo influxu communi, non posset aliter quam solum agi ab Infernis, non autem e coelis; et si non e coelis, foret nulla ei vita interior, ita nulla cogitationis et voluntatis qualis est homini, et ne quidem qualis est animali bruto, nam homo nascitur absque omni usu rationis, in quem non nisi quam per influxum e coelis potest initiari. Ex illis quae allata sunt, etiam constat, quod homo non vivere possit absque communicatione cum Infernis per spiritus inde, nam omne ejus vitae, quod trahit a parentibus per haereditatem, et omne quod ipse ex suo superaddit, est amoris sui et mundi, non autem amoris proximi, et minus amoris Dei; et quia omne vitae hominis ex proprio, est amoris sui et mundi, ita est contemtus aliorum prae se, et est odii et vindictae contra omnes qui sibi non favent, inde etiam est crudelitatis, nam qui odio habet, is occidere cupit, quare etiam summopere delectatur eorum pernicie; his malis nisi applicarentur tales spiritus, qui non aliunde possunt esse quam ab Inferno, et homo per illos secundum jucunda vitae suae duceretur, nusquam potuisset flecti versus coelum; flectitur principio per ipsa sua jucunda; per haec quoque ponitur in libero, ita tandem in electione.



GENESEOS

CAPUT QUADRAGESIMUM SEXTUM.

1. Et profectus Israël, et omne quod illi; et venit Beerschebam; et sacrificavit sacrificia Deo patris sui Jischaki.

2. Et dixit Deus Israëli in visionibus noctis, et dixit, Jacob, Jacob, et dixit, ecce me.

3. Et dixit, Ego Deus, Deus patris tui, ne timeas a descendendo Aegyptum, quia ad gentem magnam ponam te ibi.

4. Ego descendam cum te Aegyptum, et ego ascendere faciam te etiam ascendendo: et Joseph ponet manum suam super oculos tuos.

5. Et surrexit Jacob e Beerscheba, et tulerunt filii Israëlis Jacobum patrem suum, et infantes suos, et mulieres suas, in vehiculis quae misit Pharao ad ferendum illum.

6. Et acceperunt pecus suum, et acquisitionem suam, quam acquisiverunt in terra Canaan, et venerunt Aegyptum, Jacob et omne semen ejus cum illo.

7. Filios suos, et filios filiorum suorum secum, filias suas et filias filiorum suorum, et omne semen suum, adduxit secum Aegyptum.

8. Et haec nomina filiorum Israëlis venientium Aegyptum, Jacobi et filiorum ejus; Primogenitus Jacobi Reuben.

9. Et filii Rubenis, Chanoch et Phallu, et Chezron, et Karmi.

10. Et filii Schimeonis, Jemuel et Jamin, et Ochad, et Jachin, et Zochar, et Schaul filius Canaanitidis.

11. Et filii Levi, Gerschon, et Kehath, et Merari.

12. Et filii Jehudae, Er et Onan et Schelah, et Perez et Serach; et mortuus est Er et Onan in terra Canaan, et fuerunt filii, Perez, Chezron et Chamul.

13. Et filii Jissaschar, Thola et Pujva, et Job, et Schimron.

14. Et filii Sebulun, Sered et Elon, et Jachleel.

15. Hi filii Leae, quos peperit Jacobo in Paddan Aram; et Dina filia illius: omnes animae filiorum ejus, et filiarum ejus, triginta et tres.

16. Et filii Gad, Ziphion et Chaggi, Schuni et Ezbon, Eri et Arodi et Areli.

17. Et filii Ascher, Jimna et Jischva, et Jischvi, et Beria, et Serech soror illorum; et filii Beriae, Cheber et Malkiel.

18. Hi filii Silpae, quam dedit Laban Leae filiae suae, et peperit hos Jacobo, sedecim animae.

19. Filii Rachelis uxoris Jacobi, Joseph et Benjamin.

20. Et natum Josepho in terra Aegypti, quos peperit illi Asenath filia Potipherae Sacerdotis On, Menasche et Ephraim.

21. Et filii Benjaminis, Bela et Becher, et Aschbel, Gera et Naaman, Echi et Rosch, Muppim et Chuppim, et Arde.

22. Hi filii Rachelis, qui nati Jacobo, omnes animae quatuordecim.

23. Et filii Danis, Chuschim.

24. Et filii Naphtali, Jachzeel, et Guni, et Jezer, et Schillem.

25. Hi filii Bilhae, quam dedit Laban Racheli filiae suae, et peperit hos Jacobo; omnes animae septem.

26. Omnis anima veniens Jacobo Aegyptum, egressi femur ejus, praeter foeminas filiorum Jacobi, omnes animae sexaginta et sex.

27. Et filii Josephi, qui nati illi in Aegypto, animae duae; omnes animae domui Jacobi venientis Aegyptum, Septuaginta.

28. Et Jehudam misit ante se ad Josephum, ad monstrandum ante se Goschen, et venerunt terram Goschen.

29. Et alligavit Joseph currum suum, et ascendit obviam Israëli patri suo Goschenem, et visus ad illum, et cecidit super colla ejus, et flevit super collis ejus diu.

30. Et dixit Israël ad Josephum, moriar hac vice, postquam vidi facies tuas, quod adhuc tu vivas.

31. Et dixit Joseph ad fratres suos, et ad domum patris sui, ascendam et indicabo Pharaoni, et dicam ad illum, fratres mei, et domus patris mei, qui in terra Canaan, venerunt ad me.

32. Et viri pastores gregis, quia viri pecoris sunt; et greges suos, et armenta sua, et omnia quae illis, venire fecerunt.

33. Et sit, quod vocet vos Pharao, et dicat, quid opera vestra.

34. Et dicatis, viri pecoris fuerunt servi tui a pueritiis suis, et usque ad nunc, etiam nos, etiam patres nostri; propterea ut habitetis in terra Goschen; quia abominatio Aegyptiorum omnis pastor gregis.

CONTENTA.

5994. Agitur in hoc Capite in sensu interno de Conjunctione Coelestis Interni, quod est Joseph, cum Bono spirituali e naturali, quod est Israël. Enumerantur dein vera et bona Ecclesiae in suo ordine, cum quibus postea conjunctio fiet; vera et bona Ecclesiae sunt filii et nepotes Israëlis, qui venerunt Aegyptum.

SENSUS INTERNUS.

5995. Vers: 1. *Et profectus Israël, et omne quod illi, et venit Beerschebam, et sacrificavit sacrificia Deo patris sui Jischaki.* Et profectus Israël, et omne quod illi, significat initium conjunctionis: et venit Beerschebam, significat charitatem et fidem: et sacrificavit sacrificia Deo patris sui Jischaki, significat cultum inde, et influxum ex Divino Intellectuali.

5996. Et profectus est Israël, et omne quod illi, quod significet initium conjunctionis, constat ex significatione proficisci, quod sit successivum et continuum, de qua n: 4375. [1] 4882. 5493, hic continuum et successivum glorificationis Domini, Qui in supremo sensu est Israël et Joseph; at continuum et succes-

sivum regenerationis hominis in sensu interno; et quia in hoc Capite nunc succedit et continuatur de Conjunctione naturalis hominis cum spirituali, seu externi cum interno, ideo per profectus est Israël, et omne quod illi, significatur initium conjunctionis.

5997. Et venit Beerschebam, quod significet charitatem et fidem, constat ex significatione Beerschebae, quod sit doctrina charitatis et fidei, de qua n: 2858. 2859. 3466, hic charitas et fides, non autem doctrina illarum, nam praedicatur de Bono spirituali, quod Israël; Bonum spirituale est plus quam doctrina, doctrina est ex bono illo; quapropter qui ad bonum spirituale pervenit, non magis opus habet doctrinalibus, quae ab aliis, est enim in fine quo tetendit, non amplius in mediis, et doctrinalia non sunt aliud quam media perveniendi ad bonum ut ad finem; inde nunc est, quod per Beerschebam significetur charitas et fides.

5998. Et sacrificavit sacrificia Deo patris sui Jischaki, quod significet cultum inde, ac influxum a Divino Intellectuali, constat a significatione sacrificare sacrificia, quod sit cultus, de qua n: 922. 923. 2180; et a repraesentatione Jischaki, quod in supremo sensu sit Divinum Rationale seu Intellectuale Domini, de qua n: 1893. 2066. 2072. 2083. 2630. 3012. 3194. 3210; quod influxus inde in cultum sequitur, nam intelligitur cultus ex charitate et fide, quae significantur per Beerschebam, n: 5997, ubi sacrificavit. Quod Jacob sacrificaverit Deo patris sui Jischaki, indicat, quales fuerunt Patres gentis Judaicae et Israëliticae, quod nempe quisque eorum coluerit suum Deum; quod alius Deus Jischaki fuerit, quam illius, patet ex eo, quod ei sacrificaverit, et quod in visionibus noctis ei dictum „Ego Deus, Deus patris tui;" et quoque ex eo, quod juraverit per Eundem, de quo Genes: Cap: XXXI „*Deus Abrahami*, et *Deus Nachoris*, judicent inter nos, *Deus patris eorum;* tunc juravit Jacobus *in Pavorem patris sui Jischaki*" Vers: 53; et quoque constat, quod Jacobus non agnoverit Jehovam initio, nam dixit „Si fuerit Deus cum me, et custodiverit me in via hac, quam ego ambulans, et dederit mihi panem ad edendum, et vestem ad induendum, et rediero in pace ad domum patris mei, et *erit Jehovah mihi in Deum*" Genes: XXVIII: 20. 21, [2] ita agnovit

Jehovam cum conditione: mos eorum fuit, agnoscere patrum suorum deos, at suum in specie: hoc traxerunt a patribus suis in Syria, nam Therachus pater Abrami, et quoque ipse Abram ibi, coluerunt alios deos quam Jehovam, videatur n: 1356. 1992. 3667; posteri illorum, qui Jacob et Israël vocati sunt, tali inde genio fuerunt, ut corde coluerint gentilium deos, ac Jehovam solum ore, et quoad solum nomen: causa quod tales fuerint, erat, quia in solis externis absque aliquo interno fuerunt; et qui tales, nequaquam possunt aliter quam credere, quod cultus consistat solum in nominando Deum, et dicendo quod is eorum Deus sit, et hoc quamdiu benefacit; et quod nihil cultus consistat in vita charitatis et fidei.

5999. Vers: 2. 3. 4. *Et dixit Deus Israëli in visionibus noctis, et dixit, Jacob, Jacob, et dixit, ecce me. Et dixit, Ego Deus, Deus patris tui, ne timeas a descendendo Aegyptum, quia ad gentem magnam ponam te ibi. Ego descendam cum te Aegyptum, et Ego ascendere faciam te* [*etiam*] *ascendendo: et Joseph ponet manum suam super oculos tuos.* Et dixit Deus Israëli in visionibus noctis, significat revelationem obscuram: et dixit, Jacob, Jacob, significat ad verum naturale: et dixit, ecce me, significat apperceptionem: et dixit, Ego Deus, Deus patris tui, significat Divinum Intellectuale, a quo influxus: ne timeas a descendendo Aegyptum, significat quod verum naturale cum omnibus ejus initiabitur in scientifica Ecclesiae: quia ad gentem magnam ponam te, significat quod vera fient bonum: Ego descendam cum te Aegyptum, significat praesentiam Domini in illo statu: et Ego ascendere faciam te etiam ascendendo, significat elevationem postea: et Joseph ponet manum suam super oculos tuos, significat quod coeleste internum vivificabit.

6000. Et dixit Deus Israëli in visionibus noctis, quod significet revelationem obscuram, constat ex significatione dixit Deus in visionibus, quod sit revelatio; fiebant enim revelationes vel per somnia, vel per visiones noctis, vel per visiones diei, vel per loquelam intra hominem, vel per loquelam extra illum ab angelis visis, etiam per loquelam extra ab angelis non visis, per haec in Verbo significantur revelationum variae species, et per visionem noctis, revelatio obscura; Nox enim significat obscurum, n: 1712. 2514, et obscurum in sensu spirituali est, quod ve-

rum non appareat; nox etiam in Verbo significat falsum ex malo, nam qui ex malo in falso sunt, in obscuro noctis sunt; inde in nocte dicuntur omnes qui in inferno; sunt quidem ibi in lumine, nam vident se mutuo, sed lumen illud est quasi lumen ex igne sicco carbonario, et vertitur in tenebras ac caliginem cum Lux coelestis influit; inde est, quod illi qui in inferno sunt, dicantur in nocte esse, et quod appellentur angeli noctis et tenebrarum, et vicissim illi qui in coelo sunt, Angeli diei et lucis. Quod Nox sit obscurum, et quoque falsum, etiam constare potest ab his locis in Verbo; apud Johannem „ Jesus dixit, nonne duodecim horae diei, si quis ambulat *in die*, non offendit, si quis autem ambulat *in Nocte*, offendit, quia lux non est in illo " XI: 9. 10; duodecim horae pro omnibus statibus veri; ambulare in die pro vivere in vero; et ambulare in nocte pro vivere in falso. Apud Eundem „ Me oportet operari opera Ipsius Qui misit Me, quousque *dies est*, *venit Nox* quando nemo poterit operari " IX: 4; dies pro vero ex bono, et nox pro falso ex malo; est primum tempus Ecclesiae, quod per diem intelligitur, tunc enim recipitur verum quia in bono sunt; et est ultimum tempus quod per noctem, tunc enim nihil veri recipitur, quia non in bono sunt; cum enim homo non in bono est, hoc est, non in charitate erga proximum, tunc si vel verissima ei dicerentur, non recipit; nequaquam enim percipitur tunc quid verum, quia lux veri cadit in talia quae corporis et mundi sunt, quibus unice student, et quae unice amant et pro reali existimant, non autem in talia quae coeli sunt, quia haec illis respective parvi aut nihili sunt, inde lux veri in caliginoso, sicut lux solis in nigro, absorbetur et suffocatur, hoc significatur per quod venit nox quando nemo poterit operari; tale etiam hodie tempus est. Apud Matthaeum „ Tardante sponso dormitarunt omnes virgines, et obdormiverunt: *media autem nocte* clamor factus est, ecce sponsus venit " XXV: 5. 6. 7; media nox etiam pro ultimo tempore Ecclesiae veteris, quando nihil fidei est quia nihil charitatis, et quoque pro primo tempore Ecclesiae novae. Apud Lucam „ Dico vobis, *illa nocte* erunt duo super lecto uno, unus acceptabitur, alter relinquetur " XVII: 34; Nox similiter ibi pro ultimo tempore Ecclesiae veteris, et primo novae. Apud Matthaeum „ Dixit Jesus discipulis, omnes vos scandalizabimini

contra Me in *Nocte hac.* Et ad Petrum, *in hac Nocte*, antequam gallus cantaverit, ter abnegaturus es Me" XXVI: 31. 34; quod Domino placuerit ut caperetur noctu, significabat quod Divinum verum illis esset in obscuro noctis, quodque falsum ex malo loco ejus: et quod Petrus in illa nocte ter abnegaverit Dominum, repraesentabat etiam ultimum tempus Ecclesiae, quando verum fidei quidem docetur, sed non creditur, quod tempus est nox, quia Dominus tunc in cordibus hominum plane abnegatur; duodecim enim Apostoli, sicut duodecim tribus Israëlis, repraesentaverunt omnia fidei, n: 577. 2089. 2129 f. 2130 f. 3272. 3354. 3488. 3858. 3913. 3939. 3926. 4060; et Petrus repraesentavit fidem Ecclesiae, videatur Praefatio ad Cap: XVIII: Genes: tum Praefatio ad Cap: XXII; ut et 3750. 4738; inde est, quod Dominus ad Petrum dixerit, quod in illa nocte ter abnegaturus esset illum, et ad discipulos, omnes vos scandalizabimini contra Me in nocte hac. Apud Esaiam „Ad me clamans e Seir, custos *quid de Nocte*, custos *quid de Nocte;* dixit custos, venit mane, *etiamque nox*" XXI: 11. 12, ibi de adventu Domini, qui est mane, qui adventus fuit, cum nullum amplius verum spirituale in terra esset, quod est nox. Apud Sachariam „Erit dies unus, qui notus Jehovae, *non dies nec nox*, quia *circa tempus vesperae* erit lux: fiet, in die illo exibunt aquae vivae ex Hierosolyma; et Jehovah erit in Regem super totam terram; in die illo erit Jehovah unus, et Nomen Ipsius unum" XIV: 7. 8. 9; hic quoque de Domino, ut et de Ecclesia nova; Jehovah qui in Regem, et Jehovah quod unus, et Nomen Ipsius quod unum, est Dominus quoad Divinum Humanum, quod unum erit cum Ipso Divino quod vocatur Pater; ante adventum Domini fuit Divinum Humanum Jehovah in Coelis, nam per transitum per coelos sistebat se ut Divinum Hominem coram pluribus in terra, et tunc Divinum Humanum non ita unum fuit cum Ipso Divino, quod Pater vocatur, sicut cum Dominus illud in Se prorsus unum fecit: quod prius quasi distincta fuerint, patet a Cap: XIX: Genes: ubi dicitur „quod *Jehovah* pluere fecerit super Sodomam et Amoram *sulphur* et *ignem* a cum *Jehovah* e coelo" Vers: 24; n: 2447; dies quando non dies nec nox, est cum natus Dominus, tunc enim vespera erat, hoc est, finis repraesentativorum Ecclesiae;

lux circa tempus vesperae est Divinum Verum quod tunc appariturum. Apud Esaiam „Utique *noctu* vastata est Ar, Moabus excisus est, utique *noctu* vastata est Kir Moabi" XV: 1, [3] Moabus pro bono naturali, et in sensu opposito pro bono adulterato, n: 2468, hic de vastatione ejus, vastationes dicuntur noctu fieri, quia tunc verum obscuratur et falsum intrat. Apud Jeremiam „Urbs magna flendo flebit *in Nocte*, et lachryma ei super gena ejus" Thren: I: 2; ibi de desolatione veri, nox pro falso. Apud Davidem „Non timebis tibi *a pavore noctis*, a telo quod volat interdiu, nec a morte quae vastat in meridie" Psalm: XCI: 5. 6; pavor noctis pro falsis mali quae ab inferno; telum quod volat interdiu pro falso quod aperte docetur, per quod destruitur bonum; mors quae vastat in meridie, pro malo in quo aperte vivitur, per quod destruitur verum. Apud Johannem „Portae Sanctae Hierosolymae non claudentur interdiu, *Nox enim non est ibi*" Apoc: XXI: 25: „*nox non erit ibi*, neque opus habent lucerna, et luce solis, quia Dominus Deus illustrat illos" Apoc: XXII: 5; nox non erit ibi, pro quod non falsum. Apud Danielem „Daniel dixit, *videns fui in visione mea cum Nox esset*. Postea etiam *videns fui in visionibus noctis*" VII: 2. 7; visiones noctis etiam pro revelatione obscura; ibi enim agitur de quatuor bestiis, et cornibus illorum, et de pluribus quae sunt revelationis obscurae: similiter equi varii coloris, quos Sacharias *vidit noctu*, Sach: I: 8 seq. [4]

6001. Et dixit, Jacob, Jacob, quod significet ad verum naturale, constat ex repraesentatione Jacobi, quod sit verum naturale, de qua n: 3305. 3509. 3525. 3546. [5] 3599. 3775. 4234. 4009. 4520. 4538; causa quod dicatur Jacob, et non Israël, est quia verum naturale cum omnibus ejus initiabitur in scientifica Ecclesiae, quae significantur per quod Jacob cum filiis descenderet in Aegyptum, videatur infra n: 6004.

6002. Et dixit, ecce me, quod significet apperceptionem, constat absque explicatione.

6003. Et dixit, Ego Deus, Deus patris tui, quod significet Divinum Intellectuale a quo influxus, constat ex repraesentatione Jischaki, qui hic est pater ejus, quod sit Divinum Rationale seu Intellectuale Domini, ut supra n: 5998, nam dicitur, Deus Deus patris sui; quod inde influxus, est quia omne

verum est Intellectualis, ita quoque verum naturale, quod per Jacobum repraesentatur, n: 6001. Quid Divinum Rationale seu Intellectuale, quod per Jischakum repraesentatur, videatur n: 1893. 2066. 2072. 2088. 2630. 3012. 3194. 3210. In Lingua originali Deus primo loco nominatur in singulari, altero autem loco in plurali, nempe in primo EL, in altero ELOHIM, causa est, quia per Deum in primo loco significatur, quod Deus unus et solus sit, et per Deum in altero, quod plura ei attributa sint, inde Elohim seu Deus in plurali, ut in Verbo, fere ubivis; quia plura attributa, et Antiqua Ecclesia cuivis Nomina indidit, idcirco posteri, apud quos deperdita fuit scientia talium, crediderunt plures esse Deos, et elegerunt sibi familiae unum ex illis pro suo Deo, ut Abraham Schaddai, n: 1992. 3667. 5628; Jischak Deum qui dictus Pachad seu Pavor; et quia Deus cujusvis fuit unum ex attributis Divinis, ideo dixit Dominus ad Abramum „Ego Deus Schaddai" Genes: XVII: 1; et hic ad Jacobum, „Ego Deus patris tui".

6004. Ne timeas a descendendo Aegyptum, quod significet quod verum naturale cum omnibus ejus initiabitur in scientifica Ecclesiae, constat ex repraesentatione Jacobi, qui est qui descenderet Aegyptum, quod sit verum naturale de qua mox supra n: 6001; a significatione descendere, quod sit initiari, nam ut haec initiatio repraesentaretur, Jacob cum omnibus ejus descendit in Aegyptum; et a significatione Aegypti, quod sint scientifica Ecclesiae, de qua n: 1462. 4749. 4964. 4966. Cum hoc, quod Verum initiabitur in scientifica Ecclesiae, ita se habet; scientifica Ecclesiae fuerunt eo tempore Repraesentativa et Significativa Ritualium, nam omnia Ritualia Ecclesiae erant ex talibus, tum quoque erant Scientifica quae inserviebant doctrinalibus charitatis quae apud illos, ex his scientificis sciebant, quinam intelliguntur per pauperes, egenos, miseros, afflictos, oppressos, viduas, pupillos, peregrinos, vinctos in carcere, nudos, aegrotos, esurientes, sitientes, claudos, caecos, surdos, mutilos, et per plures alios, in quos distinxerunt Proximum, et sic docuerunt quomodo charitas exercenda; talia fuerunt scientifica illius temporis; quae quod hodie prorsus obliterata sint, patet ex eo, quod ubi nominantur in Verbo, vix aliquis sciat quam quod intelligantur tales qui ita vocantur, ut ubi nomi-

nantur viduae quod sint viduae, ubi peregrini quod sint peregrini, ubi vincti in carcere, quod sint illi, et sic porro: talia scientifica floruerunt in Aegypto, quapropter per Aegyptum significantur scientifica: quod in talia scientifica initiaretur verum naturale, quod est Jacob, repraesentatur per quod Jacob cum omni suo descenderet in Aegyptum. Vera in scientifica initiari dicuntur, cum in illa conferuntur, ut ibi sint; quod fit ob illam causam, ut cum in cogitationem venit scientificum, simul in recordationem veniant vera, quae illata sunt; ut pro exemplo, cum peregrinus, quia per illum significantur qui instruendi, quod obveniant illico omnia charitatis exercitia erga tales; ita vera; similiter in reliquis; cum scientifica illis impleta sunt, tunc cum cogitatur ex scientificis, extendit et effundit se cogitatio late, et quidem ad plures societates simul in coelis; nam tale scientificum, quia consistit ex tam multis veris intus in se, explicat se ita, homine nesciente; sed vera erunt quae in illis: ex ordine Divino etiam est, ut interiora se conferre debeant in exteriora, seu quod idem, priora in posteriora, ita omnia priora tandem in ultima, et ibi simul erunt; ita fit in universa natura; nisi ita fiat, homo non plene regenerari potest, nam per talem illationem verorum in scientifica, concordant ac unum faciunt interiora et exteriora quae alioquin discreparent, et si discreparent, homo non est in bono, quia non in sincero: praeterea scientifica sunt in lumine paene in quo sensuale visus hominis, et hoc lumen tale est, ut nisi illustratum sit intus a luce quae est a veris, inducat in falsa, imprimis ex fallaciis sensuum, et quoque in mala ex falsis; quod ita sit, videbitur ab experientia ad finem Capitum de Influxu.

6005. Quia ad gentem magnam ponam te, quod significet quod vera fient bonum, constat ex repraesentatione Jacobi, de quo haec dicta, quod sit verum naturale, de qua supra n: 6001; et ex significatione gentis, quod sit bonum, de qua n: 1259. 1260. 1416. 1849: gentes et populi saepe nominantur in Verbo, sed ubivis cum hac differentia, quod per gentes significentur bona aut mala, et per populos vera aut falsa.

6006. Ego descendam cum te Aegyptum, quod significet praesentiam Domini in illo statu, constat a significatione descendere cum te, quod sit praesentia Domini, nam per Deum

qui in visionibus noctis loquutus est cum Jacobo, intelligitur Dominus.

6007. Et ego ascendere faciam te etiam ascendendo, quod significet elevationem postea, constat ex significatione ascendere, quod sit elevatio, de qua n: 3084. 4539. 5406. 5817; elevatio quae hic significatur, est a scientificis ad interiora; postquam enim scientifica ita ut dictum n: 6004, veris impleta sunt, homo elevatur a scientificis versus interiora, et tunc inserviunt ei scientifica pro plano intuitionum ejus ultimo: elevari versus interiora, est cogitare interius, ac tandem ut spiritus ac ut Angelus; nam cogitatio quo interius vadet, eo perfectior est, quia propior influxui veri et boni a Domino: quod Cogitatio interior et exterior sit, videatur n: 5127. 5141.

6008. Et Joseph ponet manum suam super oculos tuos, quod significet quod Coeleste internum vivificabit, constat ex repraesentatione Josephi, quod sit Coeleste Internum, de qua n: 5869. 5877; et a significatione ponere manum super oculos, quod sit vivificare; nam per ponere manum super oculos intelligitur quod sensuale externum seu corporis, claudetur, et sensuale internum aperietur, ita quod elevatio fiet, et sic vivificabitur: fiebat hoc cum morerentur, quia per mortem significabatur resuscitatio in vitam, n: 3498. 3505. 4618. 4621; cum enim moritur homo, non moritur, sed modo deponit corpus, quod serviverat ei usui in mundo, et transit in alteram vitam in corpore quod inservit ei usui ibi.

6009. Vers: 5. 6. 7. *Et surrexit Jacob e Beerscheba, et tulerunt filii Israëlis Jacobum patrem suum, et infantes suos, et mulieres suas, in vehiculis, quae misit Pharao ad ferendum illum. Et acceperunt pecus suum, et acquisitionem suam quam acquisiverunt in terra Canaan, et venerunt Aegyptum, Jacob et omne semen ejus cum illo. Filios suos, et filios filiorum suorum secum, filias suas, et filias filiorum suorum, et omne semen suum, adduxit secum Aegyptum.* Et surrexit Jacob, significat elucidationem veri naturalis: e Beerscheba, significat ex doctrina charitatis et fidei: et tulerunt filii Israëlis Jacobum patrem suum, significat quod vera quae spiritualia promoverint verum naturale: et infantes suos, significat una cum illis quae innocentiae: et mulieres suas, significat et quae cha-

ritatis: in vehiculis quae misit Pharao ad ferendum illum, significat doctrinalia quae ex scientificis Ecclesiae: et acceperunt pecus suum, significat veri bona: et acquisitionem suam, quam acquisiverunt in terra Canaan, significat vera comparata a prioribus quae Ecclesiae: et venerunt Aegyptum, significat initiationem in scientifica Ecclesiae: Jacob et omne semen ejus cum illo, significat veri naturalis et omnium fidei quae illi: filios suos et filios filiorum suorum secum, significat vera in ordine: filias suas et filias filiorum suorum, significat bona in ordine: et omne semen suum, significat omne fidei et charitatis: adduxit secum Aegyptum, significat quod collata in scientifica quae Ecclesiae.

6010. Et surrexit Jacob, quod significet elucidationem veri naturalis, constat ex significatione surgere, quod sit elevatio in statum lucis, ita elucidatio, de qua n: 4881; et a repraesentatione Jacobi, quod sit verum naturale, de qua supra n: 6001.

6011. E Beerscheba, quod significet ex doctrina fidei et charitatis, constat ex significatione Beerschebae, quod sit doctrina fidei et charitatis, de qua n: 2858. 2859. 3466.

6012. Et tulerunt filii Israëlis Jacobum patrem suum, quod significet quod vera quae spiritualia promoverint verum naturale, constat ex repraesentatione filiorum Israëlis, quod sint vera spiritualia, de qua n: 5414. 5879; et a repraesentatione Jacobi, quod sit verum naturale, de qua n: 3305. 3509. 3525. 3546. [5] 3599. 3775. 4234. 4009. 4520. 4538; quod tulerunt sit quod promoverint, est quia praedicatur de veris spiritualibus respective ad verum naturale; nec verum naturale aliunde promoveri potest quam a spirituali, nam inde ejus vita ac vis agendi: exinde nunc est, quod filii Jacobi hic dicantur filii Israëlis, et Jacob Jacob.

6013. Et infantes suos, quod significet una cum illis quae innocentiae, constat ex significatione infantum, quod sit innocentia, de qua n: 3183. 5608; cum illis quae sunt innocentiae, tum quae charitatis, dicitur, ex causa, quia absque innocentia et charitate non potest verum naturale promoveri a veris spiritualibus, verum enim ut genuinum sit, ex charitate, et haec ab innocentia, trahet suam essentiam et vitam; succedunt enim interiora, quae vivificant verum hoc ordine, intimum est inno-

centia, inferius est charitas, et infimum est opus charitatis ex vero seu secundum verum; quod ita succedant, est quia in coelis ita succedunt, Intimum enim seu tertium coelum est coelum innocentiae, medium seu secundum coelum est coelum charitatis, in qua innocentia a coelo intimo, et ultimum seu primum coelum est veri in quo charitas ex secundo coelo, et in hoc innocentia a tertio; haec in eodem ordine erunt apud hominem, nam homo quoad interiora est ad imaginem trium coelorum formatus; inde etiam homo regeneratus est coelum in particulari seu in minima forma; at quoad exteriora, imprimis quoad corpus, est formatus ad imaginem mundi, quapropter ab antiquis vocatus est microcosmus; auris enim formata est ad omnem naturam aëris et soni; oculus ad omnem aetheris et lucis; lingua ad omnem sensum partium solutarum et fluentium in liquidis, nares ad sensum partium fluentium in atmosphaera; tactus ad sensum frigoris et caloris, tum gravium terrae, et sic porro; sicut sensus externi hominis sunt ad omnem imaginem mundi naturalis, ita sensus interni ejus, qui sunt ejus intellectus et voluntatis, formati sunt ad omnem imaginem coeli, ob finem ut homo in particulari sit recipiens Divini boni a Domino, sicut coelum est in communi.

6014. Et mulieres suas, quod significet et quae charitatis, constat a significatione mulierum, quod sint bona, cum viri eorum sunt vera, de qua n: 4823, proinde quae charitatis, omnia enim bona spiritualia sunt charitatis erga proximum, et omnia bona coelestia sunt amoris in Dominum.

6015. In vehiculis quae misit Pharao ad ferendum illum, quod significet doctrinalia quae ex scientificis Ecclesiae, constat ex significatione vehiculorum, quod sint doctrinalia, de qua n: 5945; et ex repraesentatione Pharaonis, quod sit scientificum Ecclesiae in communi, per Aegyptum enim significatur scientificum Ecclesiae, n: 1462. 4749. 4964. 4966, inde per regem ejus scientificum illud in communi; ut quoque alibi in Verbo, sed plerisque in locis sicut per Aegyptum ita quoque per Pharaonem, significatur scientificum perversum: quod Pharao sit scientificum in communi, patet apud Esaiam „Stulti sunt principes Zoanis, *sapientes consiliariorum Pharaoni*, consilium obbrutuit; quomodo dicetis *ad Pharaonem*, filius sapientum ego,

filius regum antiquitatis" XIX: 11; Pharao hic pro scientifico Ecclesiae in communi, inde dictus filius sapientum, et filius regum antiquitatis, sapientes et reges antiquitatis pro veris antiquae Ecclesiae; sed scientificum illud hic intelligitur infatuatum, nam dicitur, stulti facti principes Zoanis, consilium obbrutuit. Apud Eundem „Abeunt ad descendendum *Aegyptum*, sed os meum non interrogarunt, ad roborandum se *robore Pharaonis*, et ad confidendum *in umbra Aegypti;* ideo fiet vobis *robur Pharaonis* in pudorem, et fiducia *in umbra Aegypti* in ignominiam" XXX: 2. 3; roborare se robore Pharaonis, et confidere in umbra Aegypti pro fidere scientificis in rebus fidei, et non alicui vero spirituali fidem habere, nisi scientificum et sensuale dictet, quod tamen est perversi ordinis; nam primo loco erunt vera fidei, et secundo scientifica confirmantia, quia haec si primo loco sunt, prorsus nihil veri creditur. Apud Jeremiam „Dixit Jehovah Zebaoth Deus Israëlis, ecce Ego visitans super Amonem in No; et *super Pharaonem*, et *super Aegyptum*, et super deos ejus, et super reges ejus; imprimis *super Pharaonem*, et confidentes in eo". XLVI: 25; Pharao hic quoque pro scientifico in communi; confidentes in eo, pro illis qui fidunt scientificis, non autem Verbo, hoc est, Domino in Verbo, inde est omne perversum in doctrinalibus fidei, et inde falsum, et quoque negativum quod Divinum et coeleste sit aliquid; hi imprimis in ore gerunt, fac mihi videre illa oculariter, aut demonstra scientifice quod ita sit, et tunc credam; at usque si viderent, et si demonstraretur, nec crederent, ex causa quia negativum universaliter regnat. Apud Eundem „Contra *Pharaonem;* ecce aquae ascendentes [a] septentrione, quae fient in flumen inundans, et inundabunt terram et plenitudinem ejus, urbem et habitantes in illa, ut clament homines, et ejulet omnis habitator terrae, prae voce plausus equorum ungularum fortium ejus, et tumultu currus ejus, strepitu rotarum ejus" XLVII: 1. 2. 3; ex singulis quae de Pharaone hic dicta sunt, liquet, quod Pharao sit scientificum in communi, hic in perverso ordine, qui destruit vera fidei; flumen inundans est scientificum destruens intellectum veri, ac ita vastans; inundabunt terram et plenitudinem ejus, est Ecclesiam totam; urbem et habitantes in illa, est verum Ecclesiae, et inde bonum; plausus ungula-

rum equorum, sunt scientifica infima quae immediate ex sensualibus; tumultus currus, est inde doctrinale falsum; strepitus rotarum, sunt sensualia et illorum fallaciae quae promovent. Apud Ezechielem „Dixit Dominus Jehovih, ecce Ego *contra te Pharao rex Aegypti*, balaena magna, quae cubans in medio fluviorum suorum, qui dicit, meus est fluvius, et ego feci me: propterea dabo hamos [6] in maxillas tuas, et adhaerere faciam piscem fluviorum tuorum squamis" XXIX: 2. 3. 4; Pharao hic quoque pro scientifico in communi, quod similiter a singulis, quae de illo dicuntur, patet. Apud Eundem „Tolle lamentationem *super Pharaonem regem Aegypti*, tu sicut balaenae in maribus, et prodiisti cum fluminibus tuis, et turbasti aquas pedibus tuis, conturbasti flumina illarum: obtegam, cum exstinxero te, Coelos; et atrabo stellas eorum, solem nube obtegam, et luna non lucere faciet lumen suum; omnia luminaria lucis atrabo super te, et dabo tenebras super terra tua" XXXII: 2. 3. 7. 8; quod haec, sicut plura apud Prophetas, absque sensu interno a nemine possint comprehendi, patet; sicut quod Pharao sicut balaenae in maribus, quod prodierit ex fluminibus suis, et turbaverit aquas pedibus suis; quod super illum obtegentur coeli, atrabuntur stellae, et omnia luminaria lucis, nube obtegetur sol, non lucebit luna, et dabuntur tenebrae super terra ejus: at sensus internus docet, quid significant; nempe quod scientifica pervertant vera Ecclesiae, si homo per illa intrat in arcana fidei, et nihil credit nisi videat ex illis, imo nisi ex sensualibus; quod hic sensus internus sit, patet ab explicatione singulorum: Pharao dicitur *Rex Aegypti*, ex Vero scientifico, nam scientificum est verum in naturali; quod Rex sit verum, videatur n: 1672. 1728. 2015. 2069. 3009. 3670. 4575. 4581. 4966. [7] 5044; et quod simile significetur per regem populi, quod per populum, n: 4789, ita per Pharaonem simile quod per Aegyptum, sed in communi; quod Aegyptus sit scientificum, pluries ostensum est: Pharao comparatur *balaenis in maribus*, quia balaena seu cetus significat communia scientificorum, n: 42; et maria sciêntificorum congregationes, n: 28: tum dicitur, quod *prodierit cum fluminibus suis*, quia per flumina significantur illa quae sunt intelligentiae, n: 108. 109. 2702. 3051, hic quae sunt insaniae, quoniam ex sensualibus et scien-

tificis, n: 5196: dein dicitur, quod *turbaverit aquas pedibus*, et *conturbaverit flumina illarum*, quia per aquas significantur vera spiritualia, n: 680. 739. [8] 2702. 3058. 3424. 4976. 5668; et per pedes illa quae naturalis sunt, n: 2162. 3147. 3761. 3986. 4280. 4938 ad 4952, ita turbare aquas pedibus, est conspurcare et pervertere vera fidei per scientifica quae sunt naturalis; et conturbare flumina illarum, est sic intelligentiam: demum dicitur, quod, *cum exstinguetur*, *obtegerentur coeli*, quia per coelos significantur interiora hominis, siquidem haec sunt coeli ejus; haec clauduntur cum scientifica super vera fidei dominantur, seu naturale super spirituale; quod tunc cognitiones veri et boni pereant, significatur per *atrabo stellas coelorum*, et *omnia luminaria lucis*, quod stellae sint cognitiones illae, videatur n: 2495. 2849. 4697; quod luminaria sint bona et vera, n: 30 ad 38: quod nec tunc bonum amoris amplius influere possit, significatur per *solem nube obtegam;* et quod nec bonum fidei, significatur per *luna non lucere faciet lumen suum*, quod sol sit bonum amoris, et luna bonum fidei, videatur n: 1529. 1530. 2120. 2495. 3636. 3643. 4060. 4696: et quod sic modo falsa occupabunt mentem naturalem, significatur per *dabo tenebras super terra tua;* quod tenebrae sint falsa, n: 1839. 1860. 4418. 4531, et quod terra Pharaonis seu terra Aegypti sit mens naturalis, n: 5276. 5278. 5280. 5288. 5301: ex his nunc patet, quis sensus inest his propheticis. Quia per Pharaonem significatur scientificum in communi, etiam per illum significatur naturale in communi, n: 5799.

6016. Et acceperunt pecus suum, quod significet veri bona, constat ex significatione pecoris, quod sit veri bonum; per pecus enim intelliguntur et greges et armenta, et quoque equi, cameli, muli, asini; et quia greges in sensu interno sunt bona interiora, et armenta bona exteriora, at equi, cameli, muli, asini, illa quae sunt intellectualis, quae omnia se referunt ad vera, ideo per pecus significatur veri bonum.

6017. Et acquisitionem suam, quam acquisiverunt in terra Canaan, quod significet vera comparata a prioribus quae Ecclesiae, constat ex significatione acquisitionis, quod sit verum comparatum, de qua n: 4105, et quoque bonum comparatum, n: 4391. 4487; et a significatione terrae Canaanis, quod sit

Ecclesia, de qua n: 3705. 3686. 4447. 4517. 6136; quod a prioribus Ecclesiae, sequitur, quia vera, cum ex bono se multiplicant, multiplicantur ex veris prioribus.

6018. Et venerunt Aegyptum, quod significet initiationem in scientifica Ecclesiae, constat ex significatione venire seu descendere in Aegyptum, quod sit veri initiatio in scientifica Ecclesiae, de qua n: 6004.

6019. Jacob et omne semen ejus cum illo, quod significet veri naturalis et omnium fidei quae illi, nempe initiationem in scientifica Ecclesiae, constat ex repraesentatione Jacobi, quod sit verum naturale, de qua n: 3305. 3509. 3525. 3546. [5] 3599. 3775. 4009. 4234. 4520. 4538; et a significatione seminis, quod sit fides charitatis, de qua n: 255. 1025. 1447. 1610. 1940. 2848. 3310; ita omne semen cum illo, sunt omnia fidei quae vero naturali.

6020. Filios suos, et filios filiorum suorum secum, quod significet vera in suo ordine, constat ex significatione filiorum, quod sint vera, de qua n: 489. 491. 533. 1147. 2628. 3373; ita quoque filii filiorum, sed vera quae ex illis sunt in suo ordine.

6021. Filias suas et filias filiorum suorum, quod significet bona in ordine, constat ex significatione filiarum, quod sint bona, de qua n: 489. 490. 491. 2362. 3963; ita quoque filiae filiorum, sed bona quae ex illis, ita in suo ordine, ut mox supra de filiis.

6022. Et omne semen suum, quod significet omne fidei et charitatis, constat ex significatione seminis, quod sit fides charitatis, ut supra n: 6019, ita et fides et charitas, nam ubi unum ibi est alterum.

6023. Adduxit secum Aegyptum, quod significet quod collata in scientifica Ecclesiae, constat ex significatione venire aut descendere in Aegyptum, quod sit vera initiare et conferre in scientifica Ecclesiae, de qua supra n: 6004. 6018; idem quoque adducere secum Aegyptum; videatur n: 5373. [9] 6004; tunc initiata et collata sunt, quando scientifica reguntur a veris, et tunc reguntur a veris, cum verum agnoscitur, quia ita dixit in Verbo Dominus, et dein acceptentur scientifica quae affirmant, at removeantur quae impugnant; sic dominatur verum in suis

affirmativis, rejectis non affirmantibus; cum ita est, tunc, cum homo ex scientificis cogitat, non abducitur ad falsa, sicut fit cum vera non insunt; scientifica enim non sunt vera ex se, sed ex veris in illis, et qualia sunt vera quae in illis, tale verum commune est scientificum; est namque scientificum modo vas, n: 1469. 1496, quod recipere potest tam vera quam falsa, et hoc cum immensa varietate: sicut pro exemplo hoc Scientificum Ecclesiae, quod Proximus sit omnis homo; in hoc scientificum initiari et conferri possunt vera immensa copia, ut quod omnis homo quidem sit proximus, sed unusquisque cum differentia, quodque maxime proximus sit qui in bono, et hoc quoque cum differentia secundum quale boni; et quod origo proximi ducatur ab Ipso Domino, ita quo Ipsi propiores sunt, hoc est, quo magis in bono, eo magis Proximus sunt, et quo ab Ipso remotiores, eo minus; tum quoque, quod societas magis proximus sit quam singularis homo, et quod Regnum in communi magis quam societas, at Patria prae Regnis aliis; quod adhuc Ecclesia sit magis proximus quam patria, et quod Regnum Domini adhuc magis; ut et quod tunc ametur Proximus, cum quis munere suo rite fungitur ad aliorum, vel ad patriae, vel ad Ecclesiae bonum, et sic porro: inde patet, quam multa vera in unum id scientificum Ecclesiae conferri possunt, sunt enim tam multa, ut difficile sit illa in genera dispescere, et unumquodvis genus, ut distinguatur et agnoscatur, donare aliquibus veris in specie; hoc fuit studium in Antiquis Ecclesiis Quod idem Scientificum possit impleri falsis immensa copia, etiam constare potest, invertendo illa vera, et dicendo, quod quisque sibi ipsi proximus sit, et quod a Se apud unumquemvis ducenda sit origo proximi; et quod sic ei magis proximus sit, qui sibi magis favet, et unum facit cum illo, et per id se sistat in illo, ut ejus instar, imo quod nec Patria ei sit Proximus, nisi quantum sibi ab illa lucrum, praeter innumerabilia alia: at scientificum manet idem, quod nempe Omnis homo sit Proximus; sed illud ab uno impletur veris, ab altero falsis. Similiter se habet cum reliquis scientificis.

6024. Vers: 8 ad 27. *Et haec Nomina filiorum Israëlis venientium Aegyptum, Jacobi et filiorum ejus; Primogenitus Jacobi Reuben. Et filii Reubenis, Chanoch, et Phallu, et Chezron, et Karmi. Et filii Schimeonis, Jemuel et Jamin, et*

Ochad, et Jachin, et Zochar, et Schaul filius Canaanitidis. Et filii Levi, Gerschon, et Kehath, et Merari. Et filii Jehudae, Er et Onan, et Schelah, et Perez, et Serach; et mortuus est Er et Onan in terra Canaan, et fuerunt filii, Perez, Chezron et Chamul. Et filii Jisaschar, Thola et Puja, et Job et Schimron. Et filii Sebulun, Sered, et Elon, et Jachleel. Hi filii Leae, quos peperit Jacobo in Paddan Aram; et Dinah filia illius: Omnes animae filiorum ejus, et filiarum ejus, triginta et tres. Et filii Gad, Ziphion, et Chaggi, Schuni et Ezbon, Eri et Arodi, et Areli. Et filii Ascher, Jimna et Jischva, et Jischwi, et Beria, et Serech, soror illorum: et filii Beriae, Cheber et Malkiel. Hi filii Silpae, quam dedit Laban Leae filiae suae, et peperit hos Jacobo; sedecim animae. Filii Rachelis uxoris Jacobi, Joseph et Benjamin. Et natum Josepho in terra Aegypti, quos peperit illi Asenath filia Potipherae sacerdotis On, Menasche et Ephraim. Et filii Benjaminis, Bela et Becher, et Aschbel, Gera et Naaman, Echi et Rosch, Muppim et Chuppim, et Arde. Hi filii Rachelis, qui nati Jacobo; omnes animae quatuordecim. Et filii Danis, Chuschim. Et filii Naphthali, Jachzeel, et Guni, et Jezer et Schillem. Hi filii Bilhae, quam dedit Laban Racheli filiae suae, et peperit hos Jacobo; omnes animae septem. Omnis anima veniens Jacobo Aegyptum, egressi femur ejus, praeter feminas filiorum Jacobi, omnes animae sexaginta et sex. Et filii Josephi, qui nati illi in Aegypto, animae duae; omnes animae domui Jacobi, venientis Aegyptum [, *septuaginta*]. Et haec nomina filiorum Israëlis venientium Aegyptum, significat quale verorum a spirituali in ordine, quae collata in scientifica quae Ecclesiae: Jacobi et filiorum ejus, significat verum naturalis in communi, et vera naturalis in particulari: primogenitus Jacobi Reuben, significat fidem intellectu quae apparenter primo loco: et filii Reubenis, Chanoch, et Phallu, et Chezron, et Karmi, significat doctrinalia fidei in genere: Et filii Schimeonis, Jemuel et Jamin, et Ochad, et Jachin, et Zochar, significat fidem voluntate, et doctrinalia ejus in genere: et Schaul filius Canaanitidis, significat doctrinale non ex origine genuina: et filii Levi, Gerschon et Kehath et Merari, significat amorem spiritualem, et doctrinalia ejus in genere: et filii Jehudae, Er et Onan et Schelah, et Pe-

rez et Serach, significat amorem coelestem, et doctrinalia ejus: et mortuus est Er et Onan in terra Canaan, significat quod exstirpatum falsum et malum: et fuerunt filii, Perez, Chezron, et Chamul, significat vera illius boni, quae sunt bona Charitatis: et filii Jisaschar, Thola, et Puva, et Job, et Schimron, significat amorem conjugialem coelestem, et doctrinalia ejus: et filii Sebulun, Sered, et Elon, et Jachleel, significat conjugium coeleste, et doctrinalia ejus: hi filii Leae, quos peperit Jacobo in Paddan-Aram, significat quod illa ex affectione spirituali in naturali per cognitiones boni et veri: et Dinah filia illius, significat Ecclesiam: omnis anima filiorum ejus et filiarum ejus triginta et tres, significat statum vitae spiritualis, et quale: et filii Gad, Ziphion et Chaggi, Schuni et Ezbon, Eri et Arodi et Areli, significat bonum fidei, et inde opera, et doctrinalia eorum: et filii Ascher, Jimna et Jischva, et Jischvi, et Beria, et Serech soror illorum: et filii Beriae, Cheber et Malkiel, significat felicitatem vitae aeternae, et jucundum affectionum, et doctrinalia eorum: hi filii Silpae, significat quod haec Ecclesiae externae: quam dedit Laban Leae filiae suae, significat ab affectione boni externi: et peperit hos Jacobo, significat quod e naturali: sedecim animae, significat statum illorum, et quale: filii Rachelis uxoris Jacobi, significat quae ex affectione coelesti: Joseph et Benjamin, significat internum Ecclesiae, Joseph ejus bonum, Benjamin inde verum: et natum Josepho in terra Aegypti, significat coelestia et spiritualia interna in naturali: quos peperit illi Asenath filia Potipherae sacerdotis On, significat ex conjugio boni cum vero et veri cum bono: Menasche et Ephraim, significat novum voluntarium et ejus intellectuale, quae Ecclesiae: et filii Benjaminis, Bela et Becher et Aschbel, Gera et Naaman, Echi et Rosch, Muppim et Chuppim et Arde, significat internum spirituale, et doctrinalia ejus: hi filii Rachelis, qui nati Jacobo, significat quod illa ex affectione coelesti: omnes animae quatuordecim, significat statum eorum, et quale: et filii Danis, Chuschim, significat sanctum fidei, et bonum vitae, et doctrinale eorum: et filii Naphtali, Jachzeel, et Guni, et Jezer, et Schillem, significat tentationes in quibus victoria, et doctrinalia de illis: hi filii Bilhae, significat quod haec Ecclesiae Internae: quam dedit Laban Racheli filiae suae, significat

ab affectione boni interni: omnes animae septem, significat statum eorum, et quale: omnis anima veniens Jacobo Aegyptum, significat omnia vera et bona initiata scientificis Ecclesiae: egressi femur ejus, significat quae ex conjugio: praeter foeminas filiorum Jacobi, significat exceptis affectionibus eorum quae non ex illo conjugio: omnes animae sexaginta et sex, significat statum illorum, et quale: et filii Josephi, qui nati illi in Aegypto, significat coelestia et spiritualia in naturali: animae duae, significat inde voluntarium et intellectuale, quae Ecclesiae: omnes animae domui Jacobi venientis Aegyptum, septuaginta, significat plenum in ordine.

6025. Haec ulterius explicare supersedetur, quia sunt mera Nomina; quid illa significant, videri potest ab explicatione communi nunc supra n: 6024; et quid ipsi filii Jacobi, in explicatione, ubi agitur de nativitate illorum. Hoc dignum observatu est, quod filiis Jacobi nullus filius natus sit in Aegypto, quo venerunt, tametsi adhuc juvenes fuerunt; sed quod omnes in terra Canaan; ipsi vero in Paddan-Aram, praeter Benjaminem; hoc fuit ex peculiari Providentia Divina Domini, ut repraesentarentur illa quae Ecclesiae sunt per illos a prima nativitate; quod illi nati in Paddan-Aram, repraesentabat, quod homo Ecclesiae per cognitiones boni et veri e novo nascetur seu regenerabitur, Paddan-Aram enim significat cognitiones boni et veri, n: 3664. 3680. 4107; et nativitas repraesentabat novam nativitatem per fidem et charitatem, n: 4668. [10] 5160. 5598, ita primum per cognitiones illarum. Quod autem filii eorum nati fuerint omnes in terra Canaan, repraesentabat quod inde talia quae Ecclesiae, nam terra Canaan est Ecclesia, n: 3705. 3686. 4447. 4454. 4516. [11] 5136. 5757. Quod vero Josepho nati sint filii in Aegypto, erat ut repraesentaretur dominium Interni hominis in Externo, in specie coelestis spiritualis in naturali, Menasche est Voluntarium, et Ephraim est Intellectuale, quae Ecclesiae, in naturali.

6026. Vers: 28. 29. 30. *Et Jehudam misit ante se ad Josephum, ad monstrandum ante se Goschen, et venerunt terram Goschen. Et alligavit Joseph currum suum, et ascendit obviam Israëli patri suo Goschenem; et visus ad illum, et cecidit super colla ejus, et flevit super collis ejus diu. Et dixit*

Israël ad Josephum, moriar hac vice, postquam vidi facies tuas, quod adhuc tu vivas. Et Jehudam misit ante se ad Josephum, significat communicationem boni Ecclesiae cum coelesti Interno: ad monstrandum ante se Goschen, significat de medio in naturali: et venerunt terram Goschen, significat vitae stationem ibi: et alligavit Joseph currum suum, significat doctrinam ab Interno: et ascendit obviam Israëli patri suo, significat influxum: Goschenem, significat in medium in naturali: et visus ad illum, significat perceptionem: et cecidit super colla ejus, significat conjunctionem: et flevit super collis ejus diu, significat misericordiam: et dixit Israël ad Josephum, significat perceptionem boni spiritualis: moriar hac vice, significat novam vitam: postquam vidi facies tuas, significat post apperceptionem misericordiae: quod adhuc tu vivas, significat apperceptionem vitae inde in se.

6027. Et Jehudam misit ante se ad Josephum, quod significet communicationem boni Ecclesiae cum Coelesti Interno, constat ex repraesentatione Jehudae, quod sit bonum Ecclesiae, de qua n: 5583. 5603. 5794. 5782. 5833; et a repraesentatione Josephi, quod sit Coeleste Internum, de qua n: 5869. 5877; quod mittere ante se, sit communicare, patet. Quod Jehudah missus fuerit, et non alius, erat, ut significaretur communicatio, quae immediata est boni cum bono, nempe boni externi, quod Jehudah repraesentat, cum bono interno, quod Joseph; influit enim a Domino bonum, quod est amoris in Ipsum, et charitatis erga proximum, per Internum in Externum, et quantum boni est in Externo, tantum ibi recipitur; si autem in Externo hominis modo verum fidei est, non autem bonum, tunc influxus boni a Domino per Internum non recipitur in Externo, nam communicatio cum vero immediata non datur, sed mediata per bonum: haec causa est, quod non alius a Jacobo ad Josephum missus sit, quam Jehudah.

6028. Ad monstrandum ante se Goschen, quod significet de medio in naturali, nempe quod communicatio, constat ex significatione Goschenis, quod sit medium, hoc est, intimum, in naturali, de qua n: 5910: per medium seu intimum in naturali, significatur optimum ibi, nam optimum est in medio, hoc est, in centro seu intimo, circumcirca illud ab omni plaga sunt bo-

na, disposita in forma coelesti propius et remotius secundum gradus bonitatis ab optimo in medio; talis est ordinatio bonorum apud regeneratos; [12] at apud malos sunt pessima in medio, et bona ablegata sunt ad extrema, ubi continue urgentur foras; haec forma est apud malos in particulari, et est in infernis in communi, ita est forma infernalis. Ex illis, quae de optimo in medio, et de bonis in ordine ad latera, dicta sunt, constare potest, quid intelligitur per communicationem boni Ecclesiae cum Coelesti Interno de medio in naturali.

6029. Et alligavit Joseph currum suum, quod significet doctrinam ab Interno, constat ex repraesentatione Josephi, quod sit Internum, de qua saepius; et a significatione currus, quod sit doctrina, de qua n: 5321.

6030. Et ascendit obviam Israëli patri suo, quod significet influxum, nempe a Coelesti Interno in bonum spirituale e naturali, constat a repraesentatione Josephi, qui ascendit obviam, quod sit Coeleste Internum, de qua n: 5869. 5877; et a repraesentatione Israëlis, quod sit bonum spirituale, de qua n: 5801. 5803. 5806. 5812. 5817. 5819. 5826. 5833; quod ascendere obviam ei, sit influxus, inde sequitur, nam ascendere obviam, hic est se conferre et venire ad illum.

6031. Goschenem, quod significet medium in naturali, constat ab illis, quae de Goschene mox supra n: 6028, [13] dicta sunt.

6032. Et visus ad illum, quod significet perceptionem, constat a significatione videre, quod sit intelligere, et appercipere, de qua n: 2150. 3764. 4567. 4723. 5400; et quod sit fidem habere, n: 2325. 2807. 3863. 3869. 4403 ad 4421. 5400. Quod videre sit intelligere et inde percipere, tum quod sit fidem habere, sciendum, quod apud hominem sint duo, quae faciunt ejus vitam, nempe LUX SPIRITUALIS, et CALOR SPIRITUALIS; Lux spiritualis facit vitam ejus intellectus, et calor spiritualis vitam ejus voluntatis; Lux spiritualis est a sua prima origine Divinum Verum ex Divino Bono Domini, et inde verum fidei ex bono Charitatis; et Calor spiritualis a sua prima origine est Divinum Bonum Divini Amoris Domini, et inde bonum amoris coelestis, qui est in Dominum, et bonum amoris spiritualis, qui est erga proximum; haec bina, ut dictum, constituunt om-

nem vitam hominis. Quod Lucem spiritualem attinet, illa in Intellectu hominis se habet, sicut lux naturalis in ejus visu externo; nempe, ut oculus videat, necessum est ut lux sit quae illuminet, et tunc oculus in luce videt omnia quae circumcirca extra illum sunt; ita Mens intellectualis, quae est oculus hominis internus, ut ille oculus videat, necessum est, ut Lux coeli, quae a Domino, illuminet, et cum oculus ille illuminatus est ab illa luce, tunc videt illa quae circumcirca extra illum sunt; sed objecta quae videt, sunt spiritualia, nempe scientifica et vera; cum autem Lux haec non illuminat, est mens intellectualis seu oculus internus hominis, sicut oculus externus seu corporis, in tenebris, et nihil videt, hoc est, ex scientificis nihil veri, et ex veris nihil boni: Lux, quae illuminat mentem intellectualem, est revera lux, et talis lux quae millies excedit lucem mundi meridianam, quod testor quia vidi; ex illa luce vident omnes Angeli in coelis illa quae circumcirca extra se sunt, et quoque ex eadem luce vident et percipiunt vera quae fidei, et quale illorum; inde nunc est, quod per videre significetur in sensu spirituali, non modo intellectus, sed etiam quicquid intellectus est, ut cogitatio, reflexio, animadvertentia, prudentia, et plura talia, tum non modo fides, sed etiam quicquid fidei est, ut verum, doctrinale ex Verbo, et similia. Quod autem Calorem spiritualem attinet, se habet ille in voluntate hominis, sicut calor naturalis in corpore, quod vivificet; sed est calor spiritualis non aliud, in sua prima origine, quae origo est a Domino, quam Divinus Amor erga universum genus humanum, et inde reciprocus hominis in Ipsum, ut et erga proximum: et est calor ille spiritualis revera calor, qui corpora Angelorum calore, et simul interiora illorum amore beat: inde est, quod per calorem, flammam, ignem, in Verbo in genuino sensu significentur illa quae amoris sunt, sicut affectiones boni et veri, tum ipsum bonum.

6033. Et cecidit super colla ejus, quod significet conjunctionem, constat ex significatione cadere super colla, quod sit conjunctio arcta et intima, de qua n: 5926. Quod cadere super colla sit conjunctio, est inde, quia collum conjungit caput et corpus, et per caput significantur interiora, et per corpus exteriora, inde est collum conjunctio interiorum cum exterioribus, videatur n: 3542. 5320. 5328; et inde communicatio interio-

rum cum exterioribus, tum coelestium cum spiritualibus, ibid: quae communicatio ex conjunctione etiam significatur per eadem verba, nam Joseph est Internum, et Israël est respective Externum.

6034. Et flevit super collis ejus diu, quod significet misericordiam, constat ex significatione flere, quod sit misericordia, de qua n: 5480. 5873. [14] 5927; quod dicatur super collis ejus diu, est quia primum ut et continuum conjunctionis est misericordia, nempe Domini, qui in supremo sensu est Joseph.

6035. Et dixit Israël ad Josephum, quod significet perceptionem boni spiritualis, nempe a coelesti Interno, constat a significatione dicere in Historicis Verbi, quod sit perceptio; a repraesentatione Israëlis, super cujus collis flevit Josephus, quod sit bonum spirituale; et a repraesentatione Josephi, quod sit coeleste Internum, de quibus omnibus prius saepe.

6036. Moriar hac vice, quod significet novam vitam, constat a significatione mori, quod sit resurrectio in vitam, ita nova vita, de qua n: 3326. 3498. 3505. 4618. 4621. 6008: cur mori significat novum vitae, in illis locis etiam ostensum est; nempe quia cum homo moritur, illico novum vitae ejus inchoat, exsuscitatur in vitam, rejecto corpore materiali, quod usui in mundo ei inserviverat. Nova vita hic per mori significatur, quia illa venit ex influxu ab Interno, quae significatur per quod Josephus ascenderit obviam Israëli patri suo, n: 6030; et ex conjunctione, quae significatur per quod Joseph ceciderit super colla Israëlis, n: 6033.

6037. Postquam vidi facies tuas, quod significet post apperceptionem Misericordiae, constat a significatione videre, quod sit apperceptio, de qua supra n: 6032; et a significatione facierum, cum praedicantur de Domino, quod sit Misericordia, de qua n: 222. 223. 5585. 5816.

6038. Quod adhuc vivas, quod significet perceptionem vitae inde in se, constat ex significatione vivere, quod sit in sensu interno vita spiritualis, n: 5890; quod significetur perceptio illius vitae in se, sequitur ex antecedentibus, quod nempe ei nova vita ex influxu et conjunctione, n: 6036; et ex affectione gaudii quod videret illum, illa affectio dat perceptionem vitae in se.

6039. Vers: 31. 32. 33. 34. *Et dixit Joseph ad fratres suos, et ad domum patris sui, ascendam et indicabo Pharaoni, et dicam ad illum, fratres mei et domus patris mei, qui in terra Canaan, venerunt ad me. Et viri pastores gregis, quia viri pecoris sunt; et greges suos, et armenta sua, et omnia quae illis, venire fecerunt. Et sit, quod vocet vos Pharao, et dicat quid opera vestra. Et dicatis, viri pecoris fuerunt servi tui a pueritiis suis, et usque ad nunc, etiam nos etiam patres nostri, propterea ut habitetis in terra Goschen; quia abominatio Aegyptiorum omnis pastor gregis.* Et dixit Joseph ad fratres suos, significat perceptionem verorum in naturali: et ad domum patris sui, significat bonorum ibi: ascendam et indicabo Pharaoni, significat communicationem cum Naturali ubi scientifica Ecclesiae: et dicam ad illum, fratres mei, et domus patris mei, qui in terra Canaan, venerunt ad me, significat de veris et bonis Ecclesiae, quod initianda: et viri pastores gregis, significat quod ducant ad bonum: quia viri pecoris sunt, significat quod illis bonum ex veris: et greges suos, et armenta sua, et omnia quae illis, venire fecerunt, significat quod bonum interius et exterius, et quicquid inde est, praesens sit: et sit quod vocet vos Pharao, significat si conjungi velit naturale in quo scientifica Ecclesiae: et dicat quid opera vestra, significat et scire vestra bona: et dicatis, viri pecoris fuerunt servi tui a pueritiis suis, et usque ad nunc, significat quod vera ex quibus bonum illis a principio et adhuc: etiam nos, etiam patres nostri, significat quod ita a primis bonis: propterea ut habitetis in terra Goschen, significat ita erit statio vestra in medio naturali ubi Scientifica Ecclesiae: quia abominatio Aegyptiorum omnis pastor gregis, significat sic separationem a scientificis perversis, quae opposita sunt scientificis Ecclesiae.

6040. Et dixit Joseph ad fratres suos, quod significet perceptionem verorum in naturali, constat a significatione dicere, quod sit perceptio, de qua saepius; a repraesentatione filiorum Israëlis, quod sint vera spiritualia in naturali, de qua n: 5414. 5879; et a repraesentatione Josephi, quod sit Coeleste Internum, de qua n: 5869. 5877; inde patet, quod per dixit Joseph ad fratres suos, significetur perceptio verorum in naturali a Coelesti Interno. Quod per dixit Joseph, non significetur per-

ceptio illius, est quia Joseph est Internum, et omnis perceptio influit per Internum in Externum seu Naturale; Naturale enim ex se prorsus nihil percipit, sed quod percipiat est a priori se, imo nec prius percipit a se, sed ab adhuc priori se, ita tandem a Domino, Qui a Se Est; talis est influxus et inde talis perceptio: Influxus se habet sicut existentia et subsistentia, nihil existit a se, sed a Priori se, ita tandem omnia a Primo, hoc est, ab Esse et Existere a Se; et quoque ab Eodem omnia subsistunt, se enim habet subsistentia sicut existentia, nam subsistere est perpetuo existere. Quod dicatur perceptio verorum in Naturali, non autem perceptio illorum qui in veris illis, est causa, quia loquela spiritualis est talis, nam ita ideae cogitationis abstrahuntur a personis, et determinantur ad res, et res sunt, nempe vera et bona, quae vivunt apud hominem, et faciunt hominem vivere, sunt enim a Domino, a Quo omne vitae; ita quoque cogitatio abducitur ab attribuendo vera et bona personae; per talem loquelam etiam idea communis habetur, quae se latius extendit, quam si adjungitur ei idea personae, ut si dicatur perceptio illorum qui in veris illis, tunc ideae simul determinantur ad illos qui tales sunt, ut solet fieri, et sic a communi abstrahuntur, inde illustratio a luce veri diminuitur: praeter quod per cogitationem de personis in altera vita excitentur illi, de quibus cogitatur, nam in altera vita omnis cogitatio communicatur: hae causae sunt, quod abstracte dicatur, ut hic, perceptio verorum in naturali.

6041. Et ad domum patris sui, quod significet bonorum ibi, nempe perceptionem, constat a significatione domus, quod sit bonum, de qua n: 3128. 3652. 3720. 4982; et a significatione patris, quod etiam sit bonum, de qua n: 2803. 3703. 3704. 5581. [15] 5902.

6042. Ascendam et indicabo Pharaoni, quod significet communicationem cum naturali ubi scientifica Ecclesiae, constat ex significatione indicare, quod sit communicatio, de qua n: 4856; et a repraesentatione Pharaonis, quod sit Naturale ubi scientifica Ecclesiae, de qua n: 5799. 6015.

6043. Et dicam ad illum, fratres mei et domus patris mei, qui in terra Canaan, venerunt ad me, quod significet de veris

et bonis Ecclesiae quod initianda, constat ex repraesentatione filiorum Israëlis, qui hic sunt fratres ejus, quod sint vera spiritualia in naturali, de qua mox supra n: 6040; a significatione domus patris, quod sint bona ibi, de qua etiam mox supra n: 6041; a significatione terrae Canaan, quod sit Ecclesia, de qua n: 3705. 3686. 4447. 4517. 5136; et a significatione venire ad Josephum, seu ad Aegyptum ubi Joseph, quod sit initiari in scientifica quae Ecclesiae, de qua supra n: 6004. 6018: de initiatione verorum quae Ecclesiae in scientifica quae naturalis, videatur supra n: 6028, et de conjunctione illorum, infra n: 6047. [16]

6044. Et viri pastores gregis, quod significet quod ducant ad bonum, constat a significatione pastorum gregis, quod sint qui ducunt ad bonum, de qua n: 343. 3795. 5201; est enim pastor qui docet et ducit, et grex qui docetur et ducitur, sed in sensu interno intelliguntur vera quae ducunt ad bonum, nam per filios Israëlis, qui hic sunt viri pastores gregis, repraesentantur vera spiritualia, n: 6040; etiam vera sunt apud illos qui docent quae ducunt. Quod vera quae fidei, ducant ad bonum quod charitatis, prius ostensum est; et quoque patet ex eo, quod omnia et singula se referant ad finem, et spectent illum, et quae non finem spectant non possint subsistere; Dominus enim nihil usquam creavit nisi propter finem, usque adeo, ut dici queat, quod finis sit omne in omnibus quae creata sunt; et quae creata sunt, in illo ordine sunt, ut sicut finis a Primo per medios spectet ultimum, ita finis in ultimo spectet finem in Primo; inde rerum nexus: ipse finis in prima sua origine non est nisi Divinum Bonum Divini Amoris, ita est Ipse Dominus; unde etiam in Verbo vocatur Primus et Ultimus, Alpha et Omega, Esai: XLI: 4. Cap: XLIV: 6. Cap: XLVIII: 12. [17] Apoc: I: 8. 11. 17. Cap: II: 8. Cap: XXI: 6. Cap: XXII: 13. Cum ita sit, necessum est, ut omnia et singula quae vitae apud hominem, se referant ad finem, et spectent illum: qui aliquo rationali pollet, videre potest, quod scientifica apud hominem spectent vera ut suum finem, et quod vera spectent bona, et quod bona spectent Dominum, ut finem ultimum et primum, ut finem ultimum cum a veris, et ut finem primum cum a bono. Ita se habet cum veris Ecclesiae, quod ducant ad bonum, quod signi-

ficatur per viros pastores gregis, et per viros pecoris, ut sequitur.

6045. Quia viri pecoris sunt, quod significet quod illis bonum ex veris, constat ex significatione pecoris, quod sit veri bonum, seu bonum ex veris, de qua n: 6016: dicitur de filiis Israëlis, qui sunt vera spiritualia in naturali, n: 5414. 5879, ita de Veris, hic quod ducant ad bonum, de qua re videatur mox supra n: 6044. [18]

6046. Et greges suos et armenta sua, et omnia quae illis, venire fecerunt, quod significet quod bonum interius et exterius, et quicquid inde est, praesens sit, constat ex significatione gregis, quod sit bonum interius, et ex significatione armenti, quod sit bonum exterius, de quibus n: 5913; ex significatione omnium quae illis, quod sit quicquid inde est, ut n: 5914; et ex significatione venire fecerunt, quod sit praesens esse.

6047. Et sit quod vocet vos Pharao, quod significet si conjungi velit naturale in quo scientifica Ecclesiae, constat ex significatione vocare ad se, quod sit velle conjungi; vocare enim ad se, ex affectione ut habitent in terra sua, et fiant una gens cum suis, est velle conjungi; et a repraesentatione Pharaonis, quod sit naturale, in quo scientifica Ecclesiae, ut supra n: 6042: [19] per vocationem Pharaonis, significatur reciprocum initiationis et conjunctionis, nempe scientificorum Ecclesiae cum veris et bonis in naturali; omnis enim conjunctio requirit reciprocum, inde consensus ab utraque parte. Agitur hic de Conjunctione Verorum Ecclesiae cum scientificis ejus; at sciendum quomodo conjungenda; non enim principium ducendum est a scientificis, et per illa intrandum in Vera fidei, nam scientifica apud hominem sunt ex sensualibus, ita ex mundo, e quo innumerabiles fallaciae; sed principium ducendum est ex veris fidei, nempe per hanc viam; primum addiscenda sunt doctrinalia Ecclesiae, et dein ex Verbo explorandum num illa sint vera, nam non vera sunt quia Antistites Ecclesiae ita dixerunt, et asseclae eorum confirmant; ita namque vera dicenda forent doctrinalia omnium Ecclesiarum et religionum tantum ex Solo et ex nativitate; ita forent vera non solum Pontificiorum, tum Quakerorum, sed etiam Judaeorum, ut et Mahumedanorum, quia Antistites eorum ita dixerunt, et asseclae confirmant; ex quibus patet, quod

scrutandum sit Verbum, et ibi videndum num vera sint; hoc cum fit ex affectione veri, tunc illustratur homo a Domino, ut appercipiat, nescius unde, quid verum est, et confirmatur in eo secundum bonùm, in quo est: si haec vera discrepant a doctrinalibus, caveat ne turbet Ecclesiam: postmodum cum confirmatus est, ac ita in affirmativo ex Verbo, quod illa sint vera fidei, tunc licet ei confirmare illa per omnia scientifica quae apud illum, cujuscunque nominis et naturae sint, nam tunc quia affirmativum universaliter regnat, acceptat scientifica quae concordant, et rejicit scientifica, quae propter fallacias quae in illis, discordant; per scientifica corroboratur fides: quapropter nulli negandum est scrutari scripturas ex affectione sciendi num doctrinalia Ecclesiae, intra quam natus, vera sint, nam aliter nusquam potest illustrari; nec negandum ei postea per scientifica se corroborare; non autem licet ei antea: haec via et non alia est conjungendi vera fidei cum scientificis, non modo cum scientificis Ecclesiae, sed etiam cum scientificis quibuscunque: sed paucissimi hodie hac via procedunt, plerique enim, qui Verbum legunt, non legunt ex affectione veri, sed ex affectione inde confirmandi doctrinalia Ecclesiae, intra quam nati sunt, qualiacunque sint. In Verbo describitur Regnum Domini, quod ibi Spirituale, Rationale, et Scientificum, conjungentur, sed describitur per Nomina quae illa significant, nempe per Israëlem, Aschurem, et Aegyptum, per Israëlem describitur spirituale, per Aschurem Rationale, et per Aegyptum Scientificum; his verbis apud Esaiam „ In die illo erit altare Jehovae *in medio terrae Aegypti*, et statua juxta terminum ejus Jehovae, et erit in signum et testem ejus Jehovae Zebaoth in *terra Aegypti*, nam clamabunt ad Jehovam propter oppressores, et mittet illis servatorem et principem, et liberabit eos; et notus fiet Jehovah Aegypto, et cognoscent *Aegyptii* Jehovam in die illo, et facient sacrificium et mincham; et vovebunt votum Jehovae, et reddent. In die illo erit semita ab *Aegypto* ad *Aschurem*, et veniet *Aschur* in *Aegyptum*, et *Aegyptus* in *Aschurem*; et serviet *Aegyptus Aschuri*: in die illo erit *Israël* tertius *Aegypto* et *Aschuri*, benedictio in medio terrae, cui benedicet Jehovah Zebaoth, dicendo, benedictus populus meus *Aegyptus*, et opus manuum mearum *Aschur*, et haereditas mea *Israël* "

XIX: 18 ad 25, quod hic non intelligatur Aegyptus, nec Aschur, et ne quidem Israël, quisque videre potest, sed quod aliud per unumquemvis; quod per Israëlem spirituale Ecclesiae, videatur n: 3654. 5801. 5803. 5806. 5812. 5817. 5819. 5826. 5833; per Aschurem rationale, n: 119. 1186; et per Aegyptum scientifica, n: 1164. 1165. 1186. 1462. 4749. 4964. 4966. 5700. 6004. 6015; haec tria apud hominem Ecclesiae conjuncta describuntur apud Prophetam, per, quod semita erit ab Aegypto ad Aschurem, et veniet Aschur in Aegyptum, et Aegyptus in Aschurem, et serviet Aegyptus Aschuri; in die illo erit Israël tertius Aegypto et Aschuri, benedictio in medio terrae; ut enim homo sit homo Ecclesiae, necessum est ut spiritualis sit, ut et rationalis, cui serviet scientificum. Ex his nunc constare potest, quod scientificum nequaquam a veris fidei rejiciendum sit, sed quod conjungenda, at per viam priorem, hoc est, per viam a fide, non autem per viam posteriorem, hoc est, per viam a scientificis; videantur etiam quae n: 128. 129. 130. 195. 196. 232. 233. 1226. 1911. 2568. 2588. 4156. 4760. 5510. 5700, ostensa sunt.

6048. Et dicat, quid opera vestra, quod significet et scire vestra bona, constat ex significatione operum, quod sint bona: quod opera sint bona, est quia ex voluntate sunt; et quae ex voluntate, illa sunt bona vel mala, quae autem ex intellectu, prout sermones, sunt vera vel falsa. Opera filiorum Jacobi, ut et patrum illorum, fuerunt pascere pecora, ita agere pastores; haec opera etiam significant bona, in specie bona ex veris: quod significent, est ex correspondentiis, agni enim, oves, haedi, caprae, quae sunt gregis, correspondent bonis charitatis; similiter juvenci, boves, qui sunt armenti; quod correspondeant, constat ex eo, quod cum angeli ex affectione coelesti loquantur inter se de bonis charitatis, appareant aliquibus in locis in mundo spirituum, et quoque in Primo seu ultimo coelo, Greges et Armenta, cum de bonis charitatis interioribus, Greges, at cum de exterioribus, Armenta, videatur n: 3218. 3219. 3220: inde nunc est, quod in Verbo, per Greges et Armenta, significentur talia. In genere sciendum, quod omne significativum, quod in Verbo, trahet suam originem a repraesentativis in altera vita, et haec a correspondentiis; causa est, quia mundus naturalis est ex mun-

do spirituali, sicut effectus a sua causa, ob finem, ut mundus spiritualis possit influere in mundum naturalem, et ibi agere causas; sic etiam continentur in suo tenore et in ordine omnia quae ibi: quod universa natura sit theatrum repraesentativum Regni Domini, hoc est, spiritualium et coelestium quae ibi, videatur n: 2758. 2987 ad 3002. 4939. 5116.

6049. Et dicatis, viri pecoris fuerunt servi tui a pueritiis suis et usque nunc, quod significet quod vera ex quibus bonum illis a principio et adhuc, constat ex significatione virorum pecoris, quod sint vera ex quibus bonum, de qua n: 6016. 6045; et a significatione a pueritiis suis et usque ad nunc, quod sit a principio et adhuc. Quod pecora sint vera [ex] quibus bonum, sciendum, quod pecora sint omnia jumenta majora et minora, tam quae in Grege, quam quae in armento, sunt, ac praeterea Cameli, equi, muli, asini, haec jumenta significant talia quae se referunt ad vera, illa autem, nempe armenti et gregis talia quae se referunt ad bonum; inde nunc est quod omnia illa jumenta in genere, quae sunt pecora, significent vera ex quibus bonum, Pecora in Lingua originali sunt ex voce, quae etiam significat acquisitionem, et acquisitio in sensu spirituali etiam est verum ex quo bonum: ex causa, quia bonum acquiritur per verum: Pecudes autem significant bona interiora, illae enim sunt grègis, ut agni, oves, haedi, caprae, arietes. Pecora etiam significant vera ex quibus bonum etiam aliis in locis in Verbo; ut apud Esaiam „ Tunc dabit pluviam seminis tui, quo conseres terram, et panem proventus; et erit pingue et opulentum; pascent *pecora tua* in die illo prato lato" XXX: 23; pascere pro instrui in veris et de bonis, n: 5201; pratum latum pro doctrina veri, latum dicitur, quia latitudo est verum, n: 3433. 3434. 4482; inde patet, quod pecora sint vera ex quibus bonum. Apud Ezechielem „ Ad reducendum manum tuam super vastitates habitatas, et super populum collectum ex gentibus, *operantem pecoribus* et possessioni; habitantes super umbilico terrae" XXXVIII: 11. 12; pecora similiter pro veris per quae bonum, possessio pro bono.

6050. Etiam nos, etiam patres nostri, quod significet quod ita a primis bonis, constat ex significatione patrum, quod sint bona, de qua n: 2803. 3703. 3704. 5581. [20] 5902, inde, quod

illi fuerint etiam patres illorum, est a primis bonis: per Patres etiam, multis in locis in Verbo, in sensu interno non intelliguntur Abraham, Jischak, et Jacob, sed qui fuerunt ab Ecclesia Antiqua, qui fuerunt in bono.

6051. Propterea ut habitetis in terra Goschen, quod significet ita erit statio vestra in medio naturali ubi scientifica Ecclesiae, constat ex significatione habitare, quod sit vita et sic vitae statio, de qua n: 1293. 3384. 4451; et a significatione Goschen, quod sit medium seu intimum in naturali, de qua n: 5910. 6028; quod ibi scientifica Ecclesiae, quae significantur per Aegyptum, patet, nam Goschen erat in Aegypto tractus terrae optimus.

6052. Quia abominatio Aegyptiorum omnis pastor gregis, quod significet sic separationem a scientificis perversis, quae opposita sunt scientificis Ecclesiae, constat a significatione abominationis Aegyptiorum, quod sit separatio scientificorum; quae enim abominationi sunt, illa separata sunt, causa enim abominationis est, quia contraria sunt principiis captis et amoribus, ita quia opposita, hic opposita scientificis perversis, quae significantur per Aegyptios, cum dicitur quod abominatio illorum sit omnis pastor gregis; et ex significatione pastoris gregis, quod sit qui ducit ad bonum, de qua supra n: 6044, scientificum quod bonum confirmat, est cui scientificum perversum est oppositum; scientifica perversa sunt quae destruunt verum fidei et bonum charitatis; et quoque sunt quae invertunt ordinem, sicut magica quae fuerunt in Aegypto; sunt enim secundum ordinem perplura, quibus magi illi abusi sunt, prout sunt Correspondentiae et repraesentativa, quae fuerunt scientifica apud illos plus quam apud alios exculta; haec sequuntur ex ordine etiam cum mali applicant, qui cum applicant illa ad imperandum aliis, et ad nocendum aliis, sunt perversa, quia magica. Quod separationem illorum, de qua hic agitur, attinet, fit illa per ordinationem, quando bonum cum veris est in medio seu intimo, quod significatur per Goschen, tunc scientifica perversa, quae opposita, ejiciuntur. Hactenus de conjunctione verorum cum scientificis actum est, de qua conjunctione ulterius sciendum est, quod Conjunctio Interni seu spiritualis hominis cum Externo seu Naturali nequaquam fieri queat, nisi vera insinuen-

tur scientificis; scientifica enim cum jucundis affectionum naturalium constituunt Externum seu naturalem hominem, quapropter nisi conjunctio fiat cum scientificis, nullatenus fieri potest; et tamen ut homo regeneratus [12] sit, Internum ejus et Externum conjuncta erunt, quae nisi conjuncta fuerint, omne bonum influens a Domino per Internum hominem in Externum seu Naturalem, hoc vel pervertitur, vel suffocatur, vel rejicitur; et tunc quoque Internum clauditur: modus quo conjunctio illa fit, est qui in hoc Capite descriptus est, qui modus fit per insertionem verorum in scientifica.

De Influxu, et de Commercio Animae cum Corpore.

6053. *De Influxu et de Commercio Animae cum Corpore prorsus nihil sciri, ne quidem cogitari potest, nisi sciatur quid Anima, et quoque aliquid de ejus quali; si anima sit ignotum quid, nequaquam aliquid de ejus influxu et commercio dici potest; quomodo enim de communicatione duarum partium potest cogitari, cum una prorsus ignoratur qualis sit. Quod Anima ignoretur quoad omne suum quale, in mundo imprimis Erudito, constare potest ex eo, quod quidam credant illam esse aethereum quid, quidam flammeum aut igneum quid, quidam pure cogitativum, quidam vitale ex communi, quidam activum naturale; et quod adhuc magis ignorantiam, quid anima, testatur, est quod loca ei varia in corpore assignent, nempe quidam in corde, quidam in Cerebro, et ibi in fibris, alii in corporibus striatis, alii in ventriculis, et alii in exigua glandula, quidam in omni parte, at tunc concipiunt vitale quale est commune omni vivo; ex quibus patet, quod de anima nihil notum habeatur; haec causa est, quod conjecturalia sint, quae de anima venditata fuerunt. Et quia sic nullam de illa ideam habere potuerunt, perplures non potuerunt aliter credere, quam quod non sit aliud quam vitale, quod, cum moritur corpus, dissipatur; inde nunc est, quod Eruditi minus quam simplices credant vitam post mortem, et quia illam non credunt, nec*

credere possunt quae illius vitae sunt, quae sunt coelestia et spiritualia fidei et amoris; hoc quoque patet a Domini verbis, apud Matthaeum „Abscondisti hoc sapientibus et intelligentibus, et revelasti infantibus" XI: 25; *et rursus* „Videntes non vident, et audientes non audiunt, nec intelligunt" XIII: 13; *simplices enim nihil tale cogitant de anima, sed credunt quod victuri post mortem, in qua simplici fide, illis nescientibus, latet, quod victuri ibi sicut homines, visuri angelos, loquuturi cum illis, et fruituri gaudio.*

6054. *Quod Animam attinet, de qua dicitur quod victura post mortem, est illa non aliud quam ipse homo, qui vivit in corpore, hoc est, Interior homo, qui per corpus agit in mundo, et qui dat corpori vivere; hic homo, dum solutus est a corpore, vocatur Spiritus, et apparet tunc prorsus in forma humana; sed nequaquam videri potest oculis corporis, verum oculis spiritus, et coram hujus oculis apparet ut homo in mundo, habet sensus, nempe tactum, olfactum, auditum, visum, multo exquisitiores quam in mundo; habet appetitus, cupiditates, desideria, affectiones, amores, quales in mundo, sed in excellentiori gradu; cogitat etiam sicut in mundo, sed perfectius, loquitur cum aliis; verbo, est ibi sicut in mundo, usque adeo, ut si non reflectat super id quod in altera vita sit, non aliter sciat quam quod in mundo sit, quod aliquoties audivi a spiritibus; vita enim post mortem est continuatio vitae in mundo; hoc nunc est anima hominis quae vivit post mortem: sed ne idea cadat in ignotum quid per vocem Animae propter conjecturalia seu hypothetica de illa, praestat ut dicatur Spiritus hominis, aut si mavis, Interior homo, nam apparet ibi prorsus ut homo, cum omnibus membris et organis, quibus homo, et quoque est ipse homo in corpore; quod ita sit, etiam constare potest ab Angelis visis, de quibus in Verbo, qui omnes in forma humana visi fuerunt; est enim forma humana omnibus Angelis in coelo, quia est Domino, Qui post resurrectionem toties ut Homo apparuit: quod Angelus ac spiritus hominis sit homo in forma, est quia universum coelum a Domino habet, ut conspiret in formam humanam, unde universum coelum vocatum est Maximus Homo, de quo et de correspondentia omnium, quae hominis, cum illo, ad finem plu-*

rium Capitum, actum est, et quia Dominus vivit in unoquovis in Coelo, et per influxum a Domino universum Coelum agit in unumquemvis, idcirco omnis angelus est imago ejus, hoc est, forma perfectissime humana, similiter homo post mortem: omnes Spiritus, quotcunque vidi, qui sunt milleni et milleni, prorsus ut homines mihi visi sunt; et quidam eorum dixerunt quod homines sint sicut in mundo, et adjecerunt quod tale nusquam in vita corporis crediderint; multi contristati sunt, quod Genus humanum in tali ignorantia sit de statu suo post mortem, et quod tam inaniter et vacue cogitent de Anima, et quod plerique, qui de anima penitius cogitarunt, ipsam ut quoddam subtile aëreum fecerint, quod non potuisset non inducere in insanum illum errorem, quod dissipetur post mortem.

6055. *Qui non interiora hominis novit, nec scire potest influxum et commercium animae cum corpore, commercium enim et influxus fit per interiora. Ut Interiora hominis sciantur, sciri debet quod Internus homo sit et Externus, et quod Internus homo sit in mundo spirituali, et Externus in mundo naturali; ita ille in luce coeli, hic in luce mundi: tum quoque sciri oportet, quod Internus homo tam distinctus sit ab Externo, ut Ille, quia prior et interior, subsistere possit absque hoc, at quod Hic seu Externus, quia posterior et exterior, non subsistere possit absque illo: porro sciendum, quod Internus homo sit qui Intellectualis aut Rationalis in proprio sensu vocatur, quia in luce coeli est, in qua ratio et intellectus; at Externus homo est, qui proprie Scientificus dicendus est, quia in illo sunt scientifica, quae quoad maximam partem trahunt suum lumen ab illis quae sunt luminis mundi illustrati et sic vivificati per lucem coeli.*

6056. *Dictum est, quod homo Internus, quia prior, subsistere possit absque Externo, quia posterior, non autem vicissim; nam canon universalis est, quod nihil subsistere possit a se, sed ex alio et per aliud, consequenter quod nihil teneri possit in forma nisi ex alio et per aliud; quod etiam constare potest a singulis in natura: similiter se habet in homine; homo quoad Externum non subsistere potest nisi ex Interno et per Internum; nec Internus homo potest subsistere nisi ex coelo et per coelum; et nec coelum potest subsistere ex se, sed ex*

Domino, Qui Solus subsistit ex Se: secundum existentiam et subsistentiam est Influxus, nam per Influxum subsistunt omnia: at quod per Influxum omnia et singula a Domino subsistant non solum mediate per mundum spiritualem, sed etiam immediate tam in mediis quam in ultimis, in sequentibus demonstrabitur.

6057. *Antequam tradi potest aliquid de Influxu et de Operatione Animae in corpus, probe sciendum, quod Internus homo sit ad imaginem coeli, et Externus ad imaginem mundi, formatus; usque adeo, ut Internus homo sit Coelum in minima forma, et Externus sit Mundus in minima forma, ita Microcosmus. Quod Externus homo sit imago mundi, constare potest ex sensibus externis seu corporis; Auris enim formata est ad omnem naturam modificationis aëris; Pulmones ad omnem naturam pressionis ejus; sicut etiam ambitus corporis qui ex circumpressione aëris in sua forma continetur; Oculus est ad omnem naturam aetheris et lucis efformatus; Lingua ad sensum partium solutarum et fluentium in liquidis; et simul cum Pulmone, Trachea, Larynge, Glottide, Faucibus, et Labiis, ad potentiam convenienter modificandi aërem, unde soni articulati, seu voces, et soni harmonici; Nares sunt formatae ad sensum partium fluentium in atmosphaera; Tactus, qui circum universum corpus est, ad sensum mutationum status in aëre, nempe ad sensum ejus frigoris et caloris, ut et ad sensum liquidorum, et ad sensum gravium: Viscera interiora, ad quae atmosphaera aërea non intrare potest, continentur in connexu et forma a subtiliore aëre, qui aether vocatur: ut taceam, quod omnia arcana interioris naturae ei inscripta et applicata sint, sicut omnia arcana Mechanices, omnia Physices, omnia Chymices, omnia Optices; ex his constare potest, quod universa natura ad conformandum Externum hominis, conducta sit: inde est, quod Antiqui hominem nuncupaverint Microcosmum. Sicut nunc Externus homo formatus est ad imaginem omnium mundi, ita est Internus homo formatus ad imaginem omnium coeli, hoc est, ad imaginem Coelestium et Spiritualium, quae procedunt a Domino, a quibus et in quibus est Coelum; Coelestia ibi sunt omnia quae amoris in Dominum et Charitatis erga proximum, et Spiritualia ibi sunt omnia fidei; quae*

in se tanta sunt et talia, ut Lingua nusquam effari queat eorum unam myriadis myriadum partem: quod Internus homo ad imaginem omnium illorum formatus sit, conspicue exhibetur in Angelis, qui cum apparent coram visu interno, sicut apparuerunt coram meo, afficiunt intima ex sola praesentia, nam amor in Dominum, et charitas erga proximum, exundant ex illis et penetrant, et quae inde sunt, nempe quae fidei, elucent ex illis et afficiunt; inde patuit, et ex aliis auctoramentis, quod Internus homo, quia creatus est ut sit Angelus, sit Coelum in minima forma. Ex his nunc constare potest, quod in homine conjunctus sit mundus spiritualis cum mundo naturali, consequenter quod apud illum influat mundus spiritualis in mundum naturalem ita ad vivum ut appercipiat si modo attendit: inde etiam patet, quid commercium animae cum corpore, nempe quod proprie sit communicatio spiritualium quae coeli cum naturalibus quae mundi, et quod communicatio fiat per influxum, et se habeat secundum conjunctionem. Communicatio haec, quae fit per influxum secundum conjunctionem, hodie ignota est, ob causam, quia omnia et singula tribuuntur naturae, et nihil scitur de spirituali, quod hodie est tam remotum, ut cum cogitatur de eo, appareat ut nullum.

6058. *Sed Influxus est talis, quod a Divino Domini sit influxus in omnem Angelum, in omnem spiritum, et in omnem hominem, et quod sic Dominus regat unumquemvis non solum in universali, sed etiam in singularissimis, et hoc immediate a Se Ipso, et quoque mediate per mundum spiritualem. Ut sciatur quod ille Influxus sit, plura praemissa sunt de Correspondentia partium hominis cum Maximo homine, hoc est, cum Coelo, et simul ibi de Repraesentatione spiritualium in naturalibus, de quibus ad finem Capitum* XXIII *ad* XLIII; *et dein de Angelis et Spiritibus apud hominem, ad finem Capitum* XLIV *et* XLV. *Sequitur nunc ut in specie de Influxu et de Commercio Animae et Corporis agatur; sed illustrari haec debent per Experientias; alioquin res tam ignota, et in obscurum per hypotheses missa, non in lucem potest educi; Experientiae, quae illustrabunt, ad finem aliquot Capitum sequentium, sistentur; haec, quae nunc dicta sunt, inserviant loco introductionis.*



GENESEOS

CAPUT QUADRAGESIMUM SEPTIMUM.

1. Et venit Joseph, et indicavit Pharaoni, et dixit, pater meus et fratres mei, et greges eorum et armenta eorum, et omnia quae illis, venerunt e terra Canaan, et ecce illi in terra Goschen.

2. Et e parte fratrum suorum accepit quinque viros, et statuit illos coram Pharaone.

3. Et dixit Pharao ad fratres ejus, quid opera vestra, et dixerunt ad Pharaonem, pastor gregis servi tui, etiam nos, etiam patres nostri.

4. Et dixerunt ad Pharaonem, ad peregrinandum in terra venimus, quia nullum pascuum gregi qui servis tuis, quia gravis fames in terra Canaan, et nunc habitent quaeso servi tui in terra Goschen.

5. Et dixit Pharao ad Josephum, dicendo, pater tuus et fratres tui venerunt ad te.

6. Terra Aegypti coram te haec, in optimo terrae habitare fac patrem tuum et fratres tuos, habitent in terra Goschen; et si nosti et sit in illis viri strenuitatis, et ponas illos principes pecoris super quod mihi.

7. Et venire fecit Joseph Jacobum patrem suum, et statuit illum coram Pharaone; et benedixit Jacob Pharaoni.

8. Et dixit Pharao ad Jacobum, quot dies annorum vitae tuae.

9. Et dixit Jacob ad Pharaonem, dies annorum peregrinationum mearum triginta et centum anni; parum et mali fuerunt dies annorum vitae meae, et non attigerunt dies annorum vitae patrum meorum in diebus peregrinationum illorum.

10. Et benedixit Jacob Pharaoni, et egressus a coram Pharaone.

11. Et habitare fecit Joseph patrem suum et fratres suos, et dedit illis possessionem in terra Aegypti in optimo terrae, in terra Rameses, quemadmodum praecepit Pharao.

12. Et sustentavit Joseph patrem suum et fratres suos, et totam domum patris sui pane ad os infantis.

13. Et panis nullus in omni terra, quia gravis fames valde, et laborabat terra Aegypti et terra Canaan a coram fame.

14. Et collegit Joseph omne argentum inventum in terra Aegypti et in terra Canaan, in annona, quam illi ementes, et venire fecit Joseph argentum domum Pharaonis.

15. Et consumtum argentum e terra Aegypti et e terra Canaan, et venerunt omnis Aegyptus ad Josephum, dicendo, da nobis panem, et cur moriemur juxta te, quia deficit argentum.

16. Et dixit Joseph, date pecora vestra, et dabo vobis in pecoribus vestris, si defecit argentum.

17. Et venire fecerunt pecora sua ad Josephum, et dedit illis Joseph panem pro equis, et pro pecore gregis, et pro pecore armenti, et pro asinis, et providit illos pane pro omni pecore eorum in anno hoc.

18. Et finitus annus hic, et venerunt ad illum in anno altero, et dixerunt ei, non celabimus a domino, siquidem consumtum argentum, et pecus bestiae, ad dominum, non relictum coram domino praeter quam corpus nostrum et humus nostra.

19. Quare moriemur ad oculos tuos, etiam nos etiam humus nostra, eme nos et humum nostram pro pane, et vivemus nos et humus nostra servi Pharaoni, et da semen, et vivamus et non moriamur, et humus non vastata sit.

20. Et emit Joseph omnem humum Aegypti Pharaoni, quia vendiderunt Aegyptii quisque agrum suum, quoniam invaluit super illos fames; et fuit terra Pharaoni.

21. Et populum transtulit illum ad urbes a fine termini Aegypti et ad finem illius.

22. Solum humum sacerdotum non emit, quia pars statuta sacerdotibus a Pharaone, et comederunt partem statutam suam, quam dederat illis Pharao, propterea non vendiderunt humum suam.

23. Et dixit Joseph ad populum, ecce emi vos hodie et humum vestram Pharaoni, en vobis semen, et seratis humum.

24. Et erit, in proventibus et dabitis quintam Pharaoni, et quatuor partes erit vobis ad semen agri, et ad cibum vestrum, et illis in domibus vestris, et ad cibum infantibus vestris.

25. Et dixerunt, vivificasti nos, inveniamus gratiam in oculis domini, et erimus servi Pharaoni.

26. Et posuit illud Joseph ad statutum usque ad diem hunc super humum Aegypti Pharaoni ad quintam, solum humus sacerdotum tantum illorum non fuit Pharaoni.

27. Et habitavit Israël in terra Aegypti, in terra Goschen, et possessionem habuerunt in illa, et fructificarunt se, et multiplicati valde.

28. Et vixit Jacob in terra Aegypti septendecim annis, et fuit dies Jacobi anni vitae illius, septem anni et quadraginta et centum anni.

29. Et appropinquaverunt dies Israëlis ad moriendum, et vocavit filium suum Josephum, et dixit ei, si quaeso inveni gratiam in oculis tuis, pone quaeso manum tuam sub femore meo, et facias mecum misericordiam et veritatem, ne quaeso sepelias me in Aegypto.

30. Et cubem cum patribus meis, et feras me ex Aegypto, et sepelias me in sepulchro illorum; et dixit, ego faciam secundum verbum tuum.

31. Et dixit, jura mihi, et juravit ei; et incurvavit se Israël super caput lecti.

CONTENTA.

6059. Postquam Bonum spirituale e naturali, quod Israël, conjunctum fuit cum Coelesti Interno, quod Joseph, de qua re in Capite priori, agitur in hoc Capite in sensu interno de Insinuatione Verorum Ecclesiae, quae in naturali, in Scientificum: Vera Ecclesiae, quae in Naturali, sunt filii Jacobi; ipsum commune verum ibi est Jacob; Scientificum, in quod insinuata illa vera, est Pharao.

6060. Postea agitur de Scientificis, quomodo redacta sunt in ordinem a Coelesti Interno, quod Joseph; nempe quod pri-

mum vera scientifica, dein vera boni et bona veri, tandem omne naturale quoad scientifica, sub commune suum.

6061. Demum agitur de Regeneratione Boni spiritualis e naturali, quod Israël.

SENSUS INTERNUS.

6062. Vers: 1. *Et venit Joseph, et indicavit Pharaoni, et dixit, pater meus et fratres mei, et greges eorum et armenta eorum, et omnia quae illis, venerunt e terra Canaan, et ecce illi in terra Goschen.* Et venit Joseph, et indicavit Pharaoni, et dixit, significat Coelestis Interni praesentiam in naturali ubi scientifica, et inde influxum et perceptionem: pater meus et fratres mei, significat bonum spirituale in naturali, et vera Ecclesiae ibi: greges eorum et armenta eorum, significat veri bona interiora et exteriora: et omnia quae illis, significat quicquid inde est: venerunt e terra Canaan, significat quod ab Ecclesia: et ecce illi in terra Goschen, significat quod in medio naturali ubi scientifica.

6063. Et venit Joseph, et indicavit Pharaoni, et dixit, quod significet Coelestis Interni praesentiam in naturali, ubi scientifica, et inde influxum, et perceptionem, constat ex significatione venire ad aliquem, quod sit praesentia, ut n: 5934; ex repraesentatione Josephi, quod sit Coeleste Internum, de qua n: 5869. 5877; ex significatione indicare, quod sit influxus, de qua n: 5966; ex repraesentatione Pharaonis, quod sit Naturale et inde scientificum in communi, de qua n: 5799. 6015; et ex significatione dicere in historicis Verbi, quod sit perceptio, de qua n: 1791. 1815. 1819. 1822. 1898. 1919. 2080. 2619. 2862. 3509. 5687; inde patet, quod per venit Joseph et indicavit Pharaoni, et dixit, significetur praesentia Coelestis Interni in naturali ubi scientifica, et inde influxus et perceptio. De Influxu Interni in Naturale seu Externum, et de hujus perceptione, prius multoties dictum est; et ostensum quod Naturale subsistat et vivat ex influxu ab Interno, hoc est, per Internum a Domino; Naturale enim absque influxu inde, non habet aliquam vitam, quia est in natura mundi, et inde trahit

omne suum, et natura mundi est prorsus absque vita, quapropter ut vivat Naturale apud hominem influxus erit a Domino, non solum immediatus ab Ipso, sed etiam mediatus per mundum spiritualem, consequenter apud hominem in Internum ejus, nam hoc est in mundo spirituali; inde nunc erit influxus in naturale, ut hoc vivat; est Naturale hominis formatum ad recipiendum vitam inde: hoc nunc intelligitur per Influxum Coelestis Interni in naturale, ubi scientifica. Ex Influxu ab Interno existit perceptio in Externo, seu in Naturali, quod per Pharaonem repraesentatur, nam Influxus et Perceptio sibi mutuo correspondent, n: 5743.

6064. Pater meus et fratres mei, quod significet bonum spirituale in naturali, et vera Ecclesiae ibi, constat ex repraesentatione Israëlis, qui hic est pater, quod sit bonum spirituale in naturali, ut n: 5801. 5803. 5806. 5812. 5817. 5819. 5826. 5833; et a repraesentatione filiorum Israëlis, quod sint vera Ecclesiae in naturali, de qua n: 5414. 5879. 5951; influxus et perceptio, de quibus mox supra n: 6063, sunt de illis, nempe de bono spirituali et de veris Ecclesiae in naturali.

6065. Greges eorum et armenta eorum, quod significet veri bona interiora et exteriora, constat ex significatione Gregum, quod sint bona interiora, et armentorum, quod sint bona exteriora, de quibus n: 5913. 6048: quod sint veri bona quae significantur, est quia Bonum spirituale, quod repraesentatur per Israëlem, est veri bonum, n: 4598. Bona, quae in Coelo, et apud hominem, sunt ex duplici origine, nempe ex origine in voluntate, et ex origine in intellectu; in bono ex origine in voluntate, fuerunt Antiquissimi qui ab Ecclesia Coelesti; at in bono ex origine in intellectu, fuerunt Antiqui qui ab Ecclesia spirituali; in illo bono sunt qui in intimo seu tertio coelo, in hoc autem sunt qui in medio seu secundo coelo; quae et qualis differentia, pluries in explicationibus dictum est; bonum quod ex origine in voluntate, est bonum ex quo verum, at bonum quod ex origine in intellectu, est bonum quod ex vero seu bonum veri, hoc bonum in se non est nisi quam verum actu.

6066. Et omnia quae illis, significat [x] quicquid inde est, ut supra n: 6046.

6067. Venerunt e terra Canaan, quod significet quod ab

Ecclesia, constat a significatione venire e quadam terra, quod sit inde esse; et ex significatione terrae Canaanis, quod sit Regnum Domini in coelis, et Regnum Domini in terris, quod est Ecclesia, de qua n: 1607. 3038. 3481. 3686. 3705. 4447. 4454. 5136.

6068. Et ecce illi in terra Goschen, quod significet quod in medio naturali ubi scientifica, constat ex significatione Goschen, quod sit medium seu intimum in naturali, de qua n: 5910. 6028. 6031. Cum hoc, quod sit in medio naturali, ita se habet; cum bona et vera, quae Ecclesiae, hoc est, quae ex Verbo Domini agnita sunt et fide recepta in naturali, tunc ea tenent medium ibi: nam quae directe sub intuitione sunt, in medio sunt, quae autem non directe sub intuitione sunt, ad latera sunt; inde illa quae in medio, clare apparent, at illa quae ad latera, obscure; se habet hoc sicut se habet cum visu oculi, quae directe sub illo sunt, sunt in medio, hoc est, in centro, et apparent clare; at quae non directe sub illo sunt, sunt dissita a medio, hoc est, ad latera, et apparent obscure: oculus enim internus, qui est mens intellectualis, et suum visum habet a luce coeli, spectat illa quae in naturali sunt, extra se, quae sunt scientifica, sicut oculus externus spectat objecta seu objectorum campum extra se: visus internus determinatur ad illa, quae maxime delectant, et quae cordi sunt, et in illis intuitionem directam figit, sicut etiam visus externus ad simlia in objectorum campis; ita visus internus ad scientifica, quae cum vero et bono, in quibus homo est, maxime concordant; haec scientifica illi tunc in medio sunt. Quod visus internus spectet scientifica, est ex eo, quia est spiritualis, et determinatur inde ad spiritualia, ita ad scientifica, nam haec cadunt sub intuitionem spiritualem.

6069. Vers: 2. 3. 4. 5. 6. *Et e parte fratrum suorum accepit quinque viros, et statuit illos coram Pharaone. Et dixit Pharao ad fratres ejus, quid opera vestra, et dixerunt ad Pharaonem, pastor gregis servi tui, etiam nos etiam patres nostri. Et dixerunt ad Pharaonem, ad peregrinandum in terra venimus, quia nullum pascuum gregi qui servis tuis, quia gravis fames in terra Canaan; et nunc habitent quaeso servi tui in terra Goschen. Et dixit Pharao ad Josephum, dicendo, pa-*

ter tuus et fratres tui venerunt ad te. Terra Aegypti coram te haec, in optimo terrae habitare fac patrem tuum et fratres tuos, habitent in terra Goschen; et si nosti, et sit in illis viri strenuitatis, et ponas illos principes pecoris super quod mihi. Et a parte fratrum suorum accepit quinque viros, significat e veris Ecclesiae aliqua: et statuit illos coram Pharaone, significat insinuationem in scientifica: et dixit Pharao ad fratres ejus, significat perceptionem de veris Ecclesiae in naturali: quid opera vestra, significat de officiis et usibus: et dixerunt ad Pharaonem, pastor gregis servi tui, significat quod ducant ad bonum: etiam nos etiam patres nostri, significat quod ita ab antiquis: et dixerunt ad Pharaonem, significat continuum perceptionis: ad peregrinandum in terra venimus, significat quod ad quaerendam vitam in scientificis: quia nullum pascuum gregi qui servis tuis, significat quod scientifica desint, in quibus veri bona: quia gravis fames in terra Canaan, significat quod defectus talium in Ecclesia: et nunc habitent quaeso servi tui in terra Goschen, significat ut vivant in medio illorum: et dixit Pharao ad Josephum, dicendo, significat perceptionem in naturali ubi scientifica: pater tuus et fratres tui venerunt ad te, significat de influxu Coelestis Interni in bonum spirituale e naturali, et in vera Ecclesiae ibi: terra Aegypti coram te haec, significat quod scientifica mentis naturalis sub auspicio Coelestis Interni: in optimo terrae habitare fac patrem tuum et fratres tuos, significat quod in intimo illorum vivant: habitent in terra Goschen, significat ubi medium: et si nosti, et sit in illis viri strenuitatis, significat praestantiora in doctrina: et ponas illos principes pecoris super quod mihi, significat quod sint primaria scientificorum.

6070. Et a parte fratrum suorum accepit quinque viros, quod significet a veris Ecclesiae aliqua, constat ex repraesentatione filiorum Jacobi, qui hic sunt fratres, quod sint vera Ecclesiae, de qua n: 5403. 5419. 5427. 5458. 5512; et a significatione quinque, quod sint aliqua, de qua n: 4638. [2] 5291.

6071. Et statuit illos coram Pharaone, quod significet insinuationem in scientifica, constat ex repraesentatione Pharaonis, quod sit scientificum in communi, de qua n: 5799. 6015; insinuatio significatur per statuere coram illo, nam finis quod

exhibuerit illos, erat ut insinuaret, hoc est, vera Ecclesiae, nam haec sunt filii Jacobi. De Veris, quod insinuanda in scientifica Ecclesiae, videatur n: 6004. 6023. 6052; at quia hoc hodie est res ignota, adhuc illustrandum est; scientifica Ecclesiae, sunt hodie illa quae sunt sensus literalis Verbi, in illa scientifica nisi vera ex sensu interno insinuantur, potest mens abduci in omnem haeresin; at cum illis insinuata sunt vera, tunc mens non abduci in haereses potest: ut pro exemplo; qui ex sensu literali Verbi hausit, quod Deus irascatur, puniat, inducat in tentationes, conjiciat in infernum, et faciat malum, is abduci in falsas ideas de Deo potest, ut quod ab Ipso Bono, quod est Deus, possit etiam malum provenire, ita quod oppositum Ipsi, cum tamen bonum a bono, et malum a malo venit: at hoc scientificum alia facie apparet, si ei interiora Vera insinuantur; prout hoc verum, quod malum apud hominem sit, quod facit hominem irasci, quod ducit in tentationes, punit, conjicit in infernum, et ex se continue producit mala; et quod illa se habeant, sicut Leges in Regnis, Leges sunt ex Rege, mala autem poenae non sunt ex Rege, verum ex illis qui mala faciunt. Tum quoque hoc Verum; quod Inferna sint, ex quibus omne malum, et quod illis hoc permittatur, quia est inevitabile propter hominem, is enim in malo est, et vita ejus inde, quare nisi relinquitur in malo, non potest esse in libero, ita non reformari; usque tamen a Deo non venit nisi bonum, nam quantum sinit homo, flectit Deus id in bonum. Etiam hoc Verum, quod communissima primum credenda sint, et postmodum illa illustranda per vera singularia, ita commune hoc scientificum, quod omnia, quaecunque existunt, a Deo sint, ita quoque mala poenae; at quomodo illa a Deo sunt, postmodum discendum, tum quale et unde id quod ex permissione fit. Pariter hoc Verum; quod omnis cultus Dei non possit non principium ducere ex sancto timore, in quo inest quod Deus remuneret bonos, et puniat malos; simplices et infantes hoc credent, quia nondum capiunt quid permissio; et hoc secundum Domini Verba „Timete potius Ipsum, qui potest et corpus et animam perdere in gehenna" Matth: X: 28; cum itaque in initio ex timore non facere malum audent, insinuatur successive amor cum bono, et tunc scire et percipere incipiunt quod non nisi quam bonum a Deo, et quod

malum ab ipsis; et tandem quod omne malum ab inferno. Praeterea, qui in coelo sunt, percipiunt quod nihil nisi bonum a Deo; qui autem in inferno sunt, dicunt quod omne malum a Deo, quia permittit et non aufert; sed responsum ferunt illi eorum qui in mundo spirituum sunt, si malum illis auferretur quod nulla eis vita, nec foret homini qui in malo; et quod malum quod in illis semet puniat secundum legem, et quod per mala poenae tandem a malis faciendis abstineant, ut et quod poena malorum sit tutela bonorum. Accedit quod qui in malo sunt, tum qui in externo cultu absque interno, ut fuerunt Judaei, omnino debeant esse in timore pro Deo, et credere quod puniat, ex timore enim pro Deo, possunt bonum facere, nusquam autem ex amore. Cum haec et plura alia vera insinuantur in id scientificum, apparet id prorsus alia facie, fit enim id scientificum tunc sicut vas pellucidum, in quo vera transparentia faciunt ut vas non videatur aliter quam ut unum commune verum.

6072. Et dixit Pharao ad fratres ejus, quod significet perceptionem de veris Ecclesiae in naturali, constat a significatione dicere, quod sit perceptio, de qua supra n: 6063; a repraesentatione Pharaonis, quod sit naturale et scientificum in communi, de qua etiam supra n: 6063: et a repraesentatione filiorum Jacobi, qui hic sunt fratres, quod sint vera Ecclesiae in naturali, de qua supra n: 6064; inde patet, quod per dixit Pharao ad fratres ejus, significetur perceptio naturalis de veris Ecclesiae ibi.

6073. Quid opera vestra, quod significet de officiis et usibus, constat ex significatione operum, quod sint bona, de qua n: 6048, ita usus et officia, nam haec sunt bona; omnia bona, quae bona charitatis vocantur, non sunt nisi quam usus, et usus non sunt nisi quam opera erga proximum, erga patriam, erga Ecclesiam, erga Regnum Domini; ipsa etiam charitas in se spectata non fit charitas priusquam illa in actum venit et fit opus; amare enim aliquem et non facere ei bonum cum potest, est non amare; ast facere ei bonum cum potest, et hoc ex corde, est amare illum; et tunc intus in ipso facto seu opere continentur omnia charitatis erga illum; sunt enim opera complexus omnium charitatis et fidei apud hominem, et sunt quae vocantur

bona spiritualia, et fiunt etiam bona per exercitia, hoc est, per usus. Angeli qui in Coelo, quia in bono sunt ex Domino, nihil plus desiderant, quam praestare usus, hi sunt ipsa jucunda vitae eorum, et quoque secundum usus beatitudine et felicitate fruuntur, n: 453. [454.] 696. 997. 3645; quod etiam Dominus docet apud Matthaeum „Venturus est Filius hominis in gloria Patris sui, cum Angelis suis, et tunc reddet unicuique *secundum opera ejus*" XVI: 27; per opera hic non intelliguntur opera qualia apparent in forma externa, sed qualia in forma interna, nempe quale charitatis in se habent; Angeli non vident aliter opera: et quia opera sunt complexus omnium charitatis et fidei apud hominem, ac vita facit ut charitas sit charitas et fides sit fides, ita bonum, ideo Dominus prae reliquis Discipulis amavit Johannem, et is accubuit in coena super pectore Ipsius, Joh: XXI: 20, nam per illum repraesentabantur charitatis bona seu opera, videantur Praefationes ad Genes: Cap: XVIII et XXII; ideo quoque Dominus ad illum dixit, *sequere Me*, non ad Petrum, per quem repraesentabatur fides, videantur eaedem Praefationes; quare fides, quae est Petrus, indignata dixit „Domine, *hic vero quid;* dixit illi Jesus, si illum volo manere, donec venio, quid ad te: *tu sequere me*" Joh: XXI: 19. 21. 22. 23; per quae etiam praedictum, quod fides contemneret opera, et usque quod illa sint apud Dominum; ut quoque manifeste constare potest a Domini verbis ad oves et ad hircos, Matth: XXV: ubi non nisi quam opera recensentur, Vers: 34 ad 46. Quod autem fides rejiceret Dominum, patet a repraesentatione per Petrum, quod ter Ipsum abnegaverit; quod nocte id fecerit, significat ultimum tempus Ecclesiae cum amplius nulla charitas, n: 6000; quod ter hoc fecerit, significat quod tunc completum, n: 1825. 2788. 4495. 5159; quod antequam gallus caneret, significat antequam novum Ecclesiae existeret, nam diluculum et mane, quae noctem sequuntur, significant primum Ecclesiae, n: 2405. 5962.

6074. Et dixerunt ad Pharaonem, pastor gregis servi tui, quod significet quod ducant ad bonum, constat a significatione pastoris gregis, quod sit qui ducit ad bonum, de qua n: 6044, hic vera quae ducunt ad bonum, quia vera Ecclesiae sunt filii Jacobi.

6075. Etiam nos etiam patres nostri, quod significet quod ita ab antiquis, constat a significatione patrum, quod sint illi qui ab antiquis Ecclesiis, de qua n: 6050. In Verbo, ubi de Judaeis et Israëlitis [3] agitur, pluribus in locis cum laude nominantur Patres; qui in sensu literae manent, per patres ibi non alios intelligunt, quam Abrahamum, Jischakum, et Jacobum, et quoque filios Jacobi; sed in sensu interno per Patres ibi, cum in bono sensu, non illi intelliguntur, sed qui fuerunt ab Ecclesia Antiquissima quae ante diluvium, et qui ab Ecclesia Antiqua quae post diluvium; illi et hi Patres dicti sunt, quia ab illis descendit Ecclesia, et derivata sunt illa quae Ecclesiae: per Patres intelliguntur qui ab Antiquis Ecclesiis, apud Mosen „*Patribus tuis* delectatus est Jehovah, ad amandum eos, et elegit semen eorum post illos" Deut: X: 15; et apud Eundem „Memento dierum aeternitatis, intelligite annos generationis et generationis, cum haereditatem dedit Altissimus gentibus, quum separavit filios hominis, constituit terminos populorum, juxta numerum filiorum Israëlis: sed cum pinguis factus est Jeschurun, deseruit Deum, sacrificant daemonibus, diis, qui e propinquo venerunt, et non noverunt *Patres vestri*" Deut: XXXII: 7. 8. 15. 17, [4] haec in Cantico Mosis prophetico, in quo de Antiqua Ecclesia agitur a Vers: 7 ad 15, et de posteris Jacobi a Vers: 15 ad 44; status Ecclesiae Antiquissimae quae ante diluvium, significatur per dies aeternitatis; et status Antiquae Ecclesiae quae post diluvium, per annos generationis et generationis; status boni eorum, per haereditatem quam dedit Altissimus gentibus; et status veri eorum, per quod Altissimus separavit filios hominis, constituit terminos populorum, juxta numerum filiorum Israëlis; quod hic numerus seu duodecim, sint omnia vera fidei in complexu, videatur n: 577. 2089. [5] 2129 f. 2130 f. 3272. 3858. 3913; inde patet, quod per Patres significentur illi qui ab Antiquis Ecclesiis: Similiter in his locis, apud Esaiam „Domus sanctitatis nostra, et decus nostrum, *ubi laudaverunt Te patres nostri*, facta [6] est in incendium ignis" LXIV: 10. Apud Jeremiam „*Pater tuus* nonne comedit et bibit, sed fecit judicium et justitiam, tunc bene illi" XXII: 15. Apud Eundem „Peccarunt Jehovae, habitaculo justitiae, et *spei Patrum eorum*, Jehovae" L: 7. Apud Davidem „Deus, auribus

nostris audivimus, *Patres nostri* enarraverunt nobis, opus operatus in diebus illorum, in diebus antiquitatis » Psalm: XLIV: 2: pariter *Patres* apud Danielem, Cap: XI: Vers: 24. 37. 38: quod illi qui ab antiquis Ecclesiis intelligantur per Patres in his locis, in sensu literae non apparet, sed ex sensu interno, in quo agitur de Ecclesia, deque bonis et veris ejus: ipsa Ecclesia etiam, quia est conjugium coeleste, hoc est, conjugium boni et veri, in Verbo quoad bonum vocatur Pater, et quoad verum Mater, n: 3703. 5581. [7]

6076. Et dixerunt ad Pharaonem, quod significet continuum perceptionis, constat ex significatione dicere, quod sit perceptio, de qua supra n: 6063; et ex repraesentatione Pharaonis, quod sit naturale in communi, de qua prius; quod continuum perceptionis a naturali significetur, est quia *dixerunt ad Pharaonem* mox prius etiam dictum est, n: 6074, hic nunc iterum.

6077. Ad peregrinandum in terra venimus, quod significet quod ad quaerendam vitam in scientificis, constat a significatione peregrinari, quod sit instrui, tum vivere, de qua n: 1463. 2025; ita venire ad peregrinandum, est ad quaerendum vitam; et a significatione terrae, hic terrae Aegypti, quod sit ubi scientificum, ita scientificum, quod Aegyptus sit scientificum pluries ostensum est. Quod vita veri sit in scientificis, seu quod vera suam vitam in scientificis quaerant, sciendum est, quod omnia quae in spirituali mundo sunt, et inde omnia quae in naturali, quaerant aliquod ulterius, in quo sint, et agant causam in effectu, propterea ut continue aliquid producant; hoc ulterius est quasi corpus, et illud quod quaerit in hoc esse, est quasi anima; hic nisus non desinit quam in ultimis naturae, ubi inertia occurrunt: in naturali mundo hoc apparet a singulis; etiam in spirituali mundo, in hoc, bonum quaerit vivere in veris, et vera quaerunt in scientificis, et scientifica in sensualibus, et sensualia in mundo. Quod in specie vera in scientificis attinet, sciendum quod vera interiora quidem insinuari queant scientificis, sed vera inibi non habent vitam, priusquam in illis bonum est, in bono est vita, et in veris a bono, et sic in scientificis a bono per vera; tunc bonum est instar animae veris, et per vera scientificis, quae instar corporis sunt; verbo, charitas erga proxi-

mum vivificat et animat fidem, et per fidem scientifica quae sunt mentis naturalis. Pauci sunt hodie, qui sciunt quod vera et scientifica inter se distincta sint: causa est, quia pauci in veris fidei sunt ex charitate, et vera fidei in quibus non charitas, non aliud sunt quam scientifica, sunt enim in memoria non secus ac res aliae quae ibi; at cum vera fidei sunt ex charitate, seu cum in illis est charitas, tunc perceptibiliter se distinguunt a scientificis, et se quandoque elevant ab illis, ac tunc intuentur scientifica sub se: hoc apprimis constare potest a statu hominis post mortem, is tunc rationaliter potest cogitare et loqui de veris et bonis fidei, et hoc multo perspicacius quam in vita corporis, at nulla scientifica potest e memoria depromere, haec sunt apud illum sicut res oblitae et obliteratae, tametsi omnia secum habet, videatur n: 2475. 2476. 2477. 2479. 2480 ad 2486: [8] inde constare potest, quod vera fidei, quae in se sunt spiritualia, et scientifica quae in se sunt naturalia, inter se distincta sint; et quod vera fidei eleventur a scientificis versus coelum per affectionem boni charitatis.

6078. Quia nullum pascuum gregi, qui servis tuis, quod significet quod scientifica desint in quibus veri bona, constat ex significatione pascui quod gregi, quod sint scientifica, in quibus veri bona, ita nullum pascuum sunt scientifica in quibus non veri [9] bona. Pascuum in sensu interno est id, quod sustentat vitam spiritualem, et imprimis est verum scientificum, hoc enim desiderat anima hominis, sicut corpus cibum, nutritiones inde sunt, quare pascere est instrui, n: 5201; quod scientifica et vera sustentent animam [10] hominis, patet manifeste a desideriis sciendi apud hominem, tum quoque a correspondentia cibi cum scientificis, n: 1480. 3114. 4792. 5147. 5293. 5340. 5342. [11] 5576. 5579. 5915, quae correspondentia etiam se manifestat apud hominem cum vescitur cibis, si hoc fit inter loquendum et audiendum, aperiuntur vasa recipientia chylum, et plenius nutritur, quam si solus: vera spiritualia, et in illis instructiones talem effectum apud homines haberent, si in affectione boni fuissent: quod vera nutriant vitam spiritualem, apprimis manifestum est apud spiritus bonos et angelos in coelo, hi et illi in continuo desiderio sciendi et sapiendi sunt, et cum spiritualis is cibus illis deest, sunt in desolatione, ac in vitae pi-

gritia, inque fame, nec recreantur, et in beatum vitae suae elevantur, quam cum satisfit desideriis eorum. Ut autem Scientifica cedant nutritioni salutiferae animae, erit in illis vita ex veri bonis; si non inde vita, scientifica quidem sustentant vitam interiorem hominis, sed vitam ejus naturalem, non autem spiritualem. Quod Pascuum in sensu interno sit id quod sustentat vitam hominis spiritualem, patet etiam ab aliis locis in Verbo, ut apud Esaiam „Dedi te in foedus populi; ad restituendum terram, ad dicendum vinctis, exite, eis qui in tenebris, revelamini; *super viis pascent*, et *in omnibus clivis pascuum eorum*" XLIX: 8. 9, [12] super viis pascere pro instrui in veris, quod viae sint vera, videatur n: 627. 2333, et quod pascere sit instrui, n: 5201; in omnibus clivis pascuum pro sustentari ex bono, clivi enim sicut montes sunt bona amoris, n: 795. 796. 1430. 2722. 4210. Apud Jeremiam „Vae pastoribus perdentibus et dispergentibus *gregem pascui mei*" XXIII: 1, pascuum pro talibus, quae sustentant vitam spiritualem. Apud Eundem „Facti sunt principes Zionis sicut cervi, *non invenerunt pascuum;*" Thren: I: 6, non invenerunt pascuum, pro quod non boni verum. Apud Ezechielem „Ego, Ego quaeram gregem meum, *in pascuo bono pascam eos*, et in montibus celsitudinis Israëlis erit caula eorum; ita cubabunt in caula bona, *et pascuum pingue pascent* super montibus Israëlis" XXXIV: 11. 14, pascuum bonum et pingue super montibus Israëlis, pro bonis veri. Apud Eundem „Num parum vobis, *pascuum bonum depascitis, reliquum* autem *pascuorum vestrorum* conculcatis pedibus" XXXIV: 18, similiter. Apud Hoscheam „Ego novi te in deserto, in terra siccitatis: *cum pascuum eorum*, tunc saturati sunt, saturati sunt, et elatum est cor eorum" XIII: 6. Apud Joëlem „Suspirat bestia, perplexa sunt armenta bovis, *eo quod non pascuum illis*, etiam greges pecudum desolati sunt" I: 18. Apud Davidem „Jehovah Pastor meus, *in pascuo herbae* cubare faciet me, ad aquas quietum deducet me, *animam meam recreabit*" Psalm: XXIII: 1. 2. 3. Apud Eundem „Jehovah fecit nos, et non nos, populum suum, et *gregem pascui sui;* ideo Ipsius nos, populus Ipsius, et *grex pascui Ipsius*" Psalm: C: 3: pascuum in illis locis pro veris in quibus homo instruitur, ibi pro talibus quae spectant vitam spiritualem; vita enim spiri-

tualis talis est, ut si deficit ei id pascuum, languescat, et quasi marcescat, quasi corpus cum ei deficit cibus. Quod pascuum sit bonum et verum, quae recreant et sustentant animam seu spiritum hominis, liquet a Domini verbis apud Johannem „ Ego sum ostium, per Me si quis introiverit, Salvabitur, et ingredietur et egredietur, et *pascuum inveniet*" X: 9; pascuum pro bonis et veris, quae illis, qui agnoscunt Dominum, et ab Ipso Solo quaerunt vitam.

6079. Quia gravis fames in terra Canaan, quod significet quod defectus talium in Ecclesia, constat a significatione famis, quod sit defectus boni, de qua n: 5893; et ex significatione terrae Canaanis, quod sit Ecclesia, de qua supra n: 6067.

6080. Et nunc habitent quaeso servi tui in terra Goschen, quod significet ut vivant in medio illorum, constat ex significatione habitare, quod sit vivere, de qua n: 1293. 3384. 3613. 4451. 6051; et a significatione terrae Goschen, quod sit medium seu intimum in naturali, de qua n: 5910. 6028. 6031. 6068.

6081. Et dixit Pharao ad Josephum, dicendo, quod significet perceptionem in naturali ubi scientifica, constat a significatione dicere, quod sit perceptio, de qua saepius; a repraesentatione Pharaonis, quod sit naturale ubi scientificum, de qua n: 5799. 6015. 6063; et a repraesentatione Josephi, quod sit internum, unde perceptio [in] naturali, de qua n: 5469.

6082. Pater tuus et fratres tui venerunt ad te, quod significet de influxu Coelestis interni in bonum spirituale e naturali et in vera Ecclesiae ibi, constat a repraesentatione Israëlis, qui hic pater, quod sit bonum spirituale e naturali, de qua n: 5801. 5803. 5806. 5812. 5817. 5819. 5826. 5833; et a repraesentatione filiorum ejus, qui hic fratres, quod sint vera Ecclesiae in naturali, de qua n: 5414. 5879. 5951: quod sit influxus coelestis interni, est quia haec dicta sunt ad Josephum, per quem repraesentatur coeleste internum, n: 5869. 5877, et influxus in naturale seu in externum venit ab interno.

6083. Terra Aegypti coram te haec, quod significet quod scientifica mentis naturalis sub auspicio Coelestis interni, constat ex significatione terrae Aegypti, quod sit mens naturalis ubi scientifica, de qua n: 5276. 5278. 5280. 5288. 5301; et ex

significatione coram te, quod sit sub auspicio Coelestis Interni, quod Josephus, n: 5869. 5877.

6084. In optimo terrae habitare fac patrem tuum et fratres tuos, quod significet quod in intimo eorum, nempe scientificorum, vivant, constat ex significatione optimi terrae, quod sit intimum mentis naturalis ubi scientifica, de qua sequitur, terra Aegypti enim est mens illa, ut mox supra n: 6083; ex significatione habitare, quod sit vivere, de qua n: 1293. 3384. 3613. 4451. 6051; et ex repraesentatione Israëlis et filiorum ejus, qui hic pater et fratres qui ibi vivent, quod sint bonum spirituale e naturali et vera Ecclesiae ibi, de qua supra n: 6082. Quod optimum sit intimum, est quia id optimum est quod directe tenetur sub visu, oculus semper dirigitur ad id quod maxime afficit et delectat; et quod directe sub illo tenetur, id quoque est intimum, quia est in centro, et inde coram oculis in maxima luce, caetera circumcirca sunt in peripheriis, et inde minus clara, et tandem obscura, quia non ita delectant et afficiunt; ita se habet cum scientificis coram visu interno, objecta hujus visus non alia sunt quam scientifica et vera; jucundum et bonum in objectis sunt, quae dirigunt illuc visum: ast sciendum, quod vera et eis concordantia scientifica directe sub visum veniant, hoc est, in intimo sint, apud illos quos vera spiritualia et coelestia delectant et afficiunt, nam haec illis optima sunt; at falsa et illis concordantia scientifica, directe sub visum veniunt, hoc est, in intimo sunt, apud illos, quos mala amoris sui et mundi afficiunt et delectant; videantur etiam quae n: 6068, dicta sunt.

6085. Habitent in terra Goschen, quod significet ubi medium, constat ex significatione habitare, quod sit vivere, ut mox supra n: 6084; et ex significatione terrae Goschen, quod sit medium seu intimum in naturali, de qua n: 5910. 6028. 6031. 6068.

6086. Et si nosti, et sit in illis viri strenuitatis, quod significet praestantiora in doctrina, constat ex significatione virorum strenuitatis, quod sint praestantiora in doctrina, vir enim significat intelligentem, et quoque verum, n: 158. 265. 749. 1007. 3134. 4823, consequenter doctrinam, et strenuum significat praestans; nam strenuitas in Lingua originali exprimi-

tur per vocem, quae etiam significat vires et virtutem, quae in sensu interno sunt quae valent, ita praestantiora.

6087. Et ponas illos principes pecoris super quod mihi, quod significet quod sint primaria scientificorum, constat ex significatione principum, quod sint primaria, de qua n: 1482. 2089. 5044; et ex significatione pecoris, quod sint vera ex quibus bonum, de qua n: 6016. 6045. 6048, hic scientifica in quibus illa, quia dicitur super illud pecus quod mihi, nempe Pharaoni, per quem non vera in quibus bonum, sed scientifica in quibus illa, repraesentantur.

6088. Vers: 7. 8. 9. 10. *Et venire fecit Joseph Jacobum patrem suum, et statuit illum coram Pharaone; et benedixit Jacob Pharaoni. Et dixit Pharao ad Jacobum, quot dies annorum vitae tuae. Et dixit Jacob ad Pharaonem, dies annorum peregrinationum mearum triginta et centum anni; parum et mali fuerunt dies annorum vitae meae; et non attigerunt dies annorum vitae patrum meorum, in diebus peregrinationum illorum. Et benedixit Jacob Pharaoni, et egressus a coram Pharaone.* Et venire fecit Joseph Jacobum patrem suum, significat praesentiam veri communis ab Interno: et statuit illum coram Pharaone, significat insinuationem in scientificorum commune: et benedixit Jacob Pharaoni, significat votivum ad conjunctionem et inde fructificationem: et dixit Pharao ad Jacobum, significat perceptionem in naturali ubi scientifica, de vero communi Ecclesiae: quot dies annorum vitae tuae, significat de statu vitae naturalis e spirituali: et dixit Jacob ad Pharaonem, significat responsum: dies annorum peregrinationum mearum, significat de vitae successivo: triginta et centum anni, significat statum et quale: [parum] et mali fuerunt dies annorum vitae meae, significat quod status vitae naturalis tentationum plenus: et non attigerunt dies annorum vitae patrum meorum, significat quod non elevatus ad statum vitae priorum: in diebus peregrinationum illorum, significat quoad statum vitae eorum: et benedixit Jacob Pharaoni, significat votivum, ut prius, ad conjunctionem et inde fructificationem: et egressus est a coram Pharaone, significat separationem quoad tempus.

6089. Et venire fecit Joseph Jacobum patrem suum, quod significet praesentiam veri communis ab Interno, constat ex si-

gnificatione venire facere seu adducere; quod sit sistere praesentem, et venire ad aliquem quod sit praesentia, n: 5934. 6063; et ex repraesentatione Jacobi, quod sit doctrina veri naturalis, tum verum naturale, de qua n: 3305. 3509. 3525. 3546. [13] 4538, hic verum in communi, quia filii ejus repraesentant vera in particulari: quod ab Interno, est quia Joseph est Internum, a quo Verum in naturali. Verum commune vocatur pater Josephi, quia omnium primo apud hominem insinuatur verum commune, hoc dein locupletatur veris particularibus, ac ultimo existit intuitio illorum ab interno, seu ratio et intellectus; hoc patet manifeste apud hominem, nam ei judicium ab infantia crescit; similiter se habet cum veris et bonis spiritualibus, cum homo e novo nascitur, seu regeneratur: postquam autem Internum exstiterat a Vero communi in naturali, vertitur status, et Internum amplius non agnoscit verum in naturali pro patre, sed pro famulo; quod famulus, indicatur per somnium Josephi de patre suo, „Quod nempe sol et luna, et undecim stellae incurvarent se illi; quare dixit pater, quid somnium hoc quod somniasti, an veniendo veniemus ego et mater tua, et fratres tui, ad incurvandum nos tibi terram" Gen: XXXVII: 9. 10; et ideo pater ejus a filiis coram Josepho toties vocatur servus ejus, Genes: XLIII: 28. Cap: XLIV: 24. 27. 30. 31; et quoque Josephus Dominus fuit in tota terra Aegypti, ita etiam super patrem suum.

6090. Et statuit illum coram Pharaone, quod significet insinuationem in scientificorum commune, constat ex illis quae supra n: 6071 explicata sunt.

6091. Et benedixit Jacob Pharaoni, quod significet votivum ad conjunctionem et inde fructificationem, constat ex significatione benedicere, quod hic sit votivum ad conjunctionem, nempe veri cum scientifico in naturali, nam de illa hic agitur: benedicere plura significat, involvit omnia quae bona sunt, et quoque quae fausta, in spirituali sensu; inde significat donari bono amoris et charitatis, n: 3185. 4981; et quoque conjunctionem, n: 3504. 3514. 3530. 3565. 3584; ut et fructificationem ex affectione veri, n: 2846; tum votivum fausti, n: 3185, hic itaque votivum ad illud, de quo hic agitur, nempe ad conjunctionem, et sic ad fructificationem; fructificatio enim

sequitur ex conjunctione, nam cum conjunctio facta est, crescit bonum et multiplicatur verum, est enim tunc conjugium boni et veri, ex quo illa; prius non fieri potest, nisi sicut ex scortatione, sed bonum quod ex hac, est spurium, et quoque verum; bonum quod ex hac, spectat se, et verum sapit ex illo.

6092. Et dixit Pharao ad Jacobum, quod significet perceptionem in naturali ubi scientifica, de vero communi Ecclesiae, constat ex significatione dicere, quod sit perceptio, de qua supra n: 6063; a repraesentatione Pharaonis, quod sit naturale ubi scientifica, de qua n: 5799. 6015; et a repraesentatione Jacobi, quod sit verum commune Ecclesiae, de qua supra n: 6089.

6093. Quot dies annorum vitae tuae, quod significet de statu vitae naturalis e spirituali, constat ex significatione dierum, tum Annorum, quod sint status, de qua n: 23. 487. 488. 493. 893. 2788. 3462. 3785. 4850; et ex significatione vitae, quod sit vita spiritualis, de qua n: 5407. 5890, hic vita spiritualis in naturali, seu naturale e spirituali.

6094. Et dixit Jacob ad Pharaonem, quod significet responsum, constat absque explicatione.

6095. Dies annorum peregrinationum mearum, quod significet de vitae successivo, constat ex significatione dierum et annorum, quod sint status, de qua mox supra n: 6093; et ex significatione peregrinationum, quod sit vita et instructio, de qua n: 1463. 2025. 3672, ita status vitae successivus.

6096. Triginta et centum anni, quod significet statum et quale, constat ex eo, quod omnes numeri in Verbo significent res, videatur n: 575. 647. 648. 755. 813. 1963. 2075. 2252. 3252. 4264. 4495. 4670. [14] 5265, ita statum et quale rei, de qua agitur; quare hic numerus in specie significat statum et quale vitae, quae fuerant Jacobo hucusque, hoc est, statum et quale vitae spiritualis, quae fuit naturali e spirituali nunc.

6097. [Parum] et mali fuerunt dies annorum vitae meae, quod significet quod status vitae naturalis tentationum plenus, constat ex significatione dierum et annorum, quod sint status, ut supra n: 6093. 6095; [15] et ex significatione vitae Jacobi, quod sit vita spiritualis in naturali, ut quoque supra n: 6093; tentationes in illo statu significantur per quod *mali* fuissent; omnes tenta-

tiones apparent malae, ex causa, quia sunt anxietates et dolores interiores, et quasi damnationes; mittitur enim tunc homo in statum malorum suorum, consequenter inter malos spiritus, qui incusant et sic conscientiam cruciant; sed usque Angeli defendunt, hoc est, Dominus per angelos, Qui tenet illum in spe et fiducia, quae sunt pugnae vires ab interiori, ex quibus resistit: naturale imprimis mittitur in tentationes, cum recipiet spirituale, quia ibi resident mala vitae et falsa doctrinae; eapropter Jacob de se hoc dicit, per illum enim hic repraesentatur naturale quoad verum.

6098. Et non attigerunt dies annorum vitae patrum meorum, quod significet quod non elevatus ad statum vitae eorum, constat ex significatione attingere, quod hic sit elevari, de qua sequitur; et a significatione dierum et annorum vitae, quod sint status vitae spiritualis, ut supra n: 6093. 6095. 6097. Quod attingere hic sit elevari, est quia patres ejus Jischakus et Abrahamus repraesentabant elevatiora, hoc est, interiora, quam ille, Abrahamus repraesentabat in supremo sensu Ipsum Divinum Domini, Jischakus Divinum Rationale Domini, et Jacobus Divinum Naturale Ipsius; quod Abrahamus repraesentaverit Ipsum Divinum Domini, videatur n: 1965. [16] 1989. 2011. 3245. 3251. 3305. f. 3439. 3703. 4615; quod Jischakus Divinum Rationale, n: 1893. 2066. 2072. 2083. 2630. 2774. 3012. 3194. 3210. 4615; quod Jacobus Divinum naturale quoad verum et quoad bonum, n: 3305. 3509. 3525. 3546. [13] 3576. 3599. 4286. 4538. 4570. 4615: inde etiam per Abrahamum repraesentatur coeleste apud hominem, per Jischakum spirituale, et per Jacobum naturale, ex causa quia regeneratio hominis est imago Glorificationis Domini, n: 3138. 3212. 3296. 3490. 4402. 5688. Ex his nunc patet, quod per non attigerunt dies annorum vitae patrum meorum, significetur quod non elevatus ad statum vitae eorum.

6099. Et benedixit Jacob Pharaoni, significat [17] votivum ad conjunctionem, et inde fructificationem, ut supra n: 6091.

6100. Et egressus a coram Pharaone, quod significet separationem quoad tempus, constat a significatione egredi, quod sit separari, hic separari quoad tempus a naturali ubi scientifica, quae per Pharaonem repraesentantur. Cum hoc, quod per egredi significetur separatio quoad tempus, ita se habet; actum est

in praecedentibus de conjunctione boni spiritualis e naturali, quod Israël, tum verorum Ecclesiae in naturali, quae sunt filii ejus, cum Coelesti Interno, quod Joseph, sed nondum de conjunctione cum naturali, solum de insinuatione; at in nunc sequentibus agitur de conjunctione illa, a Vers: 13 ad 27 hujus Capitis, videantur contenta n: 6059. 6060; inde est, quod per egressus Jacob a coram Pharaone, significetur separatio quoad tempus.

6101. Vers: 11. 12. *Et habitare fecit Joseph patrem [suum] et fratres suos, et dedit illis possessionem in terra Aegypti, in optimo terrae, in terra Rameses, quemadmodum praecepit Pharao. Et sustentavit Joseph patrem suum, et fratres suos, et totam domum patris pane ad os infantis.* Et habitare fecit Joseph patrem suum et fratres suos, significat vitam boni spiritualis et [18] verorum Ecclesiae a Coelesti Interno: et dedit illis possessionem in terra Aegypti, in optimo terrae, significat in intimo mentis naturalis ubi scientifica: in terra Rameses, significat intimum mentis, et quale ejus: quemadmodum praecepit Pharao, significat consentiente naturali ubi scientifica: et sustentavit Joseph patrem suum, et fatres suos, et totam domum patris sui, pane, significat quod a Coelesti Interno continuus influxus boni in bonum spirituale et vera Ecclesiae in naturali, unde vita illorum: ad os infantis, significat unumquodvis secundum quale boni innocentiae.

6102. Et habitare fecit Joseph patrem suum, et fratres suos, quod significet vitam boni spiritualis et verorum Ecclesiae a Coelesti Interno, constat a significatione habitare, quod sit vita, de qua n: 1293. 3384. 3613. 4451. 6051; ex repraesentatione Israëlis, qui hic pater, quod sit bonum spirituale e naturali, de qua n: 5801. 5803. 5806. 5812. 5817. 5819 [19]. 5826. 5833; a repraesentatione filiorum ejus, qui hic fratres, quod sint vera Ecclesiae in naturali, de qua n: 5414. 5879. 5951; et a repraesentatione Josephi, quod sit coeleste internum, de qua n: 5869. 5877; ex quibus patet, quod per habitare fecit Joseph patrem suum, et fratres suos, significetur vita boni spiritualis, et verorum Ecclesiae, a Coelesti Interno.

6103. Et dedit illis possessionem in terra Aegypti, in optimo terrae, quod significet in intimo mentis naturalis ubi scientifica, constat ex significatione possessionis, quod sit statio vitae

spiritualis, de qua n: 2658; ex significatione terrae Aegypti, quod sit mens naturalis ubi scientifica, de qua n: 5276. 5278. 5280. 5288. 5301; et a significatione optimi terrae, quod sit intimum, de qua supra n: 6084; inde patet, quod per dedit illis possessionem in terra Aegypti, in optimo terrae, significetur statio vitae spiritualis in intimo mentis naturalis ubi scientifica.

6104. In terra Rameses, quod significet intimum mentis, et quale ejus, constat ex eo, quod nomina tam personarum, quam locorum, omnia quae in Verbo, significent res, n: 1888. 3422. 4298. 4442. 5095. [20] 5225: et quia terra Goschen est intimum mentis naturalis, n: 5910. 6028. 6031. 6068. ideo Rameses, quae erat tractus terrae optimus in terra Goschen, est intimum spiritualis in mente naturali: quale autem hujus intimi ab homine vix potest comprehendi, continet enim innumerabilia, et quoque ineffabilia, quae solum in luce coeli videri queunt, ita ab angelis; similiter ac quale reliquorum nominum tam locorum quam personarum, quae in Verbo.

6105. Quemadmodum praecepit Pharao, quod significet consentiente naturali ubi scientifica, constat ex significatione praecipere, quod sit influxus, de qua n: 5486. 5732, hic autem consensus, quia naturale, quod repraesentatur per Pharaonem, omne suum habet ab Interno per Influxum; quare quod naturale praecipit, apparet quidem sicut mandatum ab illo, sed est ab Interno, ita consensus: se habet naturale hominis ad internum, paene sicut loquela hominis ad cogitationem, apparet sicut loquela hominis praecipiat seu mandet, sed est cogitatio.

6106. Et sustentavit Joseph patrem suum et fratres suos, et totam domum patris sui, pane, quod significet quod a Coelesti interno continuus influxus boni in bonum spirituale et vera Ecclesiae in naturali, unde vita illorum, constat a significatione sustentare pane, quod sit influxus boni, sustentare enim hic est continue influere, unde vita spiritualis homini, et panis est bonum amoris, n: 276. 680. 2165. 2177. 3464. 3478. 3735. 3813. 4211. 4217. 4735. 4976. 5915; ex repraesentatione Josephi, quod sit coeleste internum, de qua n: 5869. 5877; ex repraesentatione Israëlis, qui hic est pater, quod sit bonum spirituale e naturali; ex repraesentatione filiorum ejus, qui hic sunt fratres, quod sint vera Ecclesiae in naturali, de quibus supra n:

6102; et ex significatione totius domus patris sui, quod sit in uno complexu omne quod est boni spiritualis, et ex bono illo: inde patet, quod per sustentavit Joseph patrem suum, et fratres suos, et totam domum patris sui, pane, significetur continuus influxus boni amoris a Coelesti interno, in bonum spirituale et vera Ecclesiae in naturali, et in omnia quae sunt boni spiritualis, et ex illo.

6107. Ad os infantis, quod significet unumquodvis secundum quale boni innocentiae, constat ex significatione ad os, quod sit unumquodvis et secundum quale; et ex significatione infantis, quod sit bonum innocentiae, de qua n: 430. 2126. 3183. 5608. Cum hoc, quod influxus a Coelesti interno in bonum spirituale et in vera Ecclesiae in naturali, secundum quale boni innocentiae, ita se habet; Innocentia est quae ab intimo qualificat omne bonum charitatis et amoris; influit enim Dominus per innocentiam in charitatem, et quantum innocentiae est, tantum charitatis recipitur, est enim Innocentia ipsum essentiale charitatis, n: 2780. 3111. 3183. 3994. 4797. 6013. Quid Innocentia, videri potest sicut in speculo ab infantibus, quod nempe ament parentes suos, et eis solis fidant, nec illis sollicitudo nisi ut parentibus placeant, ita eis victus et amictus non modo ad necessitatem, sed etiam ad delectationem, et quia amant parentes, faciunt ex jucundo affectionis quicquid illis favet, ita non modo quod praecipiunt, sed etiam quod praecipere velle autumant; et praeterea se nihil intuentur; praeter plura alia: sed sciendum, quod Innocentia infantum non sit innocentia, sed modo simulachrum ejus; ipsa Innocentia habitat solum in sapientia, videatur n: 2305. 2306. 3494. [21] 4797; et sapientia est, ita se gerere erga Dominum, sicut dictum de infantibus erga parentes, ex bono amoris et fidei.

6108. Vers: 13 ad 26. *Et panis nullus in omni terra, quia gravis fames valde, et laborabat terra Aegypti et terra Canaan a coram fame. Et collegit Joseph omne argentum inventum in terra Aegypti et in terra Canaan, in Annona, quam illi ementes; et venire fecit Joseph argentum domum Pharaonis. Et consumtum argentum e terra Aegypti et e terra Canaan, et venerunt omnis Aegyptus ad Josephum, dicendo, da nobis panem, et cur moriemur juxta te, quia deficit argentum. Et*

dixit Joseph, date pecora vestra, et dabo vobis in pecoribus vestris, si deficit argentum. Et venire fecerunt pecora sua ad Josephum, et dedit illis Joseph panem pro equis, et pro pecore gregis, et pro pecore armenti, et pro asinis, et providit illos pane pro omni pecore eorum, in anno hoc. Et finitus annus hic, et venerunt ad illum in anno altero, et dixerunt ei, non celabimus a domino, siquidem consumtum argentum, et pecus bestiae, ad dominum, non relictum coram domino, praeterquam corpus nostrum, et humus nostra. Quare moriemur ad oculos tuos, etiam nos, etiam humus nostra, eme nos, et humum nostram pro pane, et vivemus nos, et humus nostra, servi Pharaoni, et da semen, et vivamus et non moriamur, et humus non vastata sit. Et emit Joseph omnem humum Aegypti Pharaoni, quia vendiderunt Aegyptii quisque agrum suum, quoniam invaluit super illos fames; et fuit terra Pharaoni. Et populum transtulit illum ad urbes, a fine termini Aegypti ad finem illius. Solum Sacerdotum humum non emit, quia pars statuta Sacerdotibus ex Pharaone, et comederunt partem statutam suam, quam dederat illis Pharao, propterea non vendiderunt humum suam. Et dixit Joseph ad populum, ecce emi vos hodie, humum vestram Pharaoni, en vobis semen, et seratis humum. Et erit, in proventibus et dabitis quintam Pharaoni, et quatuor partes erit vobis ad semen agri, et ad cibum vestrum, et illis in domibus vestris, et ad cibum infantibus vestris. Et dixerunt, vivificasti nos, inveniamus gratiam in oculis domini, et erimus servi Pharaoni. Et posuit illud Joseph ad statutum usque ad diem hunc super humum Aegypti Pharaoni ad quintam; solum humus sacerdotum tantum illorum non fuit Pharaoni. Et panis nullus in omni terra, significat, quod bonum non apparuit amplius: quia gravis fames valde, significat desolationem: et laborabat terra Aegypti et terra Canaan, a coram fame, significat quod hoc in naturali, et intra Ecclesiam: et collegit Joseph omne argentum, significat quod omne scientificum verum et aptabile: inventum in terra Aegypti et in terra Canaan, significat quod in naturali et in Ecclesia: in annona, quam illi ementes, significat quod illo sustentarentur: et venire fecit Joseph argentum domum Pharaonis, significat quod illud omne referretur ad commune in naturali: et consumtum argentum e terra Aegypti et e terra Canaan, significat

quod scientificum verum et aptabile non magis conspicuum esset in naturali et intra Ecclesiam, ob desolationem: et venerunt omnis Aegyptus ad Josephum, significat applicationem ad Internum: dicendo, da nobis panem, significat supplicationem de sustentatione vitae spiritualis: et cur moriemur juxta te quia deficit argentum, significat quod alioquin ob defectum veri mors spiritualis: et dixit Joseph, significat Internum a quo responsum: date pecora vestra, et dabo vobis pro pecoribus vestris, significat quod offerrent bona veri, et sustentarentur: si defecit argentum, significat si non amplius illis verum conspicuum: et venire fecerunt pecora sua ad Josephum, significat bona veri quod offerrentur: et dedit illis Joseph panem, significat sustentationem quoad vitam spiritualem: pro equis, significat scientifica ex intellectuali: et pro pecore gregis et pro pecore armenti, significat bona interiora et exteriora veri: et pro asinis, significat servitia: et providit illos pane pro omni pecore eorum, significat sustentationem per influxum boni ab Interno: in anno hoc, significat illius status periodum: et finitus annus hic, significat desolationem post hujus status periodum: et venerunt ad illum in anno altero, significat principium status sequentis: et dixerunt ei, non celabimus a Domino, significat perceptionem quod notum sit Interno: siquidem consumtum argentum, significat verum non conspicuum propter desolationem: et pecus bestiae ad dominum, significat bonum veri similiter: non relictum coram domino praeter quam corpus nostrum et humus nostra, significat quod receptacula boni et veri prorsus desolata sint: quare moriemur ad oculos tuos etiam nos etiam humus nostra, significat si desolata fuerint, quod non amplius vita spiritualis sub Interno: eme nos et humum nostram pane, significat appropriationem utriusque ut sustententur bono: et vivemus nos, et humus nostra, servi Pharaoni, significat submissionem totalem: et da semen, significat sic influxum boni charitatis et veri fidei: et vivamus et non moriamur, significat vitam spiritualem inde, et non amplius timorem damnationis: et humus non vastata sit, significat quod mens scientificis Ecclesiae erit exculta: et emit Joseph omnem humum Aegypti Pharaoni, significat quod Internum appropriaverit sibi totam mentem naturalem ubi scientifica, et posuerit sub communi auspicio: et vendiderunt Aegyptii quisque agrum suum,

significat abdicationem et subjectionem omnium quae inserviunt Ecclesiae: quoniam invaluit super illos fames, significat quia desolatio usque ad desperationem: et fuit terra Pharaoni, significat quod subjecta omnia naturali quod sub auspicio Interni: et populum transtulit illum ad urbes, significat quod vera scientifica referrentur ad doctrinalia: a fine termini Aegypti ad finem illius, significat extensionem per totum naturale ubi scientifica: solum humum sacerdotum non emit, significat quod Internum e naturali comparaverit sibi facultates recipiendi bonum, quia illae ab Ipso: quia pars statuta sacerdotibus a Pharaone, significat quod id ordinatum a naturali quod sub auspicio Interni: et comederunt partem statutam suam, quam dederat illis Pharao, significat quod bona non appropriaverint sibi plus quam secundum ordinationem: propterea non vendiderunt humum suam, significat quod idcirco non opus habuerint abdicare et submittere illa: et dixit Joseph ad populum, significat influxum Interni in vera scientifica: ecce emi vos hodie, et humum vestram, Pharaoni, significat quod comparaverit sibi illa, et subjecerit communi in naturali, quod sub auspicio Interni: en vobis semen, et seratis humum, significat bonum charitatis et verum fidei, quae implantanda: et erit, in proventibus, significat fructus inde: et dabitis quintam Pharaoni, significat reliquias, quod illae ad commune quod sub auspicio Interni: et quatuor partes vobis, significat illa quae nondum reliquiae: ad semen agri, significat ad nutritionem mentis: et ad cibum vestrum, et illis in domibus vestris, significat ut inde veri bonum in omnibus et singulis: et ad cibum infantibus vestris, significat in illis quae sunt innocentiae: et dixerunt, vivificasti nos, significat vitam spiritualem non aliter nec aliunde: inveniamus gratiam in oculis domini, significat voluntatem ut ita subjecta sint; [22] et humiliationem: et erimus servi Pharaoni, significat quod proprium suum abdicent, et submittant naturali quod sub auspicio Interni: et posuit Joseph ad statutum, significat conclusum ex consensu: usque ad diem hunc, significat in aeternum: super humum Aegypti Pharaoni ad quintam, significat reliquias, ut prius: solum humus sacerdotum, tantum illorum non fuit Pharaoni, significat facultates recipiendi bonum, quod illae immediate ab Interno.

6109. Et panis nullus in omni terra, quod significet quod

bonum non apparuit amplius, constat ex significatione panis, quod sit bonum amoris et charitatis, de qua mox supra n: 6106; et ex significatione quod nullus in omni terra, quod sit quod non apparuit amplius. Agitur in nunc sequentibus de Coelesti Interno, quod omnia in naturali in ordinem redegerit sub commune, ob finem ut conjunctio fieret scientificorum cum veris Ecclesiae, et per vera illa cum bono spirituali, perque bonum hoc cum Coelesti Interno: ast quia redigere in ordinem scientifica sub commune, non aliter fieri potest quam per vastationes boni et desolationes veri, et mox per sustentationes, ideo de his et illis in nunc sequentibus in sensu interno agitur; sed haec raro fiunt apud hominem dum in mundo vivit, ob plures causas; in altera autem vita fiunt apud omnes qui regenerantur; et quia haec non fiunt apud hominem in mundo, non mirum est, si haec appareant ei ut ignota, ac obveniant ut arcana de quibus non prius auditum.

6110. Quia gravis fames valde, quod significet desolationem, constat ex significatione famis, quod sit defectus boni et cognitionum, [23] de qua n: 1460. 3364. 5277. 5279. 5281. 5300. 5579. 5893, ita gravis fames valde, est desolatio, n: 5360. 5376. 5415. 5576. Quod desolationem attinet, sciendum, quod vera et bona, et eorum cognitiones faciant vitam spiritualem illorum qui in coelo sunt, sunt illa cibi coelestes et spirituales, quibus nutriuntur; illi cibi dantur illis quotidie a Domino; cum illis est mane, subministrantur bona, cum meridies subministrantur vera, at cum vespera tunc deficiunt, et hoc usque ad diluculum et ad mane iterum; tenentur tunc in appetitione, quae talis est, ut desiderent illa plus quam famelici cibum in terra; hic status significatur per famem, et est species desolationis, sed non talis qualis est apud illos qui in terra inferiore sunt, n: 698. 699. 1106 ad 1113. Quod Coelum Angelicum in tantum appetat vera et bona, ac cognitiones eorum, vix aliquis in mundo potest credere; qui enim nihil aliud student quam lucris, ac gloriae, et indulgent voluptatibus, miraturi quod talia sint vitae angelis et dicturi, quid mihi cognitiones boni et veri, quid vitae ex illis? quae dant vitam et vitae jucundum, sunt divitiae, honores, et voluptates; at sciant, quod vita ex his sit vita corporis, non vita animae, et quod illa vita cum corpore pereat, haec autem maneat in aeternum; et quod sibi male consulant, qui nihil de vita spi-

rituali in mundo cogitant. Quod porro desolationem attinet, est illa propter appetitionem, bona enim et vera recipiuntur secundum illam, et desideria quae ex appetitione, cum obtinentur, faciunt faustum et felix; quapropter in altera vita, qui in desolatione sunt, mox dein recreantur, et desideriis potiuntur; per tales vices perficiuntur omnes. Quod observatu dignum est, quod vices diei in mundo naturali, nempe mane, meridies, vespera, nox, et rursus mane, prorsus repraesentent vices in mundo spirituali, solum cum ea differentia, quod vices mundi spiritualis influant in intellectum et voluntatem, et sistant illa quae sunt vitae; vices autem in mundo naturali influunt in illa quae corporis sunt, et sustentant illa: quod adhuc dignius observatu est, quod umbrae vesperae et tenebrae noctis non ex Domino veniant, sed ex propriis angelorum, spirituum et hominum; Dominus enim ut Sol continue lucet, et influit, sed mala et falsa ex proprio, quia apud homines, spiritus, et angelos, vertunt et convertunt illos a Domino, et sic illos inducunt in umbras vesperae, et malos in tenebras noctis; similiter ac sol mundi nostri, is continue lucet et influit, at tellus per circumrotationem se vertit ab illo, et se inducit in umbras et tenebras. Quod haec in mundo naturali existant, est causa, quia mundus naturalis existit a mundo spirituali, ac inde quoque subsistit; inde est, quod universa natura sit theatrum repraesentativum Regni Domini, n: 3483. 4939: quod illae vices sint in mundo spirituali, est ut omnes, qui in coelo sunt, continue perficiantur; inde etiam tales vices sunt in mundo naturali, nam aliter siccitate perirent omnia ibi. At sciendum, quod in coelo nulla sit nox, sed modo vespera, quam excipit diluculum quod ante mane; at in inferno est nox; ibi etiam sunt vices, sed contrariae vicibus in coelo, ibi mane est aestus cupiditatum, meridies est prurigo falsitatum; vespera est anxietas, et nox est cruciatus; at usque per omnes has vices dominatur nox, sunt modo variationes umbrae et tenebrarum noctis, quae sistunt illas vices. Ulterius sciendum, quod in mundo spirituali non similes vices sint apud unum quae apud alterum; tum quod non vices ibi distinctae sint in stata tempora, sunt enim variationes status, quae illas sistunt, nam loco temporum in mundo naturali, sunt status in mundo spirituali, n: 1274. 1382. 2625. 2788. 2837. 3264. 3356. 4814. 4916. 4882. 4901

6111. Et laborabat terra Aegypti et terra Canaan a coram fame, quod significet quod hoc in naturali ubi scientifica, et intra Ecclesiam, constat a significatione terrae Aegypti, quod sit mens naturalis ubi scientifica, de qua n: 5276. 5278. 5280. 5288. 5301; et a significatione terrae Canaanis, quod sit Ecclesia, de qua supra n: 6067; et a significatione famis, quod sit desolatio, ut mox supra n: 6110; inde patet quod per laborabat terra Aegypti et terra Canaan a coram fame, significetur quod desolatio in naturali ubi scientifica, et intra Ecclesiam.

6112. Et collegit Joseph omne argentum, quod significet quod omne scientificum verum et aptabile, constat ex significatione colligere, quod sit in unum conferre; ex repraesentatione Josephi, quod sit Coeleste Internum, de qua saepe prius; et ex significatione argenti, quod sit verum, de qua n: 1551. 2954. 5658, hic autem scientificum verum et aptabile, nam dicitur de argento in terra Aegypti et in terra Canaan, ut mox sequitur; inde est, quod per collegit Joseph omne argentum, significetur quod Coeleste Internum in unum contulerit omne scientificum verum et aptabile. Scientificum dicitur verum et aptabile, quod non fallaciae obtenebrant, quae, quamdiu discuti nequeunt, scientificum inaptabile reddunt; et quoque scientificum, quod non perversum factum per applicationes ad falsa et ad mala, ab aliis aut a semet, nam haec semel alicui scientifico impressa manent; scientificum itaque quod illis vitiis non laborat, est scientificum verum et aptabile.

6113. Inventum in terra Aegypti et in terra Canaan, quod significet quod in naturali et in Ecclesia, constat ex significatione terrae Aegypti, quod sit naturale ubi scientifica, de qua supra n: 6111; et a significatione terrae Canaanis, quod sit Ecclesia, de qua etiam supra n: 6067. Per Ecclesiam hic intelligitur id quod est Ecclesiae apud hominem, homo est Ecclesia cum in bono et vero, et coetus talium hominum faciunt Ecclesiam in communi.

6114. In annona quam illi ementes, quod significet quod illo sustentarentur, constat ex significatione annonae, quod sit verum Ecclesiae, de qua n: 5402; et a significatione emere, quod sit appropriare, de qua n: 4397. 5374. 5397. 5406. 5410. 5426, inde est sustentari, nam agitur de cibo spirituali, qui per

annonam significatur, qui cibus cum appropriatus vitam spiritualem sustentat.

6115. Et venire fecit Joseph argentum domum Pharaonis, quod significet quod illud omne referretur ad commune in naturali, constat a significatione venire facere, quod sit referre ad, ac introducere; a significatione argenti, quod sit scientificum verum et aptabile, de qua n: 6112, et ex repraesentatione Pharaonis, quod sit naturale in communi, de qua n: 5160. [24] 5799. 6015, inde domus Pharaonis est commune in naturali, quia est omne ibi in complexu. De his, quod scientifica vera et aptabilia referantur ad commune, sciendum, quod omnia scientifica, ut et vera, quaecunque sunt, ut sint aliquid, referenda sint ad commune, ac ponenda et continenda in communi, et sub communi, nisi ita, dissipantur illico; quippe, ut scientifica et vera sint aliquid, inducenda est illis forma, in qua se mutuo spectabunt, quod non fieri potest, nisi consocientur sub communi; quare commune est quod continet illa in forma, et facit ut unumquodlibet inibi habeat suum quale: ipsum commune etiam referendum est una cum communibus aliis sub communioribus, [25] et communiora iterum sub communissimum, alioquin etiam communia, ut et communiora, dissiparentur: Communissimum Universale, ex quo omnia continentur, est Ipse Dominus, et quod continet est Divinum Verum procedens ab Ipso; communiora sunt societates communes in mundo spirituali, in quas influit Divinum Verum, et illas in genere inter se distinguit; communia sunt societates minus communes sub unoquovis communiori: societates communiores sunt, quibus correspondent membra, organa, et viscera, in homine, quae per mirabilem connexum in tali forma sunt, ut se mutuo spectent, ac ita se mutuo contineant, et quoque se sistant ut unum. In homine communissimum universale, quod continet singula, est Anima, ita quoque est Divinum Verum procedens a Domino, nam hoc continue influit, et facit ut anima talis sit. Divinum Verum procedens a Domino est quod vocatur Verbum, per quod omnia creata sunt, Joh: I: 1. 2. 3, seu per quod omnia exstiterant, proinde per quod omnia subsistunt. Quod omnia in universo mundo naturali sub communi sint, et singula sub suo, et quod aliter subsistere nequeant, reperiet manifeste is qui velit ad illa in natura attendere.

6116. Et consumtum argentum e terra Aegypti, et e terra Canaan, quod significet quod scientificum verum et aptabile non magis conspicuum esset in naturali et intra Ecclesiam ob desolationem, constat ex significatione consumtum esse, quod sit non magis conspicuum esse; ex significatione argenti, quod sit scientificum verum et aptabile, de qua supra n: 6112; a significatione terrae Aegypti, quod sit naturale ubi scientifica, de qua supra n: 6111; et ex significatione terrae Canaanis, quod sit Ecclesia, de qua etiam supra n: 6067; quod ob desolationem, patet ab illis quae praecedunt, videatur n: 6110.

6117. Et venerunt omnis Aegyptus ad Josephum, quod significet applicationem ad Internum, constat a significatione venire ad illum, quod sit applicari; ex significatione Aegypti, quod sit scientificum, de qua prius; et ex repraesentatione Josephi, quod sit Internum, de qua etiam prius. Quod omne scientificum in naturali sub auspicio Interni esset, significatur per quod Josephus esset dominans super totam terram Aegypti; at conjunctio verorum Ecclesiae cum scientificis in naturali, est quae nunc in sensu interno describitur.

6118. Dicendo da nobis panem, quod significet [supplicationem] de sustentatione vitae spiritualis, constat a significatione dare, cum praedicatur de pane, quod sit sustentare; et ex significatione panis, quod sit vita spiritualis; per panem enim in specie significatur bonum amoris et charitatis, at in genere significatur vita spiritualis, nam tunc per panem intelligitur omnis cibus, ut n: 2165, ostensum est; et cum intelligitur omnis cibus in genere, est vita spiritualis, nam cibus in genere est in spirituali sensu omne bonum amoris, et quoque omne verum fidei, haec duo sunt quae faciunt vitam spiritualem.

6119. Et cur moriemur juxta te quia deficit argentum, quod significet quod alioquin ob defectum veri mors spiritualis, constat ex significatione mori, quod sit mors spiritualis, de qua sequitur; et ex significatione deficere argentum, quod sit defectus veri, quod argentum sit scientificum verum et aptabile, videatur n: 6112. Cum hoc, quod mors spiritualis sit, cum defectus veri est, ita se habet; vita spiritualis consistit in exercitiis secundum vera, consequenter in usibus; nam qui in vita spirituali sunt, appetunt et desiderant vera ob finem vitae, hoc

est, ut vivant secundum illa, ita ob finem usuum; quantum itaque haurire possunt vera, secundum quae usus fient, tantum in vita spirituali sunt, quia tantum in luce intelligentiae et sapientiae: cum itaque deficiunt vera, quod fit cum status umbrae venit, qui per vesperam in Verbo significatur, n: 6110, tunc laborat vita spiritualis, obveniunt enim talia quae sunt umbrae, hoc est, quae sunt mortis spiritualis, nam non tunc tenentur in luce, ut prius, sed remittuntur quoad partem aliquotam in suum proprium, inde obvenit ex umbra imago mortis spiritualis, hoc est, damnationis. Quod per mortem significetur mors spiritualis seu damnatio, a perpluribus locis in Verbo constat, ex quibus solum haec licet afferre; apud Esaiam „Judicabit in justitia pauperes, et corripiet cum rectitudine miseros terrae: contra percutiet terram virga oris sui, et spiritu labiorum suorum *mori faciet impium*" XI: 4, ibi de Domino; virga oris et spiritus labiorum pro Divino Vero, ex quo judicium; mori pro damnari. Apud Eundem „*Absorbebit Mortem in aeternum*, et absterget Dominus Jehovih lachrymam desuper omnibus faciebus" XXV: 8. Apud Eundem „*Mortui non vivent*, Rephaim non resurgent, eo quod visitasti, *exstinxisti eos*" XXVI: 14. Apud Eundem „*Vivent mortui tui*, cadaver meum, resurgent" XXVI: 19. Apud Eundem „Dixistis, excidimus *foedus cum Morte*, et cum inferno fecimus visionem: abolebitur *foedus vestrum cum Morte*, et visio vestra cum inferno non consistet" XXVIII: 15. 18. [26] Apud Jeremiam „Exspectatis lucem, sed ponet illam in *umbram mortis*, ponet in caliginem" XIII: 16. Apud Ezechielem „Prophanastis Me apud populum meum pro pugillis hordeorum, et pro frustis panis, ad *occidendum animas quae non mori debent*, et ad vivificandum animas quae non vivere debent" XIII: 19. 22. Apud Hoscheam „E manu inferni redimam eos, *e Morte liberabo eos*: ero pestes tuae, *Mors*, ero exitium tuum, inferne" XIII: 14. Apud Davidem „Extollis me *e portis mortis*" Psalm: IX: 14. Apud Eundem „Illumina oculos meos, *ne forte dormiam mortem*" Psalm: XIII: 4. [27] Apud Eundem „Circumdederunt me *funes mortis*, et funes inferni" Psalm: XVIII: 5. 6. Apud Eundem „Sicut pecus in inferno ponentur, *Mors pascet eos*" Psalm: XLIX: 15. Apud Johannem „Habeo claves inferni et *mortis*"

Apoc: I: 18. Apud Eundem „Qui vicerit, non damnum patietur *in morte altera*" Apoc: II: 11. Apud Eundem „Novi opera tua, quod nomen habeas quod vivas, *sed mortuus es*: esto vigilans, et stabili reliqua, *quae moribunda sunt*" Apoc: III: 1. 2. Apud Matthaeum „Populus sedens in tenebris, vidit lumen magnum; *et sedentibus in regione et umbra mortis*, lux exorta illis est" IV: 16. Apud Johannem „Qui verbum meum audit, et credit Ei Qui misit Me, habebit vitam aeternam, et in judicium non veniet, sed *transcendit a Morte ad vitam*" V: 24. Apud Eundem „Ego abeo et quaeretis Me, sed *in peccato vestro moriemini;* dixi vobis quod *morituri sitis in peccatis vestris:* nisi enim credideritis, quod Ego sim, *moriemini in peccatis vestris:* si quis verbum meum servaverit, *mortem non videbit in aeternum*" VIII: 21. 24. 51. 52. [28] Quia Mors significabat damnationem, idcirco illis qui ab Ecclesia repraesentativa erant, vetitum fuit ne tangerent mortuos, et si tangerent quod immundi essent, ac mundarentur, Ezech: XLIV: 25. Levit: XV: 31. Cap: XXI: 2. 3. Cap: XXII: 8. [29] Num: VI: 6 ad 12. Cap: XIX: 11 ad f.

6120. Et dixit Josephus, quod significet Internum a quo responsum, constat a repraesentatione Josephi, quod sit Internum, de qua prius; quod sit responsum, patet.

6121. [30] Date pecora vestra, et dabo vobis pro pecoribus vestris, quod significet quod offerrent bona veri, et sustentarentur, constat ex significatione pecorum, quod sint bona veri, de qua n: 6016. 6045; et ex significatione dare pro illis, nempe panem, quod sit sustentatio vitae spiritualis, de qua supra n: 6118.

6122. Si defecit argentum, quod significet si non amplius illis verum conspicuum, constat ex significatione deficere argentum, quod sit defectus veri, ita quod verum non amplius conspicuum, de qua supra n: 6116. 6119. Verum non conspicuum dicitur, quia verum in statu desolationis apparet sicut aufugerit; adest tamen, nam omne verum et bonum, quae a Domino usquam dantur homini, spiritui et angelo, manent, et nihil de illis aufertur, sed in statu desolationis obscurantur a proprio, ita ut non appareant: at cum status lucis redit, sistuntur praesen-

tia et conspicua; inde patet quid per verum non conspicuum intelligitur.

6123. Et venire fecerunt pecora sua ad Josephum, quod significet bona veri quod offerrentur, constat ex significatione venire facere, quod sit offerri; et ex significatione pecorum, quod sint bona veri, de qua n: 6016. 6045.

6124. Et dedit illis Joseph panem, quod significet sustentationem quoad vitam spiritualem, constat ex significatione dare panem, quod sit sustentatio vitae spiritualis, de qua supra n: 6118.

6125. Pro equis, quod significet scientifica ex intellectuali, constat ex significatione equorum, quod sint intellectualia, de qua n: 2760. 2761. 2762. 3217. 5321; et quia praedicantur de Aegypto, per quam significantur scientifica, sunt hic equi scientifica ex intellectuali. Quid scientifica ex intellectuali, dicendum; est homini Intellectuale, et est illi voluntarium, et haec non solum in Interno ejus homine, sed etiam in Externo; Intellectuale apud hominem augetur et crescit ab infantia ad virilem ejus aetatem, et consistit in intuitione rerum ex talibus quae sunt experientiae et scientiae, tum in [31] intuitione causarum ab effectibus, ut et Consequentium ex nexu causarum; ita consistit Intellectuale in comprehensione et perceptione talium quae sunt vitae civilis et moralis: existit ex influxu lucis e coelo, quapropter unusquisque homo quoad Intellectuale potest perfici; Intellectuale unicuique secundum applicationem, secundum vitam, et secundum indolem, datur, nec deficit ulli, si modo sanae mentis sit; et datur homini ob finem, ut possit in libero et electione esse, hoc est, in libero eligendi [32] bonum aut malum; nisi Intellectuale ei sit, quale descriptum, ex semet non potest id facere, ita nec posset ei aliquid appropriari. Ulterius sciendum, quod Intellectuale hominis sit quod recipit spirituale, ita ut sit recipiens veri et boni spiritualis; nihil enim boni, hoc est, charitatis, et nihil veri, hoc est, fidei, potest insinuari alicui, qui non Intellectuale habet, sed insinuantur secundum ejus Intellectuale; quapropter etiam homo non regeneratur a Domino, priusquam in adulta aetate cum ei Intellectuale, prius cadit bonum amoris et verum fidei sicut semen in humum prorsus sterilem; cumque regeneratus est homo, tunc Intellectuale

ejus praestat illum usum, quod videat et percipiat quid bonum et inde quid verum, transfert enim Intellectuale illa quae sunt lucis coeli in illa quae sunt luminis naturae, unde illa in his apparent sicut affectiones interiores hominis in facie non simulata: et quia Intellectuale illum usum praestat, ideo in Verbo multis in locis ubi de spirituali Ecclesiae, etiam de Intellectuali ejus, agitur; de qua re, ex Divina Domini Misericordia, alibi. Ex his nunc constare potest, quid per scientifica ex Intellectuali intelligitur, quod nempe scientifica quae confirmant illa quae homo intellectualiter capit et percipit, haec sive mala sint sive bona; haec scientifica sunt, quae per equos ex Aegypto in Verbo significantur; ut apud Esaiam „Vae descendentibus in Aegyptum pro auxilio, et *super equis innituntur*, confiduntque super curru, quod multus, *et super equitibus* quod validi sint valde, et non respiciunt ad Sanctum Israëlis, et Jehovam non quaerunt; nam Aegyptus homo non Deus, et *Equi ejus* caro non spiritus" XXXI: 1. 3; equi ex Aegypto pro scientificis ex intellectuali perverso. Apud Ezechielem „Rebellavit contra eum, mittendo legatos suos in Aegyptum, *ut daret illi Equos*, et populum multum; num prosperabitur, num eripietur faciens hoc" XVII: 15; equi ex Aegypto etiam pro scientificis ex Intellectuali perverso, quae consuluntur in rebus fidei, et non creditur Verbo, hoc est, Domino, nisi ex illis; ita nunquam creditur, nam in Intellectuali perverso regnat negativum. Quod talia scientifica destructa sint, repraesentatur per quod Equi et Currus Pharaonis submersi sint in mari Suph; et quia illa per Equos, et falsa doctrinalia per Currus significantur, ideo toties ibi Equi et Currus nominantur, videatur Exod: XIV: 17. 18. 23. 26. 28; et inde in Cantico Mosis et Mirjamis „Ingressus est *Equus Pharaonis*, tum Currus ejus, tum *Equites ejus* in mare; sed redire fecit Jehovah super eos aquas maris. Cantate Jehovae, quia exaltando exaltavit Se, *Equum* et *Equitem ejus* projecit in mare" Exod: XV: 19. 21. Similia scientifica etiam significantur per illa quae praescripta sunt Regi super Israëlem, apud Mosen „Si Regem cupiant, e medio fratrum ponetur super eos Rex; *modo non multiplicet sibi Equos*, nec reducat populum in Aegyptum, *ut multiplicet equos*" Deut: XVII: 15. 16, Rex repraesentabat Dominum quoad Divinum Verum, n: 1672. 1728.

2015. 2069. 3009. 3670. 4575. 4581. 4789. 4966. 5044. 6068, ita quoad Intelligentiam, haec enim, cum genuina, est ex Divino Vero; quod Intelligentia per Verbum, quod est Divinum Verum, comparanda sit, non autem per scientifica ex proprio Intellectuali, significatur per quod Rex non multiplicaret Equos, et non reduceret populum in Aegyptum ut multiplicet Equos.

6126. Et pro pecore gregis, et pro pecore armenti, quod significet bona interiora et exteriora veri, constat ex significatione gregis, quod sint bona interiora, et ex significatione armenti, quod sint bona exteriora, de quibus n: 5913; et quia sunt bona veri, quae significantur, dicitur pecus gregis et pecus armenti, pecus est bonum veri, n: 6016. 6045. 6049.

6127. Et pro asinis, quod significet servitia, constat ex significatione asinorum, quod sint servitia, de qua n: 5958. 5959.

6128. Et providit illos pane pro pecore eorum, quod significet sustentationem per influxum boni ab Interno, constat a significatione providere pane, seu dare illis panem, quod sit sustentatio vitae spiritualis, de qua supra n: 6118; ex significatione Pecoris, quod sit bonum veri, de qua mox supra n: 6126; et a repraesentatione Josephi, qui providit illos, quod sit Internum, de qua prius; quod per influxum boni ab Interno, sequitur, quia omnis sustentatio vitae spiritualis in naturali, fit per influxum ab Interno, hoc est, per Internum a Domino. Quia tam saepe nominatur Influxus, et forte pauci sciunt, quid per Influxum intelligitur, quapropter dicendum: quid Influxus, patere potest a comparatione talium in natura quae influunt, sicut ex Influxu caloris a sole in omnia telluris, unde vita vegetativa, et ab Influxu lucis in eadem, unde adjutorium vitae vegetativae, et praeterea inde colores et pulchritudines; similiter ab Influxu caloris in Corporis nostri ambitum, tum lucis in oculum: pariter ab Influxu soni in aurem, et sic porro: inde comprehendi potest, quid Influxus vitae a Domino, Qui est Sol coeli, a Quo Calor qui est Amor, et Lux spiritualis quae est fides; ipse Influxus etiam manifeste sentitur; Calor enim coelestis, qui est Amor, facit calorem vitalem qui est in homine, et Lux coele-

stis, quae est fides, facit lucem intellectualem quae in homine; sed variantur secundum receptiones.

6129. In anno hoc, quod significet illius status periodum, constat ex significatione Anni, quod sit integra periodus a principio ad finem, de qua n: 2906.

6130. Et finitus annus hic, quod significet desolationem post hujus status periodum, constat ex significatione finitus status hic, quod sit post hujus status periodum, quod annus sit periodus integri status, videatur mox supra n: 6129: [33] quod desolatio post illam periodum, patet a nunc sequentibus.

6131. Et venerunt ad illum in anno altero, quod significet principium status sequentis, constat ex illis quae praecedunt, ita absque ulteriore explicatione.

6132. Et dixerunt ei, non celabimus a domino, quod significet quod notum sit Interno, constat a significatione dicere, quod sit perceptio, de qua supra n: 6063; ex repraesentatione Josephi, qui hic est dominus, quod sit Internum, de qua prius; et a significatione non celare ei, quod sit notum esse; quod non celare, in sensu interno sit notum esse, est quia omne quod existit et fit in Naturali, hoc notum est Interno, quia naturale inde habet omne suum, quapropter illi nihil celari potest; sed usque ita dicitur in sensu externo, imprimis historico; sicut etiam cum Dominus loquitur ad hominem, primum interrogat illum de re praesente, tametsi illam notissimam sibi habet, ut angelus Jehovae ad Hagarem, Genes: Cap: XVI: 7. 8; ad Abrahamum, Genes: Cap: XVIII: 9; ad Mosen, Exod: IV: 2; Externo etiam nec aliter satisfit, nisi enim edicat, non credit sciri.

6133. Siquidem consumtum argentum, quod significet verum non conspicuum propter desolationem, constat ab illis supra n: 6116, ubi similia verba.

6134. Et pecus bestiae ad dominum, quod significet bonum veri similiter, constat ex significatione pecoris bestiae, seu pecoris gregis et armenti, quod sit bonum veri interius et exterius, de qua supra n: 6126; quod hoc similiter nec conspicuum magis propter desolationem, patet ex illis, quae mox supra n: 6133, de argento.

6135. Non relictum coram domino, praeter quam corpus nostrum et humus nostra, quod significet quod receptacula boni

et veri prorsus desolata sint, constat a significatione corporis, quod sit receptaculum boni, de qua sequitur; et a significatione humi, quod sit receptaculum veri; quod humus sit receptaculum veri, est quia recipit semina, et per semina quae inseruntur, significantur in specie illa quae sunt fidei ex charitate, ita quae sunt veri ex bono, n: 1025. 1447. 1610. 1940. 2848. 3038. 3310. 3373, inde est humus receptaculum veri, videantur etiam quae de humo prius n: 566. 1068. 3671, dicta et ostensa sunt; quod receptacula illa desolata sint, significatur per quod non relictum coram Domino praeterquam: corpus in genuino sensu significat bonum quod est amoris, et humus verum quod est fidei; cum vera et bona veri, quae per argentum et pecora significantur, non magis conspicua sunt ob desolationem, tunc per corpus significatur modo receptaculum boni et per humum receptaculum veri. Quod Corpus in genuino sensu significet bonum, quod est amoris, est inde, quia corpus seu totus homo, qui per corpus intelligitur, est receptaculum vitae a Domino, ita receptaculum boni, nam bonum amoris facit ipsam vitam in homine; calor enim vitalis, qui est amor, est ipse calor vitalis, et nisi is calor sit in homine, est homo mortuum quid; inde nunc est, quod per corpus in sensu interno intelligatur bonum amoris: et licet apud hominem non est amor coelestis, sed amor infernalis, usque est intimum vitae ejus ab amore coelesti, hic enim amor continue influit a Domino, et facit apud illum calorem vitalem in suo principio, at in progressu pervertitur ab homine, inde amor infernalis, a quo immundus calor. Quod Corpus in genuino sensu sit bonum amoris, manifeste constare potuit ab Angelis, ab his, cum praesentes sistuntur, exundat amor adeo ut credas illos non aliud esse quam amor, et hoc ex toto corpore eorum, etiam corpus apparet splendidum et lucidum ex luce quae inde, bonum enim amoris est instar flammae, quae a se emittit lucem quae est verum fidei inde: cum itaque Angeli in Coelo tales sunt, quid non Ipse Dominus, a Quo omne amoris apud angelos est, et Cujus Divinus Amor apparet ut Sol, ex quo universum coelum suam lucem habet, et omnes qui ibi suum coelestem calorem, hoc est, amorem, ita vitam; Divinum Humanum Domini est quod ita apparet, et ex quo omnia illa; inde constare potest, quid per Corpus

Domini intelligitur, quod nempe Divinus Amor, similiter ac per carnem Ipsius, de qua n: 3813; ipsum etiam Corpus Domini, cum glorificatum, hoc est, Divinum factum est, nec aliud est; quid aliud de Divino, quod Infinitum, sentiendum est. Ex his sciri potest, quod per Corpus in Sancta Coena, nihil aliud intellectum sit quam Divinus Domini Amor erga universum genus humanum, de quo ita apud Evangelistas „Jesus accipiens panem, et benedicens, fregit et dedit discipulis, et dixit, accipite, comedite, *hoc est Corpus meum*" Matth: XXVI: 26. Marc: XIV: 22. [34] Luc: XXII: 19; hoc est Corpus meum dixit de Pane, quia per Panem etiam significatur Divinus Amor, n: 276. 680. 2165. 2177. [35] 3464. 3478. 3735. 4735. 5915. Divinus Amor per Corpus Domini etiam significatur apud Johannem „Dixit Jesus, solvite Templum, in tribus tamen diebus exsuscitabo illud: sed Ipse loquebatur *de Templo Corporis sui*" II: 19. 21, Templum corporis est Divinum Verum ex Divino Bono, quod Templum sit Dominus quoad Divinum Verum, videatur n: 3720: et quia Corpus in supremo sensu est Divinum Bonum Divini Amoris Domini, inde omnes, qui in coelo sunt, dicuntur esse in Corpore Domini. Quod Corpus Domini sit Divinum Bonum, constat quoque ab his apud Danielem „Sustuli oculos meos, et vidi, ecce vir unus indutus linteis, cujus lumbi cincti auro Uphasi, et Corpus ejus sicut Tharschisch, et facies ejus sicut aspectus fulguris, et oculi ejus sicut faces ignis, et brachia ejus et pedes ejus sicut splendor aeris laevigati, et vox verborum ejus sicut vox multitudinis" X: 6; per aurum Uphasi quo cincti lumbi, per aspectum fulguris qui faciei, per faces ignis quae oculorum, et per splendorem aeris qui brachiorum et pedum, significantur bona amoris; quod aurum sit bonum amoris, videatur n: 113. 1551. 1552. 5658; quod etiam ignis, n: 934. 4906. 5215, et quia ignis, etiam fulgur; quod aes sit bonum amoris et charitatis in naturali, n: 425. 1551; per tharschisch, sicut apparuit reliquum corporis, nempe corpus medium inter caput et lumbos, significatur bonum charitatis et fidei, est enim tharschisch lapis pretiosus fulgurans.

6136. Quare moriemur ad oculos tuos etiam nos etiam humus nostra, quod significet si desolata fuerint, quod non amplius vita spiritualis sub Interno, constat ex significatione ad oculos

tuos, quod sit sub Interno, per Josephum enim, ad quem haec dicta, repraesentatur Internum; ex significatione etiam nos etiam humus nostra, quod sint receptacula boni et veri, ut mox supra n: 6135, ita receptacula vitae spiritualis; receptacula illa dicuntur mori, cum intus non aliquid vitae spiritualis; per mori enim significatur desolatio, hoc est, privatio boni et veri, quae, nempe bonum et verum, vitam spiritualem faciunt.

6137. Eme nos et humum nostram pro pane, quod significet appropriationem utriusque, ut sustententur bono, constat ex significatione emere, quod sit appropriatio, de qua n: 4397. 5374. 5397. 5406. 5410. 5426; ex significatione nos et humus nostra, quod sint receptacula boni et veri, ut supra n: 6135. 6136, ita utrumque; et ex significatione pro pane, quod sit sustentatio a bono: quod panis sit bonum tam amoris quam fidei, est quia per illum omnis cibus in genere etiam intelligitur, n: 6118.

6138. Et vivemus nos et humus nostra servi Pharaoni, quod significet submissionem totalem, constat ex significatione nos et humus nostra, quod sint receptacula boni et veri, ut mox supra n: 6135. 6136. 6137; et ex significatione servorum, quod sit esse absque libero ex proprio, de qua n: 5760. 5763, ita submissio totalis. Per receptacula intelliguntur ipsae formae hominis, nam homines non sunt nisi quam formae recipientes vitam a Domino, et illae formae sunt tales ex haereditate et actualitate, ut vitam spiritualem, quae a Domino, renuant; illa receptacula, cum in tantum abdicata sunt, ut eis amplius non liberum ex proprio, est submissio totalis; homo, qui regeneratur, usque tandem eo redigitur per iteratas desolationes et sustentationes, ut non amplius velit esse suus, sed Domini, et cum factus est Domini, venit in illum statum, ut cum relinquitur sibi, doleat et anxietate corripiatur, et cum eximitur ab hoc statu, redeat in suum faustum et beatum; in tali statu sunt omnes Angeli. Dominus, ut aliquem beatum et felicem reddat, vult submissionem totalem, hoc est, ut non sit quoad partem suus, et quoad partem Domini, sunt enim tunc bini Domini, quibus homo simul servire non potest, Matth: VI: 24; totalis submissio etiam intelligitur per Domini verba apud Matthaeum „Quisquis amat patrem et matrem supra Me, non est Me dignus; et quisquis amat filium et

filiam supra Me, non est dignus me" X: 37; per patrem et matrem significantur in genere illa quae sunt proprii hominis ex haereditate, et per filium et filiam illa quae sunt proprii hominis ex actualitate: etiam proprium hominis per animam significatur apud Johannem „Qui amat animam suam, perdet eam, sed qui odit animam in hoc mundo, in vitam aeternam servabit eam: si quis ministraverit Mihi, sequitor Me, tum ubi Ego ero, ibi etiam minister meus erit" XII: 25. 26; etiam totalis submissio significatur per Domini verba apud Matthaeum „Alius discipulus dixit, Domine, permitte mihi prius abire, et sepelire patrem meum: sed Jesus dixit illi, sequere Me, et sine mortuos sepelire mortuos suos" VIII: 21. 22. Quod submissio totalis erit, manifeste constat a primario Ecclesiae praecepto „Amabis Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et ex omnibus viribus tuis; hoc primarium est praeceptum" Marc: XII: 30; ita, quia amor in Dominum non ex homine venit, sed ex Ipso Domino, ideo totum cor, tota anima, tota mens, et omnes vires, quae sunt recipientia, erunt Domini, consequenter submissio totalis. Talis submissio est, quae significatur per vivemus nos et humus nostra servi Pharaoni, per Pharaonem enim repraesentatur naturale in communi, quod sub auspicio coelestis Interni, in supremo sensu sub auspicio Domini, Qui in eo sensu est Josephus.

6139. Et da semen, quod significet sic influxum boni charitatis et veri fidei, constat ex significatione seminis, quod sit bonum charitatis et verum fidei, de qua n: 1025. 1447. 1610. 1940. 2848. 3038. 3310. 3373; illa dare, quod sit influxus, patet, quia in hominem veniunt per influxum a Domino.

6140. Et vivamus et non moriamur, quod significet vitam spiritualem inde, et non amplius timorem damnationis, constat ex significatione vivere, quod sit vita spiritualis, de qua n: 5890; et ex significatione mori, quod sit damnatio, de qua n: 6119, hic timor damnationis, quia in statu desolationis, cum regeneratur homo, non est damnatio, sed timor damnationis.

6141. Et humus non vastata sit, quod significet quod mens scientificis Ecclesiae erit exculta, constat ex significatione humi, quod sit receptaculum veri, ut supra n: 6135. 6136. 6137; ipsum receptaculum est mens, hic mens naturalis, quia humus

Aegypti; et ex significatione vastari, quod sit absque vero conspicuo, hic absque scientificis Ecclesiae, nam per Aegyptios significantur scientifica Ecclesiae, n: 4749. 4964. 4966. 6004, quae etiam sunt vera naturalis. Quod terra Aegypti sit mens naturalis, ubi scientifica, videatur n: 5276. 5278. 5280. 5288. 5301, quare humus Aegypti significat mentem illam in specie; inde nunc per humum ne vastata sit, significatur mens, quod scientificis exculta erit.

6142. Et emit Joseph omnem humum Aegypti Pharaoni, quod significet quod appropriaverit sibi totam mentem naturalem ubi scientifica, et posuerit sub communi auspicio, constat a repraesentatione Josephi, quod sit Internum, de qua saepius; ex significatione emere, quod sit appropriare sibi, de qua n: 4397. 5374. 5397. 5406. 5410. 5426; ex significatione humi Aegypti, quod sit mens naturalis ubi scientifica, de qua mox supra n: 6141; et ex repraesentatione Pharaonis, quod sit naturale in communi, de qua n: 5160. [24] 5799. 6015; ita quod illa Pharaoni, est ponere sub auspicio communi in naturali.

6143. Et vendiderunt Aegyptii quisque agrum suum, quod significet abdicationem et subjectionem omnium quae inserviunt Ecclesiae, constat ex significatione vendere, quod sit abalienare ut non amplius sit ejus, de qua n: 4098. 4752. 4758. 5886, ita abdicare et subjicere; et ex significatione agri, quod sit doctrina quae Ecclesiae, et in communi sensu Ecclesia, de qua n: 368. 2971. 3310. 3766; inde patet, quod per vendiderunt Aegyptii quisque agrum suum, significetur abdicatio et subjectio omnium quae inserviunt Ecclesiae.

6144. Quia invaluit super illos fames, quod significet quia desolatio usque ad desperationem, constat ex significatione famis, quod sit desolatio quoad illa quae sunt Ecclesiae, de qua n: 5415. 5576; quae cum dicitur invalescere, est desperatio, ut n: 5279, nam ultimum desolationis est desperatio. Quod desperatio sit ultimum desolationis et tentationis, n: 5279. 5280, est ob plures causas, quarum has solum afferre licet; per desperationem effective et sensibiliter agnoscitur quod nihil veri et boni ab ipsis, et quod ex se damnati sint, sed quod a Domino liberentur a damnatione, et influat salus per verum et bonum: desperatio etiam est ob causam, ut faustum vitae, quod a Domi-

mo, sentiatur; nam cum ex statu illo veniunt, sunt sicut illi qui e carcere damnati mortis liberantur: etiam per desolationes et tentationes percipiuntur status contrarii vitae coelesti, inde sensus et perceptio fausti et felicis vitae coelestis inditur; aliunde enim sensus et perceptio fausti et felicis, quam ex relatione ad contraria, non venit, ut itaque plenae rationes habeantur, desolationes et tentationes ad summum, hoc est, ad desperationem, perducuntur.

6145. Et fuit terra Pharaoni, quod significet quod subjecta omnia naturali quod sub auspicio Interni, constat ex significatione fuit terra illi, quod sit appropriatio et subjectio omnium, quae per terram significantur; et ex repraesentatione Pharaonis, quod sit naturale in communi, de qua n: 5160. [24] 5799. 6015, ad quod scientifica, quae per Aegyptum significantur, collata sunt, n: 6115; quod sub auspicio Interni, est quia totum Naturale, tam in communi quam in parte; quod sub auspicio Interni sit, significatur per quod Joseph dominans fuerit super omnem terram Aegypti, et quoque quod praefectus super domum Pharaonis, Genes: XLI: 40. 41. 42. 43; et Cap: XLV: ubi haec „Dixit Joseph ad fratres suos, Deus posuit me ad patrem Pharaoni, et ad dominum omni domui suae, et dominor in omni terra Aegypti" Vers: 8; inde nunc est, quod de naturali dicatur, quod sub auspicio Interni.

6146. Et populum transtulit illum ad urbes, quod significet quod vera scientifica referrentur ad doctrinalia, constat a significatione populi, quod sint vera, de qua n: 1259. 1260. 3295. 3581, hic vera scientifica, quia praedicantur de populo Aegypti; et ex significatione urbium, quod sint doctrinalia, de qua n: 402. 2449. [39] 3216. 4492. 4493; inde nunc populum transferre ad urbes, est vera scientifica referre ad doctrinalia: haec sequuntur ab illis quae praecedunt, nempe ab illis, quod vera relata sint ad commune in naturali, n: 6115; doctrinalia enim sunt communia, ad quae referuntur vera; doctrina enim Ecclesiae partita est in sua capita, et quodlibet caput est commune Ecclesiae: inde etiam populus translatus est ad urbes a Josepho, ut per id repraesentaretur relatio verorum ad communia, ita ad doctrinalia.

6147. A fine termini Aegypti et ad finem ejus, quod signi-

ficet extensionem per totum Naturale ubi scientifica, constat ex significatione a fine termini ad finem ejus, quod sit extensio per totum; et ex significatione Aegypti, quod sit scientificum in naturali, de qua saepe prius, ac inde naturale ubi scientifica; nam naturale est quod continet, et scientifica quae continentur, inde significatur per Aegyptum tam continens quam contentum, hoc est, tam naturale quam scientificum; quare etiam per Pharaonem regem Aegypti, significatur Naturale in communi, n: 5160. [24] 5799; et quoque scientificum in communi, n: 6015; tum per terram Aegypti, mens naturalis, n: 5276. 5278. 5280. 5288. 5301.

6148. Solum humum sacerdotum non emit, quod significet quod Internum e naturali comparaverit sibi facultates recipiendi bonum, quia illae ab ipso, constat ex repraesentatione Josephi, de quo haec dicuntur, quod sit Internum, de qua prius; ex significatione humi, quod sit receptaculum veri, de qua supra n: 6135. 6136. 6137, hic facultas recipiendi bonum, facultas enim est receptibilitas, quae inerit, ut receptaculum sit receptaculum; facultas illa venit a bono, hoc est, per bonum a Domino; nisi enim a Domino influeret bonum amoris, nusquam alicui homini foret facultas recipiendi verum nec bonum; influxus boni amoris a Domino facit ut omnia intus in homine disponantur ad receptionem: quod facultas recipiendi bonum e naturali sit, significatur per quod humus in Aegypto esset, per Aegyptum enim significatur naturale, quoad scientifica, n: 6142; ex significatione Sacerdotum, quod sit bonum, de qua sequitur; et ex significatione non emere, quod sit non appropriare sibi facultates illas, sicut appropriavit sibi vera et veri bona cum receptaculis eorum, quod factum per desolationes et sustentationes, ex causa quia facultates illae ab ipso, hoc est, ab Interno, essent; inde est quod per solum humum sacerdotum non emit, significetur quod Internum e naturali comparaverit sibi facultates recipiendi bonum, quia illae ab ipso. Cum his ita se habet; facultates recipiendi verum et bonum, apud hominem sunt immediate a Domino, nec aliquid opis ad illas sibi comparandas ab homine venit; tenetur enim homo semper in facultate recipiendi bonum et verum, ex facultate illa est ei intellectus et voluntas; at quod non recipiat, est cum homo convertit se ad ma-

lum, tunc facultas quidem remanet, sed praecluditur ei aditus ad cogitativum et sensitivum, quapropter facultas videndi verum et sentiendi bonum, tantum perit, quantum homo convertit se ad malum, et in illo se confirmat vita et fide: quod homo ad facultatem recipiendi verum et bonum, nihil prorsus contribuat, notum est ex doctrinali in Ecclesia, quod nihil veri quod est fidei, et nihil boni quod est charitatis, veniat ab homine, sed a Domino; at homo facultatem illam apud se destruere potest: inde nunc constare potest, quomodo intelligendum, quod Internum e naturali comparaverit sibi facultates recipiendi bonum, quia illae ab ipso: quod e naturali dicatur, est quia influxus boni a Domino fit per Internum in Naturale a Domino, ibi cum comparata est facultas recipiendi, tunc fit influxus, nam tunc est receptio, videatur n: 5828. Quod per Sacerdotes significentur bona, sciendum est, quod bina sint quae procedunt a Domino, nempe Bonum et Verum; Divinum Bonum repraesentatum fuit per Sacerdotes, et Divinum Verum per Reges; inde est, quod per Sacerdotes significentur bona, et per Reges vera: de Sacerdotio et de Regio, quae praedicantur de Domino, videatur n: 1728. 2015 f. 3670: illa bina, nempe Sacerdotium et Regium, in Ecclesia Repraesentativa Antiqua, conjuncta fuerunt in una persona, ex causa, quia Bonum et Verum, quae procedunt a Domino, unita sunt; et quoque conjuncta in Coelo apud Angelos: persona, in qua illa bina in Antiqua Ecclesia conjuncta fuerunt, vocabatur Malkizedeck, seu Rex Justitiae; quod constare potest a Malkizedeko, qui venit ad Abrahamum, de quo ita „Malkizedech Rex Schalem eduxit panem et vinum, et ille Sacerdos Deo Altissimo: et benedixit Abrahamo" Genes: XIV: 18. 19; qui quod repraesentaverit Dominum quoad utrumque, patet ex eo, quod fuit Rex et simul Sacerdos, et quod licuisset ei benedicere Abrahamo, et offerre ei panem et vinum, quae etiam tunc temporis erant symbola boni amoris et veri fidei: quod repraesentaverit Dominum quoad utrumque, adhuc patet apud Davidem „Juravit Jehovah, et non poenitebit Ipsum; Tu Sacerdos in aeternum, juxta modum Malkizedechi" Psalm: CX: 4, [37] haec ibi de Domino dicta sunt; juxta modum Malkizedeki est quod et Rex et Sacerdos, hoc est, in supremo sensu quod ab Ipso procedat Divinum Bonum et Divinum Verum una. Quia Ecclesia

Repraesentativa etiam institueretur apud Jacobi posteros, sic quoque in una persona conjunctim repraesentaretur Divinum Bonum et Divinum Verum, quae procedunt unita a Domino; sed propter bella, et propter idololatriam illius populi, in principio divisa fuerunt, et qui regnabant super populum, vocabantur duces, et postea Judices; et qui Sancta obibant, dicebantur Sacerdotes, et fuerunt ex semine Aharonis, ac Levitae; at postea conjungebantur illa bina in una persona, ut in Eli et in Samuele: sed quia populus talis erat, ut apud illum non posset institui Ecclesia Repraesentativa, sed modo Ecclesiae Repraesentativum, propter idololatricum quod regnabat apud illum, ideo permissum erat ut separarentur, ac Dominus quoad Divinum Verum repraesentaretur per Reges, et quoad Divinum Bonum per Sacerdotes: quod hoc ex libito populi, non autem ex beneplacito Domini factum, constat ex Verbo Jehovae ad Samuelem „Obedi voci populi in omni quod dixerint ad te, quoniam non te repudiarunt, sed Me repudiarunt, ut non regnem super eos; et indicabis illis jus regis" I Sam: VIII: 7 ad fin: Cap: XII: 19. 20: quod bina illa non separanda essent, erat causa; quia Divinum Verum separatum a Divino Bono damnat unumquemvis; at Divinum verum unitum Divino Bono salvat; ex Vero enim Divino homo damnatus est ad infernum, sed a Divino Bono eximitur inde et elevatur in Coelum; salvatio est Misericordiae, ita a Divino Bono; damnatio autem est, cum homo renuit misericordiam, ac ita rejicit a se Divinum Bonum, inde relinquitur judicio ex Vero: quod Reges repraesentaverint Divinum Verum, videatur n: 1672. 1728. 2015. 2069. 3009. 3670. 4575. 4581. 4966. 5044. 5068. Quod Sacerdotes repraesentaverint Dominum quoad Divinum Bonum, ac inde per illos significetur Bonum, constare potest ab omnibus illis in sensu interno quae instituta sunt de Sacerdotio, cum Aharon electus, et dein Levitae; ut quod Summus Sacerdos solus intraret in Sanctum sanctorum, ac ibi ministraret; quod Sancta Jehovae pro Sacerdote essent, Levit: XXIII: 20. Cap: XXVII: 21: quod „in terra non haberent partem et haereditatem, sed quod Jehovah erit pars et haereditas eorum" Num: XVIII: 20. Deut: X: 9. Cap: XVIII: 1: quod Levitae dati sint Jehovae loco primogenitorum, et quod a Jehovah dati Aharoni, Num: III: 9. 12. 13. 40 ad f. Cap:

VIII: 16 ad 19: quod Sacerdos Maximus cum Levitis in medio castrorum essent, cum metabantur et cum proficiscebantur, Num: I: 50 ad 54. Cap: II: 17. Cap: III: 23 ad 38. Cap: IV: 1 ad f. quod nullus ex semine Aharonis, in quo aliqua macula, accederet ad offerenda holocausta et sacrificia, Levit: XXI: 17 ad 20: praeter plura, ut quae Levit: XXI: 9. 10. 11. 12. 13, et alibi: haec omnia repraesentabant in supremo sensu Divinum Bonum Domini, et inde in sensu respectivo Bonum quod amoris et charitatis: Vestes autem Aharonis, quae vestes sanctitatis vocatae sunt, repraesentabant Divinum Verum a Divino Bono, de quibus, ex Divina Domini Misericordia, in explicationibus super illa quae in Exodo. Quia Verum per Reges, ac Bonum per Sacerdotes, significantur, ideo Reges et Sacerdotes in Verbo pluries simul nominantur, ut apud Johannem „Jesus Christus fecit nos *Reges et Sacerdotes* Deo et Patri suo" Apoc: I: 6. Cap: V: 10; reges dicuntur facti ex vero quod fidei, et Sacerdotes ex bono quod charitatis, ita verum et bonum apud illos qui in Domino sunt, conjuncta sunt, ut sunt in coelo, ut supra dictum, hoc intelligitur per fieri reges et sacerdotes. Apud Jeremiam „Fiet in die illo, peribit cor *regis* et principum, et obstupescent *Sacerdotes*, et prophetae admirabuntur" IV: 9. Apud Eundem „Pudefacti sunt domus Israëlis, ipsi *reges eorum*, principes eorum, et *Sacerdotes eorum*, et prophetae eorum" II: 26. Apud Eundem „*Reges Jehudae*, principes, *Sacerdotes* et prophetae, et habitatores Hierosolymae" VIII: 1; in illis locis reges pro veris, principes pro primariis veris, n: 1486. 2089. 5044, sacerdotes pro bonis, et prophetae pro docentibus, n: 2534. Praeterea sciendum, quod Josephus humum sacerdotum non emerit, quod id fuerit repraesentativum, quod a Domino omnis facultas recipiendi verum et bonum, patet a simili lege de agris Levitarum, apud Mosen „*Ager suburbii urbium Levitarum non vendetur, quia possessio aeterna iis ille*" Levit: XXV: 34, per hoc intelligitur in sensu interno, quod nullus homo sibi aliquid vindicare debeat de bono Ecclesiae, quod est bonum amoris et charitatis, quia id a solo Domino.

6149. Quia pars statuta sacerdotibus a Pharaone, quod significet quod ideo id ordinatum a naturali, quod sub auspicio Interni, constat a significatione partis statutae, quod sit ordina-

tum; et a repraesentatione Pharaonis, quod sit Naturale in communi, de qua n: 5160. [24] 5799. 6015; et quia ordinatio illa in naturali ab Interno venit, ideo adjicitur, sub auspicio Interni, quod etiam repraesentatum est per quod Josephus esset dominus super totam Aegyptum, et quoque super domum Pharaonis, videatur n: 6145.

6150. Et comederunt partem statutam suam, quam dederat illis Pharao, quod significet quod bona non appropriaverint sibi plus, quam secundum ordinationem, constat ex significatione comedere, quod sit appropriare sibi, de qua n: 3168. 3513 f. 3596. 3832. 4745; et ex significatione partis statutae, quod sit ordinatum: ut mox supra n: 6149; ita per comedere partem statutam significatur, quod bona non appropriaverint sibi plus quam secundum ordinationem: quod a naturali, quod repraesentatur per Pharaonem, hoc est, in naturali sub auspicio Interni, videatur etiam mox supra n: 6149.

6151. Propterea non vendiderunt humum suam, quod significet quod idcirco non opus habuerint abdicare et submittere illa, constat a significatione vendere, quod sit abdicare, de qua supra n: 6143, ita submittere, nam quod abdicatur hoc alteri submittitur; et a significatione humi, nempe sacerdotum Aegypti, quod sit facultas recipiendi bonum in naturali, de qua etiam supra, n: 6148; quod *idcirco non opus haberent*, nèmpe abdicare et submittere illa, significatur per propterea non.

6152. Et dixit Joseph ad populum, quod significet influxum Interni in vera scientifica, constat a significatione dicere, quod sit perceptio, de qua n: 6063, et quia praedicatur de Interno, quod Josephus, est influxus, nam quod percipitur in Externo, influit ab Interno; a repraesentatione Josephi, quod sit Internum, ut saepe prius; et a significatione populi, quod sint vera scientifica, de qua n: 6146.

6153. Ecce emi vos hodie, et humum vestram Pharaoni, quod significet quod comparaverit sibi illa, et subjecerit communi in naturali, quod sub auspicio Interni, constat ex significatione emere, quod sit appropriare et comparare, de qua n: 4397. 5374. 5397. 5406. 5410. 5426; ex significatione humi, quod sint receptacula veri, de qua n: 6135. 6136. 6137; quod subjecerit illa communi in naturali, significatur per quod

emerit Pharaoni, per quem repraesentatur Naturale in communi, de qua n: 5160. [24] 5799. 6015; sub auspicio Interni dicitur, secundum illa quae supra, n: 6145, explicata sunt.

6154. En vobis semen, et seratis humum, quod significet bonum charitatis et verum fidei, quae implantanda, constat a significatione seminis, quod sit verum ex bono, seu fides ex charitate, ita utrumque, de qua n: 1025. 1447. 1610. 1940. 2848. 3038. 3310. 3373. 3671; a significatione serere, quod sit implantare; et a significatione humi, quod sint receptacula, de qua n: 6135. 6136. 6137; at cum implantatum est verum et bonum, humus non amplius significat receptaculum, sed id quod est Ecclesiae, sicut ager, n: 566.

6155. Et erit in proventibus, quod significet fructus inde, constat ex significatione proventuum, quod sint fructus; est enim messis, quae provenit ex agro, fructus ejus.

6156. Et dabitis quintam Pharaoni, quod significet reliquias quod illae ad commune quod sub auspicio Interni, constat ex significatione quinque et partis quintae, quod sint reliquiae, de qua n: 5291. 5894; et ex repraesentatione Pharaonis, quo sit commune in naturali, ut supra n: 6153; dicitur sub auspicio Interni, ex causa de qua supra n: 6145: quid Reliquiae, videatur n: 1050. 1738. 1906. 2284. 5135. 5897. 5898, quod nempe sint bona et vera a Domino in interiori homine recondita; haec remittuntur in exteriorem seu Naturalem hominem, cum is in statu boni est, sed illico cum is venit in statum mali, retrahuntur et reconduntur; quod retrahantur et recondantur, est causa, ne misceantur cum malis, et sic pereant: cum homo non regenerari potest, tunc reliquiae apud illum bene reservantur in interioribus; at cum homo regeneratur, tunc illae in tantum ab interioribus remittuntur in exteriora, quantum regeneratur, ex causa, quia per regenerationem interiora conjunguntur cum exterioribus, et unum agunt; et tunc primum remittuntur ad communia, dein successive ad particularia; inde, quia hic in sensu interno agitur de Regeneratione naturalis, sciri potest, quid intelligitur per quod Reliquiae illae ad commune in naturali.

6157. Et quatuor partes vobis, quod significet illa quae nondum reliquiae, constat ex significatione quatuor partium,

cum dicuntur de residuis a quinta parte, per quam significantur reliquiae, n: 6156, quod sint illa quae nondum reliquiae. Per quatuor significatur simile quod per duo, nempe quae paria sunt, et quae conjuncta, n: 1686, sicut sunt bonum et verum; haec cum nondum facta reliquiae, significantur hic per quatuor partes; bona enim et vera non fiunt reliquiae, priusquam appropriantur homini, et appropriantur homini tunc primum, cum recipiuntur ex affectione in libero.

6158. Ad semen agri, quod significet ad nutritionem mentis, constat ex significatione seminis, quod sit verum et bonum, ita fides et charitas, de qua supra n: 6154; et ex significatione agri, quod sit in communi sensu Ecclesia, de qua n: 2971. 3766, et in particulari Ecclesia apud hominem, ita homo in quo Ecclesia, hoc est qui recipit verum et bonum; is cum dicitur ager, est mens ejus quae intelligitur, nam homo est homo non ex forma externa, sed ex mente sua, hoc est, ex intellectu et voluntate, quae constituunt mentem, tum ex vero fidei et bono charitatis, quae constituunt mentem adhuc interiorem; haec, nempe mens, cum est in genuino sensu homo, nutritur et sustentatur a vero et bono; et quia verum et bonum per semen significantur, etiam per illud significatur nutritio; quod etiam patet ab illis quae mox sequuntur „Ad cibum vestrum, et illis in domibus vestris, et ad cibum infantibus vestris:" inde nunc est, quod semen agri sit nutritio mentis.

6159. Et ad cibum vestrum, et illis in domibus vestris, quod significet ut inde veri bonum in omnibus et singulis, constat ex significatione cibi, [38] quod sit veri bonum, de qua n: 5410. 5426. 5487. 5582. 5588. 5655, et ex significatione illorum qui in domibus, quod sint omnia et singula boni ex vero; ita ad cibum illis in domibus, est veri bonum in omnibus et singulis. Cum hoc, quod veri bonum sit in omnibus et singulis, ita se habet; homo, sicut regeneratur, ita bonum se insinuat in omnia et singula ejus, fit enim affectio boni universale regnans apud illum, et quod universaliter regnat, hoc regnat singulariter, hoc est, in omnibus et singulis: hoc constare potest ab affectione dominante apud unumquemvis, ea affectio, quaecunque sit, in singulis ejus voluntatis adest, etiam in singulis cogitationis; et quamvis non semper in cogitatione adesse apparet, usque tamen

est in illa; quod non appareat, est, quia illis momentis induitur affectionibus, quae per objecta insinuantur, quae affectiones prout exuuntur, ita se affectio dominans sistit conspicuam: hoc non melius constare potest, quam a spiritibus et angelis; spiritus qui mali, seu apud quos malum dominatur, in omnibus et singulis sunt mali; etiam cum verum loquuntur et bonum agunt, nam per haec non intendunt aliud quam decipere alios, ut credant esse bonos, et sic sub specie boni fallant; hoc cum fit, manifeste auditur solum ex sono loquelae eorum, tum percipitur ex sphaera eorum; Angeli in coelo, apud quos bonum dominatur, hoc est, universaliter regnat, in omnibus et singulis sunt boni, hoc est, apud illos bonum a Domino ex omnibus et singulis elucet, etiam si aliquid mali in externa forma faciunt, usque est finis seu intentio ut inde bonum eveniat. Ex his constare potest, quod, ubi bonum universaliter regnat, in omnibus et singulis regnet, similiter ubi malum; nam universale regnans existit tunc primum, cum omnia et singula talia sunt, et secundum horum quale et quantum est universale; nam quod dicitur universale, hoc est universale ex eo, quod singulariter sit in omnibus.

6160. Et ad cibum infantibus vestris, quod significet in illis quae sunt innocentiae, constat ex significatione cibi, quod sit veri bonum, ut mox supra n: 6159; [39] et ex significatione infantum, quod sit innocentia, de qua n: 430. 3183. 5608.

6161. Et dixerunt, vivificasti nos, quod significet vitam spiritualem non aliter nec aliunde, constat ex significatione vivificare, quod sit vita spiritualis, de qua n: 5890; quia de vivificatione seu regeneratione naturalis actum est in praecedentibus, et ibi omnis ejus processus descriptus, qui talis et non alius est, idcirco additur, quod non aliter nec aliunde.

6162. Inveniamus gratiam in oculis domini, quod significet voluntatem ut ita subjecta sint et humiliationem, constare potest ex eo, quod verba illa, postquam omnia quae illis abdicata sunt, sint verba agnitionis, ita quoque voluntatis quod ita subjecta sint, et sic quod sint verba humiliationis: quod haec insint verbis illis, constat ex statu, in quo tunc fuerunt, qui status etiam ex antecedentium et consequentium serie patet.

6163. Et erimus servi Pharaoni, quod significet quod pro-

prium suum abdicent, et submittant naturali quod sub auspicio Interni, constat ex significatione servorum, quod sit esse absque libero ex proprio, de qua n: 5760. 5763, ita abdicari proprio; et ex significatione esse Pharaoni, quod sit submissum esse Naturali quod sub auspicio Interni, de qua n: 6145.

6164. Et posuit Joseph ad statutum, quod significet conclusum ex consensu, constat ex significatione ponere in statutum, quod sit concludere ex consensu, nam quod ponitur in statutum, hoc fit ex consensu ab utraque parte, et refertur inter illa quae ex pacto et sic debito irrogata sunt.

6165. Usque ad diem hunc, quod significet in aeternum, constat ex significatione usque ad diem hunc, quod sit in aeternum, de qua n: 2838. 4304.

6166. Super humum Aegypti Pharaoni ad quintam, quod significet reliquias, ut prius, n: 6156.

6167. Solum humus sacerdotum tantum illorum non fuit Pharaoni, quod significet facultates recipiendi bonum, quod illae immediate ab Interno, ut quoque prius, n: 6148. Haec quae nunc de Conjunctione Naturalis cum Interno, ac ita de regeneratione ejus per media quae sunt iteratae desolationes et vivificationes, dicta sunt, non possunt non obvenire homini Ecclesiae hodie, quam sicut non prius audita; sed usque ita se res habet, et est inter res notiores spiritibus etiam simplicibus in altera vita; quapropter cum legitur Verbum ab homine, illi qui in altera vita sunt, quia in sensu interno Verbi sunt, non modo percipiunt omnia, sed insuper innumerabilia arcana inibi vident, et talia, quae non exprimi possunt ulla loquela humana; haec quae allata modo pauca sunt respective.

6168. Vers: 27. 28. 29. 30. 31. *Et habitavit Israël in terra Aegypti, in terra Goschen, et possessionem habuerunt in illa; et fructificarunt se, et multiplicati valde. Et vixit Jacob in terra Aegypti septendecim annis; et fuit dies Jacobi, anni vitae ejus, septem anni, et quadraginta et centum anni. Et appropinquarunt dies Israëlis ad moriendum, et vocavit filium suum Josephum, et dixit ei, si quaeso inveni gratiam in oculis tuis, pone quaeso manum tuam sub femore meo, et facias mecum misericordiam et veritatem, ne quaeso sepelias me in Aegypto. Et cubem cum patribus meis, et feras me ex*

Aegypto, et sepelias me in sepulchro illorum; et dixit, ego faciam secundum verbum tuum. Et dixit, jura mihi, et juravit ei; et incurvavit se Israël super caput lecti. Et habitavit Israël in terra Aegypti, significat quod bonum spirituale viveret inter scientifica quae Ecclesiae: in terra Goschen, significat in medio eorum: et possessionem habuerunt in illa, significat datum et ordinatum ita ab Interno: et fructificarunt se, et multiplicati valde, significat inde bona charitatis et vera fidei: et vixit Jacob in terra Aegypti, significat verum naturalis quod in scientificis: septendecim annis, significat statum ibi: et fuit dies Jacobi anni vitae illius, septem anni, et quadraginta et centum anni, significat statum communem, et quale ejus: et appropinquarunt dies Israëlis ad moriendum, significat statum mox ante regenerationem: et vocavit filium suum Josephum, significat praesentiam Interni: et dixit ei, si quaeso inveni gratiam in oculis tuis, significat desiderium: pone quaeso manum tuam sub femore meo, significat obstrictionem sanctam: et facias mecum misericordiam et veritatem, significat humiliationem: ne quaeso sepelias me in Aegypto, significat regenerationem non in scientificis: et cubem cum patribus meis, significat vitam qualis Antiquis: et feras me ex Aegypto, significat ut sit elevatio ex scientificis: et sepelias me in sepulchro illorum, significat talem regenerationem: et dixit, ego faciam secundum verbum tuum, significat quod ita fiet ex Providentia a Divino: et dixit, jura mihi, significat ut irrevocabile sit: et juravit ei, significat quod irrevocabile: et incurvavit se Israël super caput lecti, significat quod se verteret ad illa quae sunt interioris naturalis.

6169. Et habitavit Israël in terra Aegypti, quod significet quod bonum spirituale viveret inter scientifica quae Ecclesiae, constat ex significatione habitare, quod sit vivere, de qua n: 1293. 3384. 3613. 4451; ex repraesentatione Israëlis, quod sit bonum spirituale, de qua n: 5801. 5803. 5806. 5812. 5817. 5819. 5826. 5833; et ex significatione terrae Aegypti, quod sit mens naturalis ubi scientifica, de qua n: 5276. 5278. 5280. 5288. 5301; quod Aegyptus significet scientifica Ecclesiae, videatur n: 4749. 4964. 4966. 6004.

6170. In terra Goschen, quod significet in medio eorum, constat a significatione terrae Goschen, quod sit medium seu in-

timum in naturali, de qua n: 5910. 6028. 6031. 6068; ita in medio scientificorum, quia Goschen erat optimus terrae tractus in Aegypto.

6171. Et possessionem habuerunt in illa, quod significet datum et ordinatum ita ab Interno, constat a significatione possessionis, quod sit statio vitae spiritualis, de qua n: 6103; et quia Josephus illis possessionem illam dedit, Vers: 11, significatur quod statio illa data et ordinata sit ab Interno: quod hoc significetur, sequitur ex serie.

6172. Et fructificarunt se, et multiplicati valde, quod significet inde bona charitatis et vera fidei, constat ex significatione fructificare se, quod sit producere bona quae charitais, et ex significatione multiplicare, quod sit producere vera quae fidei, de quibus n: 43. 55. 913. 983. 2846. 2847; fructificari enim dicitur a fructibus, qui in sensu interno significant charitatis opera, et multiplicari a multitudine, quae in sensu interno praedicatur de fidei veris; multum enim in Verbo dicitur de veris, magnum autem de bonis.

6173. Et vixit Jacob in terra Aegypti, quod significet verum naturalis quod in scientificis, constat ex significatione vivere, quod sit vita spiritualis, de qua n: 5890; ex repraesentatione Jacobi, quod sit verum naturalis, de qua n: 3305. 3509. 3525. 3546. [13] 3599. 3775. 4009. 4234. 4520. 4538; et ex significatione terrae Aegypti, quod sint scientifica Ecclesiae, ut mox supra n: 6169.

6174. Septendecim annis, quod significet statum ibi, constat a significatione septendecim, quod sit a principio ad finem, seu a principio ad novum, de qua n: 755. 4670, f; [40] et a significatione annorum, quod sint status, de qua n: 487. 488. 493. 893; ita hic per septendecim annos, quibus vixit Jacob in Aegypto, significatur principium status vitae spiritualis in naturali inter scientifica usque ad finem ejus; quod omnes numeri in Verbo significativi rerum sint, videatur n: 575. 647. 648. 755. 813. 1963. 1988. 2075. 2252. 3252. 4264. 4495. 4670. 5265.

6175. Et fuit dies Jacobi anni vitae illius septem anni et quadraginta et centum anni, quod significet statum communem et quale ejus, constare potest si evolvantur numeri septem, qua-

draginta, et centum; quid septem, videatur n: 395. 433. 716. 728. 881. 5265. 5268; quid quadraginta, n: 730. [4x] 862. 2272. 2273; et quid centum, n: 1988. 2636. 4400; at numeri ita compositi non facile explicari possunt, nam plura continent, quam ut in summam redigi queant, et ad captum exprimi; hi numeri in communi integrum statum rei per Jacobum repraesentatae, et ejus quale continent; haec Angeli vident in uno complexu, solum a numero illo; nam omnes numeri in Verbo cadunt apud illos in ideas rerum; quod etiam patuit ex eo, quod aliquoties numeri in longa serie mihi visi sint, et tunc ab Angelis dictum, quod involvant res in serie, de quibus inter se loquuti sunt; inde quoque Antiquissimi, qui ab Ecclesia coelesti fuerunt, computum habuerunt, etiam ex numeris constantem, quibus res coelestes, non ideis mentis naturalis ita comprehensibiles illatae sunt: sed haec post illorum tempora cum coelestium perceptione perierunt, remanente solum cognitione quid in communi significarent numeri simplices, sicut tres, sex, septem, duodecim, non ita quid numeri compositi: sed hodie nec scitur, quod numeri in Verbo aliquid praeter numerum significent; quare hoc inter incredibilia forte erit.

6176. Et appropinquarunt dies Israëlis ad moriendum, quod significet statum mox ante regenerationem, constat ex significatione appropinquare, quod sit prope esse, ita mox ante; ex significatione dierum, quod sint status, de qua n: 23. 487. 488. 493. 893. 2788. 3462. 3785. 4850; ex repraesentatione Israëlis, quod sit bonum spirituale, de qua supra n: 6169; et ex significatione mori, quod sit resurgere, et excitari in vitam nempe spiritualem, de qua n: 3326. 3498. 3505. 4618. 4621. 6036, ita regenerari, nam qui regeneratur, is resurgit a morte spirituali, et excitatur in novam vitam.

6177. Et vocavit filium suum Josephum, quod significet praesentiam Interni, constat a significatione vocare ad se, quod sit praesentem sibi sistere, ita praesentia; et ex repraesentatione Josephi, quod sit Internum, ut pluries prius, n: 6089. 6117. 6120. 6128. 6132. 6136. 6145. 6149. 6152. 6153. 6156. 6163. 6167.

6178. Et dixit ei, si quaeso inveni gratiam in oculis tuis, quod significet desiderium, constat ex affectione, in qua fuit

Jacob cum haec loquutus cum Josepho; haec affectio inest huic formulae; nam, 'si quaeso inveni gratiam in oculis tuis, est solum formula, per quam affectio, ita desiderium voluntatis exprimitur, ut quoque supra n: 6162.

6179. Pone quaeso manum tuam sub femore meo, quod significet obstrictionem sanctam, constat ex significatione ponere manum sub femore, quod sit obstrictio per id quod est amoris conjugialis ex omni potentia, per manum enim significatur potentia, n: 878. 3091. 4931 ad 4937. 5328. [42] 5544; et per femur id quod est amoris conjugialis, de qua n: 3021. 4277. 4280. 4575. 5050 ad 5062. Conjugiale in supremo sensu est Unio Divini et Divini Humani in Domino; inde est unio Divini Boni et Divini Veri in coelo, nam quod procedit a Domino, est Divinum Verum ex Divino Bono, inde Coelum est Coelum, et vocatur conjugium, est enim Conjunctio Boni et Veri ibi, quae procedunt a Domino, quae id facit; [43] et quia Dominus est Bonum ibi, et Coelum est Verum inde, idcirco Dominus in Verbo vocatur sponsus, et Coelum tum Ecclesia vocatur sponsa, nam Bonum et Verum faciunt conjugium, et illorum conjunctio est quae intelligitur per Conjugiale; inde patet, quam sanctum fuerit obstringi per conjugiale, quod significabatur per ponere manum sub femore: ex illo conjugio, nempe Boni et Veri, descendit amor genuinus conjugialis, de quo et de cujus sanctitate, videatur n: 2727 ad 2759.

6180. Et facias mecum misericordiam et veritatem, quod significet humiliationem, constat ex significatione facere misericordiam, quod sit bonum amoris; et ex significatione facere veritatem, quod sit verum fidei, de quibus sequitur: ea verba cum dicuntur, sunt verba supplicationis, ita humiliationis. Quod facere misericordiam sit bonum amoris, est quia omnis misericordia est amoris, qui enim in amore aut charitate est, is quoque in misericordia est; et tunc fit amor et charitas apud eum misericordia, cum proximus in egestate aut miseria est, et in eo statu ei opem fert; inde est, quod per misericordiam significetur bonum amoris: quod facere veritatem, sit verum fidei, est quia omne verum est fidei, ideo etiam per eandem vocem in Lingua originali significatur fides. Quia bonum amoris et verum fidei sunt conjunctissima, ac unum non datur absque alte-

ro, ideo fuit hoc formula solennis apud Antiquos, quia illis notum fuit, quod bonum amoris inseparabile esset a vero fidei; et quia ita, bina illa in Verbo pluries conjunctim dicuntur, ut in Exodo „Jehovah magnus *Misericordia* et *Veritate*" XXXIV: 6. In Libro Secundo Samuelis „David dixit ad viros Jabesch, faciat Jehovah vobiscum *Misericordiam* et *veritatem*" II: 5. 6. Et ibidem „David ad Itthaeum Gitthaeum; revertere et reduc fratres tuos tecum cum *Misericordia* et *Veritate*" XV: 20. Apud Hoscheam „Lis Jehovae cum habitatoribus terrae, quia *non Veritas* et *non Misericordia*, et non cognitio Dei [44] in terra" IV: 1. Apud Davidem „Omnes viae Jehovae *Misericordia* et *Veritas* custodientibus foedus Ipsius" Psalm: XXV: 10. [45] Apud Eundem „Jehovah non prohibebis a me misericordias tuas, *Misericordia tua* et *Veritas tua* perpetuo custodient me" Psalm: XL: 12. Apud Eundem „*Misericordias Jehovae* aeternas canam, in generationem et generationem *Veritatem tuam* ore meo: quoniam dixi, in aeternum *Misericordia* aedificabitur, in ipsis coelis confirmabis *Veritatem* tuam. Justitia et Judicium fulcrum throni tui, *Misericordia* et *Veritas* consistunt ante facies tuas" Psalm: LXXXIX: 2. 3. 15. [46] Et praeterea apud Davidem, Psalm: XXVI: 3. Psalm: XXXVI: 6. Psalm: LVII: 4. 11. Psalm: LXI: 8. Psalm: LXXXV: 11. Psalm: LXXXVI: 15. Psalm: LXXXIX: 25. 34. Psalm: XCII: 3.

6181. Ne quaeso sepelias me in Aegypto, quod significet regenerationem non in scientificis, constat ex significatione sepeliri, quod sit resurrectio et regeneratio, de qua n: 2916. 2917. 4621. 5551; et ex significatione Aegypti, quod sint scientifica, de qua saepius prius: quid sit regeneratio non in scientificis, videatur in mox sequentibus, n: 6183.

6182. Et cubem cum patribus meis, quod significet vitam qualis Antiquis, constat ex significatione cubare, quod sit vita, cubare enim hic est sepeliri apud illos, et quia sepeliri est resurrectio et regeneratio, est cubare apud illos, vita, nam resurrectio est in vitam, similiter regeneratio; et ex significatione patrum, quod sint illi qui ab Antiqua et ab Antiquissima Ecclesia, de qua n: 6075, ita Antiqui.

6183. Et feras me ex Aegypto, quod significet ut sit eleva-

tio ex scientificis, constat ex significatione ferre me, quod sit elevatio, nam ab Aegypto ad terram Canaan dicitur ascendere, per quod significatur elevatio, n: 3084. 4539. 4969. 5406. 5817. 6007, ita per ferre illuc ex Aegypto; et ex significatione Aegypti, quod sint scientifica, de qua prius. Quid sit elevatio a scientificis, paucis dicendum est; Regeneratio Naturalis fit per insinuationem vitae spiritualis a Domino per Internum hominem in scientifica ibi; de hac insinuatione actum est in hoc Capite; at cum homo ita regeneratus est, si talis est, ut ulterius regenerari possit, elevatur inde ad Interius Naturale, quod sub auspicio immediato Interni est; at si homo non talis est, tunc vita ejus spiritualis est in exteriori naturali: elevatio fit per abductionem a sensualibus et scientificis, ita per elevationem supra illa; et tunc homo in statum interioris cogitationis et affectionis pervenit, ita interius in coelum: qui in hoc statu sunt, in Ecclesia interna sunt, at qui in priori statu, in Ecclesia Externa, et hi repraesentantur per Jacobum, at illi per Israëlem; ut itaque Jacob sit Israël, et sic per illum ut Israëlem repraesentetur bonum spirituale quod est in interiori naturali, ita Ecclesia spiritualis interna, haec dicta sunt.

6184. Et sepelias me in sepulchro illorum, quod significet talem regenerationem, constat ex significatione sepeliri, quod sit regeneratio, de qua re supra n: 6181, ita sepeliri in sepulchro illorum seu in eodem sepulchro, est regeneratio talis.

6185. Et dixit, ego faciam secundum verbum tuum, quod significet quod ita fiet [ex Providentia a Divino], constat ex significatione facere secundum verbum alicujus, quod sit quod ita fiet; quod addatur ex Providentia a Divino, est quia Abrahamus, Jischakus, et Jacobus, repraesentabant tria, sed quae unum faciunt; in supremo sensu, in Domino Abrahamus repraesentabat Ipsum Divinum, Jischakus Divinum Rationale, et Jacobus Divinum Naturale, n: 3305 f. 4615. 6098; et in sensu respectivo apud hominem, Intimum quod est bonum coeleste, interius quod est bonum spirituale, et Exterius quod est bonum naturale: haec significantur per tres illos in uno sepulchro, quia per sepulchrum significatur resurrectio in vitam, et regeneratio, n: 2916. 2917. 4621. 5551.

6186. Et dixit jura mihi, quod sit ut irrevocabile sit, con-

stat ex significatione jurare, quod sit confirmatio irrevocabilis, de qua n: 2842.

6187. Et juravit ei, quod significet quod irrevocabile, constat ex significatione jurare, quod sit irrevocabile, ut nunc supra n: 6186.

6188. Et incurvavit se Israël super caput lecti, quod significet quod se verteret ad illa quae sunt interioris naturalis, constat ex significatione incurvare se, quod hic sit vertere se; et ex significatione lecti, quod sit naturale, de qua sequitur, ita caput lecti est quod in naturali est superius, hoc est, interius, nam per caput in Verbo, ubi nominatur, significatur interius, et hoc respective ad corpus, quod est exterius. Per quod se verteret ad illa quae sunt interioris naturalis, significatur quod Verum naturale, quod Jacob, elevaretur ad bonum spirituale, quod Israël, secundum illa quae supra n: 6183, dicta et explicata sunt. Quod Lectus sit Naturale, est quia Naturale infra rationale est, et ei inservit instar lecti, rationale enim velut cubat super naturali, et quia Naturale ita substratum est, ideo vocatur lectus; ut quoque apud Amos „Sicut eripuit pastor ex ore leonis duo crura, aut particulam auris, sic eripientur filii Israëlis habitantes in Samaria, *in angulo lecti*, et *in extremitate spondae*" III: 12, in angulo lecti pro in infimo naturalis; et in extremitate spondae, pro in sensuali; per populum enim Israëlem, cui metropolis erat Samaria, repraesentabatur Regnum Domini spirituale, de hoc dicitur, sicut de patre [47] Israële hic, quod sit super caput lecti, nam bonum spirituale, quod per patrem Israëlem repraesentatur, est caput lecti; cum autem inde se convertunt ad illa quae sunt infimi Naturalis, et quae sunt sensualis, tunc dicitur quod sint in angulo lecti et in extremitate spondae. Apud Eundem „Qui cubant *super lectis eboris*, et extendunt se *super spondis suis*; sed super confractione Josephi non afficiuntur dolore" VI: 4. 6, lecti eboris sunt voluptates infimi naturalis, quae sunt superbientium; non super confractione Josephi affici dolore, pro nihil curare, quod bonum ab Interno dissipatum sit. Apud Davidem „Si intravero intra tentorium domus meae, si *ascendero super spondam strati mei*" Psalm: CXXXII: 3, tentorium domus meae pro sancto amoris, n: 414. 1102. 2145. 2152. 3312. 4391. [48] 4128. 4599;

ascendere super spondam strati, pro super naturale ad verum quod ex bono amoris: quod intrare intra tentorium domus, et ascendere super spondam strati, sit propheticum, quod absque sensu interno non potest sciri, cuivis potest constare.

Continuatio de Influxu et de Commercio Animae et Corporis.

6189. *Quod bini Angeli e Coelo, ac bini spiritus ab inferno, apud hominem sint, et quod inde ei communicatio cum utroque, et quoque quod inde ei liberum se vertere ad unum aut ad alterum, ad finem Capitum* XLIV [49] *et* XLV, *ostensum est: at quod influant apud hominem omnia et singula secundum liberum ejus, malum ab Inferno, et bonum e Coelo, hoc est, per Coelum a Domino, est quod homo nescit, et idcirco forte vix credet.*

6190. *Quia agitur de Influxu, et is tam saepe nominatur, in antecessum est dicendum, quid Influxus: quid per Influxum spiritualem intelligitur non melius constare potest, quam per Influxus naturales, qui existunt et apparent in mundo, sicut per influxum caloris a sole in omnia telluris, cum omni varietate secundum anni tempora et telluris climata; et per influxum lucis in eadem, etiam cum omni varietate secundum tempora dierum et quoque annorum, diversimode etiam secundum climata. Ex Influxu Caloris a sole in omnia telluris, unde vita vegetativa, et ex Influxu Lucis in eadem, unde adjutorium vitae illius, et quoque colores et pulchritudinum apparentiae, similiter ex Influxu ejusdem Caloris in Corporis nostri ambitum, tum Lucis in oculum, pariter ex Influxu Soni in aurem, et ex parilibus aliis, comprehendi potest, quid Influxus vitae a Domino, Qui est Sol coeli, a Quo Calor Coelestis qui est bonum amoris, et Lux Coelestis quae est verum fidei; Influxus horum etiam manifeste sentitur, Calor enim Coelestis qui est amor, facit calorem vitalem qui est in homine, et Lux coelestis quae est fides, facit ejus intellectum, nam verum*

quod fidei, quod procedit a Domino, illustrat ejus Intellectuale; sed utrumque cum multa varietate, nam se habent secundum receptiones ab homine.

6191. *Quod homo per Angelos et Spiritus regatur a Domino, ex tam manifesta experientia mihi scire datum est, ut de eo ne quidem minimum dubii relictum sit; nam nunc per plures annos, omnes meae cogitationes et omnes meae affectiones quoad omnium singularissima mediis spiritibus et angelis influxerunt; hoc datum est tam evidenter percipere, ut nihil evidentius, percepi enim, vidi, et audivi, quinam essent, quales essent, et ubinam essent; et cum in cogitationem aut voluntatem aliquid adversum incideret, cum illis loquutus sum, et illos increpavi; et quoque animadverti, quod potentia infundendi talia illis refraenata sit ab Angelis, ut et quomodo, et quoque saepe quod abacti; et cum abacti sunt, quod loco eorum novi adfuerint, a quibus iterum Influxus; tum appercipere datum est, unde illi spiritus, seu quarum societatum subjecta essent; data etiam fuit saepe cum ipsis illis societatibus copia loquendi; et tametsi omnia quoad singularissima cogitationum et affectionum per spiritus et Angelos influebant, usque tamen cogitavi sicut prius, et volui sicut prius, et conversatus cum hominibus sicut prius, a nemine aliqua differentia a vita priore observata: scio quod tale vix aliquis credat, sed usque est veritas aeterna.*

6192. *Ostensum mihi ad vivum est, quomodo spiritus influunt apud hominem; cum veniunt ad illum, induunt omnia ejus memoriae, ita omnia quae homo ab infantia didicit et imbuit, et spiritus haec putant esse sua, ita agunt quasi hominem apud hominem; sed non ulterius intrare apud hominem eis licet, quam ad interiora ejus quae sunt cogitationis et voluntatis, non autem ad exteriora, quae sunt actionum et loquelae; haec enim per influxum communem a Domino absque particularium spirituum et angelorum mediatione, actum consequuntur: at spiritus tametsi agunt hominem apud hominem quoad illa quae sunt ejus cogitationis et voluntatis, usque tamen non sciunt quod sint apud hominem, ex causa quia possident omnia ejus memoriae, et credunt quod illa non alterius sed sua sint; et quoque ex causa, ne laedant hominem, nam nisi spiritus*

qui apud hominem ab inferno, crederent esse sua, conarentur omni modo hominem quoad corpus et quoad animam perdere; nam hoc est ipsum jucundum infernale.

6193. *Quia Spiritus ita possident omnia quae cogitationis et voluntatis hominis sunt, et angeli quae adhuc interiora sunt, et sic homo illis conjunctissimus est, idcirco homo non aliter appercipere et sentire potest, quam quod ipse sit qui cogitat et vult: se enim ita habet cum communicationibus in altera vita, in societate, ubi similes, quisque credit esse suum, quod est alterius; quapropter boni, cum in societatem coelestem veniunt, illico in omnem intelligentiam et sapientiam illius societatis intrant, usque adeo ut non aliter sciant quam quod illa in se sint; ita quoque se habet cum homine, et cum spiritu apud illum. Quae a spiritibus ab inferno influunt, sunt mala et falsa, at quae ab Angelis e coelo, sunt bona et vera; ita per influxus sibi oppositos tenetur homo in medio, ita in libero. Quae influunt ab Angelis, quia per interiora magis, non ita ad sensum externum apparent, sicut quae a malis spiritibus. Angeli etiam sunt tales, ut nequaquam audire velint, quod influxus boni et veri sint a se, sed quod sint a Domino, indignantur si cogitatur aliter, nam illi sunt in perceptione manifesta quod ita sit, et nihil plus amant, quam quod non a se velint et cogitent, sed a Domino: at vicissim mali spiritus irascuntur, si illis dicitur quod non cogitent et velint ex se, quia hoc est contra jucundum amorum illorum; et magis cum dicitur, quod vita non sit in illis, sed quod influat; hoc cum illis per vivam experientiam ostenditur, quod saepe factum est, tunc quidem fatentur quod ita sit, nam loqui contra experientiam non possunt, at usque post aliquam moram negant, nec tunc volunt ut id amplius confirmetur ab experientia.*

6194. *Aliquoties contigerat, quod cogitaverim mecum, et quoque quod loquutus cum aliis absque reflexione quod spiritus adessent qui excitarent, sed illico post alloquebantur me spiritus, et narrabant statum in quo tunc fuerunt, quod nempe non aliter scirent quam quod ii essent qui cogitarent, et quidem apud me ita, quod proximi crederent se esse prorsus qui cogitabant, remotiores autem minus, et qui adhuc remotiores*

adhuc minus: et quoque ostensum, quaenam societates in spiritus, ut in sua subjecta, influerent.

6195. *Fuerunt spiritus diu apud me, non ita boni nec ita mali, paulo supra caput, potuerunt influere penitus in affectiones, et quia hoc volebant, etiam per moram intrarunt, et se ligaverunt mecum ita, ut videretur sicut vix possent separari; loquutus sum cum illis de ea re, et quod oporteat ut separentur, sed non potuerunt; cum id tentabant, et se separabant paulum, tunc cogitationes meas ita hebetabant, ut non nisi quam confuse et abrupte cogitare possem, et sentiebatur in capite meo dolorificum, quale illis qui in deliquium cadunt. Inde patuit, quomodo amores conjungunt, et quod inde conjunctio omnium in altera vita; quapropter spiritus qui intrant in ipsas affectiones, possident alterum; sicut etiam fit in mundo, cum homo favet alterius amori: at vera non conjungunt, sed affectiones veri. Inde constare mihi potuit, quomodo homo conjungitur vel cum coelo vel cum inferno, quod nempe per amores, per amores sui et mundi cum inferno, at per amores proximi et Dei cum coelo. Tum quoque constabat, quod homo ligatus inferno nusquam possit solvi inde, nisi per Divina media a Domino, quod etiam ostensum ab illis qui mecum ligati fuerunt modo per leves affectiones, ab illis solutus sum non nisi quam per intermedios amores, per quos cum aliis conjungebantur per gradus; et sicut separabantur, ita apparuerunt elongari a me versus sinistrum antrorsum; et observata est separatio per mutationes* [50] *status affectionum, nam sicut affectiones mutabantur, ita recedebant. Inde etiam patet, unde apparentiae distantiarum in altera vita.*

6196. *Quod spiritus associentur homini secundum ejus amores, ex multiplici experientia mihi notum factum est; ut primum coepi aliquid impense amare, spiritus aderant qui in tali amore essent, nec removebantur prius quam amor cessavit.*

6197. *Quoties aliquid in cogitationem et in desideria voluntatis inciderat, quod non scivi unde illud, toties cum id volui scire, mihi ostensum est, unde, nempe a quibus societatibus, et quandoque per quos spiritus qui subjecta; et quoque tunc loquuti sunt mecum, et fassi quod id cogitaverint, et quoque quod sciverint, quod illud influeret apud me, et mihi ap-*

pareret sicut in me. Dolosi qui supra caput directe apparent, influxerunt apud me quandoque tam subtiliter, ut nescirem unde esset, et quoque ut vix aliter perciperem, quam quod illud quod influebat, esset in me et a me, ut familiare est aliis; sed quia pro certo sciebam quod aliunde, data est mihi perceptio a Domino tam exquisita, ut apperciperem singulos eorum influxus, tum ubinam essent, et quinam essent; cum hoc animadverterent, indignati sunt valde, imprimis quod reflecterem super id quod ab illis; reflexio illa influebat per Angelos. Dolosi illi imprimis insinuabant talia quae erant contra Dominum; et tunc quoque reflectere dabatur super id, quod nullus in inferno agnoscat Dominum, sed quod contra Illum contumeliosi sint, quantum eis licet; at quod non illibenter audiant nominari Patrem creatorem universi; inde, ut ex indicio perquam manifesto, patere potest, quod Dominus sit Qui regit universum Coelum, sicut Ipse docet apud Matthaeum „Data est Mihi omnis potestas in Coelo et in terra" XXVIII: 18; *et quod Domino oppositi sint, quia oppositi sunt Coelo, ubi Dominus est omne in omnibus.*

6198. *Fuerunt spiritus apud me, qui putaverunt quod ipsi essent qui viverent, et non mihi aliunde vita quam ab illis, sic ut illi essent ego; sed cum illis dictum est, quod spiritus separati essent, et quod etiam ego essem spiritus quoad interiora, hoc non potuerunt credere; ut scirent, separati sunt, et sic ostensum, quod spiritus per se essent; sed usque non volebant credere, instabant pertinaciter; aberant per tempus, et cum redibant, in simili persuasione fuerunt. Inde quoque constare potest, quod spiritus non aliter sciant, quam quod sua sint quae apud hominem. Sed tales, qui ita pertinaciter credunt, non admittuntur facile ad homines, quia aegre possunt separari: simile quidem inditum est caeteris spiritibus, ob causam ut inserviant homini, sed cum differentia.*

6199. *Alius spiritus etiam putabat quod is esset ego, usque adeo ut crederet, cum loqueretur mecum lingua mea vernacula, quod is loqueretur ex sua, dicens quod illa lingua esset sua; sed ostensum, quod lingua spiritibus propria prorsus alia sit, et quod sit lingua universalis omnium, et ex illa influant ideae in meam vernaculam, et sic loquantur, non ex se*

sed in me; et quod hoc indicium sit, quod non solum in illa quae sunt hominis veniant, sed etiam quod putent illa esse sua.

6200. *Quia continue nunc per novem annos in consortio cum spiritibus et Angelis fui, sedulo observavi, quomodo cum influxu se habet. Cum cogitavi, apparuerunt ideae materiales cogitationis quasi in medio cujusdam undae, et observatum, quod unda illa non aliud esset, quam talia quae adjuncta sunt rei illi in memoria, et quod sic cogitatio plena spiritibus appareat; sed quod ad sensum hominis tunc non aliud veniat quam quod in medio est, et sicut materiale apparuit: assimilavi undam illam circumcirca alis spiritualibus, per quas, res quae cogitatur, elevatur e memoria: inde est homini apperceptio rei. Quod in undante illa materia circumcirca, fuerint innumera rei convenientia, constare mihi potuit ex eo, quod spiritus, qui in subtiliori sphaera, inde sciverint omnia illa, quae ego de illa re usquam noveram; et sic quod plene hauriant et induant omnia quae hominis sunt; ac genii, qui solum ad cupiditates et affectiones attendunt, illa quae amorum sunt. Sit exemplum illustrationi, cum de homine mihi noto cogitavi, tunc illius idea, qualis apparet cum coram homine ille nominatur, sistebatur in medio, sed circumcirca, sicut undans volatile, omnia quae de illo sciveram et cogitaveram a pueritia; inde ille totus, qualis in mea cogitatione et affectione fuit, apud spiritus momento apparuit: etiam cum de aliqua urbe cogitavi, tunc ex undante illa sphaera circumcirca spiritus sciebant momento omnia quae vidi, et de ea novi: ita quoque se habuit cum rebus scientiae.*

6201. *Ita apparuit cogitatio apud spiritus, cum paulo subductus fui a sensualibus, cum autem cogitatio fuit in sensualibus, tunc tale undans non apparuit, sed erat materiale omne, et non absimile visuali externo; hoc dicitur in sensuali cogitare; at cum interius cogitatur, dicitur subduci a sensualibus; quod homo subduci queat a sensualibus, Antiquis notum fuit, quare etiam de illo statu aliqui eorum scripserunt: illi qui in illa cogitatione sunt, vocantur sensuales; ac illis adjuncti sunt spiritus similes; hi spiritus vix plura capiunt apud hominem, quam quae etiam ad hominis sensationem perveniunt; nam sunt crassiores reliquis. Observatum est, quod,*

cum homo in sensuali est, et non inde elevatus, non cogitet aliud quam quod corporis et mundi est, et quod nunc nihil scire velit de illis quae sunt vitae aeternae, imo quod aversetur audire de illa. Ut scirem, quod res ita se habeat, aliquoties in sensuale demissus fui, et illico tunc obvenerunt talia; et quoque tunc spiritus, qui in crassiore illa sphaera, infuderunt turpia et scandalosa; sed ut primum a sensuali subductus sum, talia dissipabantur. In sensuali vita sunt plerique qui voluptatibus corporeis indulgent, tum qui prorsus rejecerunt cogitare ultra quam vident et audiunt; et magis qui rejecerunt cogitare de vita aeterna: quapropter tales haec et illa vilipendunt, et cum audiunt talia nauseant. Hodie in altera vita abundant tales spiritus, veniunt enim ex orbe turmae eorum, et influxus ab illis apud hominem est, ut indulgeat genio, et vivat sibi et mundo, non autem aliis, nisi quantum illi sibi et suis voluptatibus favent. Ut homo ab illis elevetur, cogitabit de vita aeterna.

6202. *Observatus etiam est alius influxus, qui non fit per spiritus qui apud hominem, sed per alios, qui e societate quadam infernali in sphaeram vitae hominis emittuntur; hi inter se de talibus quae homini adversa sunt loquuntur, inde communiter influit incommodum, injucundum, triste aut anxium cum multa varietate; tales saepius fuerunt apud me, et percepti in provincia ventriculi qui infuderunt anxietates, praeter quod scirem unde illae essent; sed toties detecti sunt, et tunc audivi quod inter se loquuti sunt, quae fuerunt talia quae affectionibus meis adversa fuerunt; avari in eadem regione quandoque apparuerunt, sed paulo superius, et infuderunt anxium ex cura futuri; et quoque datum est increpare illos, et illis dicere, quod referant talia in ventriculo, quae indigesta sunt, male olent, ita quae nauseabunda sunt; vidi etiam quod abacti, et cum abacti sunt, anxium prorsus cessavit; et hoc aliquoties, ut pro certo scirem quod inde. Talis est influxus apud illos, qui ex nulla causa anxietate melancholica premuntur; et quoque apud illos qui in tentatione spirituali sunt, ast tunc tales non modo influunt in communi, sed etiam spiritus infernales in particulari excitant mala quae homo egerat, ac pervertunt et sinistre explicant bona, cum quibus tunc pugnant*

angeli: in talem statum venit homo, qui regeneratur, per quod demittatur in proprium suum; et hoc fit cum in mundana et corporea se nimis immergit, cumque ad spiritualia elevandus est.

6203. *Cum origine influxus mali ab inferno ita se habet, cum homo primum ex consensu, dein ex proposito, demum ex jucundo affectionis in malum se conjicit, tunc aperitur infernum quod in tali malo est, nam secundum mala, et omnes eorum varietates, inter se distincta sunt inferna, et dein fit ab illo inferno etiam influxus, cum homo ita in malum venit, inhaeret illud, nam infernum, in cujus sphaera tunc est, in ipso suo jucundo est, cum in suo malo; quapropter non desistit, sed contumaciter insistit, et facit ut homo primum per vices, et dein quoties aliquid affine obvenit, de eo cogitet, et tandem fit id apud illum universaliter regnans; et cum hoc fit, tunc conquirit talia quae confirment quod malum non sit, et hoc usque ut sibi ipsi prorsus persuadeat, et tunc, quantum potest, vincula externa amovere studet et facit licita et ingeniosa, et tandem etiam decora et honesta, sicut adulteria, furta per artes et dolos, arrogantiae et jactationis variae species, aliorum contemtus, vituperationes, persequutiones sub specie justi, et similia: se habent illa sicut furta manifesta, quae cum homo bis aut ter ex proposito committit, quod dein non queat ab illis desistere; inhaerent enim continue ejus cogitationi.*

6204. *Praeterea sciendum, quod malum quod intrat in cogitationem nihil noceat homini, quia a spiritibus ex inferno continue infunditur malum, et repellitur continue ab angelis, at cum malum intrat in voluntatem, tunc nocet, nam tunc quoque abit in actum quoties externa vincula non detinent:* [51] *malum in voluntatem intrat per detentionem in cogitatione, per consensum, imprimis per actum et inde jucundum.*

6205. *Saepe observatum est, quod spiritus mali imprimis induant hominis persuasiones et cupiditates, et cum illas induunt, quod hominem regant ex imperio, nam qui infert se in hominis cupiditates et in ejus persuasiones, is sibi subjicit hominem, et illum* [52] *sibi servum facit; at influxus per angelos, fit secundum hominis affectiones, quas leniter ducunt, et*

flectunt ad bonum, et non frangunt; ipse influxus est tacitus, vix perceptibilis, nam est in interiora; et continue per liberum.

6206. *Porro sciendum, quod omne malum influat ab inferno, et omne bonum per coelum a Domino; quod autem malum approprietur homini, est causa, quia homo credit et persuadet sibi, quod id cogitet et faciat a se, ita id suum facit; si crederet sicut res se habet, tunc non appropriaretur ei malum, sed appropriaretur ei bonum a Domino, nam tunc illico cum influeret malum, cogitaret quod esset a malis spiritibus apud illum, et cum hoc cogitaret, angeli averterent et rejicerent illud, nam angelorum influxus est in id quod homo scit et credit, non autem in id quod homo non scit et non credit, non enim alibi figitur, quam ubi est aliquid apud hominem. Cum homo sic appropriat sibi malum, comparat sibi sphaeram istius mali, quae sphaera est cui adjungunt se spiritus ab inferno, qui in similis mali sphaera sunt, nam simile simili conjungitur. Sphaera spiritualis apud hominem aut spiritum, est exhalatio effluens a vita amorum ejus, ex qua cognoscitur ad distantiam qualis est; secundum sphaeras conjunguntur omnes in altera vita, etiam societates inter se; et quoque dissociantur, nam sphaerae oppositae collidunt et se mutuo repellunt; inde sphaerae amorum mali omnes in inferno sunt, et sphaerae amorum boni omnes in coelo sunt, hoc est, ii qui in illis sunt.*

6207. *Angelorum influxus est imprimis in conscientiam hominis, ibi est planum in quod operantur; hoc planum est in interioribus hominis. Conscientia est duplex, interior et exterior, Conscientia interior est boni et veri spiritualis, Conscientia exterior est justi et aequi; haec Conscientia datur hodie apud plures, sed interior apud paucos; at usque qui illa Conscientia gaudent, salvantur in altera vita; sunt enim tales, ut si contra bonum et verum, aut contra justum et aequum agunt, angantur et crucientur intus, non quod inde honor aut lucrum aut fama pereat, sed quia contra bonum et verum, aut justum et aequum egerant. Ast ubi hae conscientiae non sunt, est infimum quoddam quod aliquoties mentitur conscientiam, nempe ut verum et bonum, ac aequum et justum faciant non ex amore illorum, sed propter se, suum honorem et lucrum; hi quoque anguntur et cruciantur, cum adversa illis obveniunt; sed haec*

conscientia est nulla conscientia, quia est amoris sui et mundi, et in illa nihil est de amore Dei et proximi, quare in altera vita nec apparet. Qui tales sunt, etiam possunt officiis eminentioribus fungi, sicut illi qui genuina conscientia gaudent, nam in forma externa faciunt similia, sed sui honoris et famae causa; quo itaque plus horum jacturam timent, eo melius munera publica ad favorem proximi et patriae obeunt; at qui non timent jacturam illorum, sunt in republica prorsus rejectibilia membra. Qui in falsa hac conscientia sunt, ne quidem sciunt quid Conscientia, et cum audiunt ab aliis quid sit, irrident, et credunt simplicitatis esse aut aegritudinis animi. Haec dicta sunt, ut sciatur quomodo cum influxu se habet, quod nempe conscientia sit planum in quod angeli influant, et quidem in affectiones boni et veri, ac justi et aequi ibi, ac sic teneant hominem vinctum, at usque in libero.

6208. *Sunt plures qui gaudent bono naturali ex haereditario, ex quo jucundum habent in benefaciendo aliis, sed non ex Verbo, aut doctrina Ecclesiae, aut ex suo religioso, imbuti principiis inde faciendi bonum, ita nec donari potuerunt aliqua conscientia, nam haec non venit ex bono naturali aut haereditario, sed ex doctrina veri et boni, et vita secundum illam: tales cum in alteram vitam veniunt, mirantur quod in coelum non recipiantur, dicentes quod vitam bonam egerint,* [53] *sed illis dicitur quod vita bona ex naturali seu haereditario non sit vita bona, sed ex illis quae sunt doctrinae boni et veri ac inde vitae, per haec principia habent sibi impressa de vero et bono, et accipiunt conscientiam, quae planum est in quod influat coelum. Ut sciant quod ita se res habeat, mittuntur in societates varias, et tunc patiuntur se abduci in quaecunque mala, solum per ratiocinationes et inde persuasiones quod mala sint bona, et bona sint mala, et sic persuadentur ubivis, et feruntur* [54] *sicut paleae in vento; nam absque principiis sunt, et absque plano in quod Angeli operentur, et a malis illos abducant.*

6209. *Influxus Angelorum apud hominem non appercipitur sicut influxus spirituum; quod enim ab illis influit, non est materiale, sed est spirituale, et apparet omne id sicut fluviatile aëreum, ab interioribus angelis sicut lucidum, et ab*

adhuc interioribus sicut flammeum; de quibus plura, ex Divina Domini Misericordia, ad finem Capitum sequentium.

6210. *Aliquibus vicibus factum, quod impense cogitarem de mundanis, et de talibus quae curae sunt plerisque, nempe de possessionibus, de acquisitione divitiarum, de voluptatibus, et similibus, tunc animadverti quod in sensuale relaberer; et quod in tantum, quantum illis immergeretur cogitatio, removerer a consortio cum angelis: inde mihi quoque patuit, quod qui in talibus curis profunde sunt, nequeant commercium habere cum illis in altera vita; cogitationes enim tales, cum occupant totam mentem, deorsum ferunt animum, et sunt sicut pondera quae detrahunt; et cum pro fine habentur, removent a coelo; ad quod elevari homo nequit, nisi per bonum amoris et fidei. Hoc adhuc mihi constare potuit ex eo; quondam cum ductus sum per mansiones coeli, et tunc in spirituali idea essem, et accidit quod subito lapsus essem in cogitationem de mundanis, et tunc omnis illa idea spiritualis dissipabatur, et facta sicut nulla.*

6211. *Miratus quandoque sum, cur non loquela et actio per spiritus particulares, sicut cogitatio et voluntas regeretur, sed instructus sum, quod loquela sequatur ex cogitatione, et actio ex voluntate, et quod hoc ex ordine fluat, ita per influxum communem: sed usque spiritus dicati sunt unicuique membro loquelae, et unicuique membro actionis, sed ii spiritus id non sciunt. Influxus communis est continuus conatus a Domino per universum coelum in singula quae sunt vitae hominis.*

6212. *Notum est ex Verbo, quod Influxus e mundo spirituum, et e coelo fuerit in Prophetas, partim per somnia, partim per visiones, et partim per loquelam; et quoque apud quosdam in ipsam loquelam, et in ipsos gestus, ita in illa quae sunt corporis; et quod tunc non loquerentur a se, nec agerent a se, sed a spiritibus qui tunc occupabant corpus illorum; quidam tunc se sicut insani gerebant, ut Saul quod jaceret nudus, alii quod se vulnerarent, alii quod cornua sibi imponerent, et plura similia: et quia desideravi scire, quomodo illi agerentur a spiritibus, ostensum id mihi est per vivam experientiam: ob finem id sciendi, eram per totam noctem possessus a spiritibus, qui ita occupabant corporea mea, ut non nisi quam obscurissime*

sentire possem, quod meum corpus esset: spiritus illi cum veniebant, apparebant sicut nubeculae in varias formas conglomeratae, utplurimum acuminatae, nubeculae erant nigrae. Mane visus mihi est currus cum biga equorum, in quo vir qui vehebatur; dein visus mihi est equus, cui quis insidebat, qui rejectus ab equo retrorsum, et ibi jacuit equo recalcitrante; postea visus est alius equo insidens; equi erant generosi. Post haec angeli dicebant, quid visa haec significarent, quod nempe Currus in quo vir significaret sensum spiritualem, qui inerat propheticis quae loquebantur, et quae repraesentabant; quod equus qui rejecit insidentem, et recalcitravit, significaret populum Judaicum et Israëliticum, apud quos prophetica, quod solum in externis essent, et sic quod Intellectuale rejiceret, et quasi per recalcitrationem amoveret illos; et quod alter equo insidens significaret Intellectuale, quod est illis qui in sensu interno Verbi prophetici sunt. Ex statu illo, in quo per noctem usque ad mane fui, instructus sum, quomodo Prophetae, per quos spiritus loquebantur et agebant, possessi fuerunt, nempe quod spiritus occuparent corpus eorum, adeo ut vix aliquid residuum esset, praeter quod scirent quod essent: fuerunt certi spiritus ad hunc usum, qui non obsidere voluerunt homines, sed solum intrare in hominis affectiones corporeas, in quas cum intrarent in omnia corporis intrabant. Spiritus qui solito apud me, dicebant quod abessem ab illis cum in illo statu manerem. Spiritus qui possidebant corpus meum, sicut olim Prophetarum, postea mecum loquuti sunt, et dicebant, quod prorsus non aliter tunc noverint, quam quod vita illis esset sicut in corpore, praeter plura alia. Praeterea dictum, quod etiam alii influxus apud Prophetas fuerint, nempe quod essent sui juris, et suae cogitationis, solum quod spiritus cum illis loquerentur, plerumque tunc intus in illis; sed quod non esset Influxus in cogitationem et voluntatem, sed solum esset sermo, qui ad auditum illorum pervenit.

6213. *Quod Infernum per spiritus suos continue injiciat malum et falsum, et vera ac bona pervertant et exstinguant, et quod Dominus per Angelos continue illa avertat, tollat, mitiget, moderetur, per plurium annorum experientiam paene continuam, ita familiare mihi factum est, ut ne quidem cogi-*

tare queam de aliquo dubio. Sed ut Angeli avertere possint Influxus ab Inferno, erunt vera fidei juncta bono vitae apud hominem, in quae influant, haec illis erunt planum in quod operentur. At si homo talia non habet, aufertur ille ab inferno, et tunc Dominus per Angelos regit illum quoad externa, quae vincula externa vocantur, quae sunt prudentiae propriae, ut appareat in externa forma sicut proximi et patriae amans, sed ex causa sui honoris, sui lucri, famae propter illa, timoris poenarum legis, tum mortis: haec sunt vincula externa per quae homo regitur, cum interna, quae sunt conscientiae, nulla sunt. Sed externa illa vincula nihil faciunt in altera vita, auferuntur enim ei, et cum ablata sunt, apparet homo qualis intus fuerat.

6214. *Quam difficile sit, ut homo credat, quod spiritus sciant Cogitationes ejus, constare mihi potuit ex eo; antequam loquebar cum spiritibus, contigit, quod spiritus quidam me alloqueretur paucis verbis de illis quae cogitabam; inde obstupefactus sum, quod spiritus id sciret, quia putabam quod talia recondita essent, et soli Deo nota. Dein cum inciperem loqui cum spiritibus indignatus sum, quod nihil cogitare potuissem, quod non illi scirent, et quod id mihi molestum futurum esset; sed postea per aliquot dierum assuetudinem familiare mihi factum est: Tandem etiam notum, quod spiritus non solum omnia cogitationis et voluntatis hominis appercipiant, sed etiam multo plura quam ipse homo; et quod Angeli adhuc plura, quod nempe intentiones ac fines, a primis per medios ad ultimos: et quod Dominus sciat non solum qualis homo totus est, sed etiam qualis futurus in aeternum. Inde constare potest, quod prorsus nihil absconditum sit, sed quod homo intus cogitat et machinatur, pateat in altera vita, ut in clara die.*

6215. *Continuatio de Influxu et Commercio animae et corporis, ad finem Capitis sequentis.*



GENESEOS

CAPUT QUADRAGESIMUM OCTAVUM.

1. Et fuit post verba illa, et dixit ad Josephum, ecce pater tuus aegrotat; et accepit duos filios suos secum, Menaschen et Ephraimum.

2. Et indicavit Jacobo, et dixit, ecce filius tuus Joseph venit ad te; et confirmavit se Israël, et sedit super lecto.

3. Et dixit Jacob ad Josephum, Deus Schaddai visus ad me in Lus in terra Canaan, et benedixit mihi.

4. Et dixit ad me, ecce Ego fructificans te, et multiplicari faciam te, et dabo te ad coetum populorum, et dabo terram hanc semini tuo post te, possessionem aeternam.

5. Et nunc duo filii tui nati tibi in terra Aegypti usque ad me venire ad te Aegyptum, mihi illi, Ephraim et Menasche, sicut Ruben et Schimeon erunt mihi.

6. Et generatio tua, quam generas post illos, tibi erunt; super nomine fratrum suorum vocabuntur in haereditate sua.

7. Et ego in veniendo me e Paddan, moriebatur super me Rachel in terra Canaan in via in adhuc tractus terrae ad veniendum Ephratam, [et sepelivi illam ibi in via Ephrath,] ea Bethlechem.

8. Et vidit Israël filios Josephi, et dixit, cui illi.

9. Et dixit Joseph ad Patrem suum, filii mei hi, quos dedit mihi Deus hic; et dixit, accipe illos quaeso ad me, et benedicam illis.

10. Et oculi Israëlis graves erant prae senectute, non potuit videre; et accedere fecit illos, ad eum, et osculatus illos, et amplexus illos.

11. Et dixit Israël ad Josephum, videre facies tuas non cogitavi, et ecce videre fecit mihi Deus etiam semen tuum.

12. Et abduxit Joseph illos ex femoribus ejus, et incurvavit se ad faciem suam terram.

13. Et accepit Joseph ambos illos, Ephraimum in dextra sua a sinistra Israëlis, et Menaschen in sinistra sua a dextra Israëlis, et accedere fecit ad eum.

14. Et misit Israël dextram suam, et posuit super capite Ephraimi, et is minor, et sinistram suam super capite Menaschis, conversim misit manus suas, quia Menasche primogenitus.

15. Et benedixit Josepho, et dixit, Deus coram Quo ambularunt patres mei, Abraham et Jischak, Deus pavens me ab illo me usque ad diem hunc.

16. Angelus redimens me ab omni malo, benedicat pueris, et vocabitur in illis nomen meum, et nomen patrum meorum Abrahami et Jischaki, et crescant ad multitudinem in medio terrae.

17. Et vidit Joseph, quod posuit pater ejus manum dextram suam super capite Ephraimi, et malum fuit in oculis ejus, et apprehendit manum patris sui ad removendum illam a super capite Ephraimi super Caput Menaschis.

18. Et dixit Joseph ad patrem suum, non ita pater mi, quia hic primogenitus, pone dextram tuam super capite ejus.

19. Et renuit pater ejus, et dixit, scio fili mi, scio, etiam hic erit ad populum, et etiam hic magnus fiet; et veruntamen frater ejus minor magnus fiet prae illo, et semen illius erit plenitudo gentium.

20. Et benedixit illis in die hoc, dicendo, in te benedicet Israël, dicendo, ponat te Deus sicut Ephraimum, et sicut Menaschen, et posuit Ephraimum ante Menaschen.

21. Et dixit Israël ad Josephum, ecce ego morior, et erit Deus cum vobis, et reducet vos ad terram patrum vestrorum.

22. Et ego do tibi portionem unam super fratres tuos, quam sumsi e manu Emorraei gladio meo et arcu meo.

CONTENTA.

6216. [1] Agitur in hoc Capite in sensu interno de Ecclesiae Intellectuali quod ex Vero, et de ejus Voluntario quod ex

bono; Ecclesiae Intellectuale est Ephraim, et Ecclesiae Voluntarium est Menasche.

6217. Quod in Ecclesia Verum fidei quod Intellectualis apparenter primo loco sit, et bonum charitatis quod Voluntarii apparenter secundo, significatur per quod Israël miserit manum dextram super caput Ephraimi, et sinistram super caput Menaschis.

SENSUS INTERNUS.

6218. Vers: 1. 2. *Et fuit post verba illa, et dixit ad Josephum, ecce pater tuus aegrotat, et accepit duos filios suos secum, Menaschen et Ephraimum. Et indicavit Jacobo, et dixit, ecce filius tuus Joseph venit ad te, et confirmavit se Israël, et sedit super lecto.* Et fuit post verba illa, significat quae ex prioribus sequuntur: et dixit ad Josephum, significat perceptionem eminentem: ecce pater tuus aegrotat, significat regenerationis successivum: et accepit duos filios suos secum, Menaschen et Ephraimum, significat Ecclesiae voluntarium et Ecclesiae Intellectuale ab Interno nata: et indicavit Jacobo, significat apperceptionem a Vero naturalis: et dixit, ecce filius tuus Josephus venit ad te, significat de praesentia Interni: et confirmavit se Israël, significat novas vires per bonum Spirituale: et sedit super lecto, significat quod versum ad naturale.

6219. Et fuit post verba illa, quod significet quae ex prioribus sequuntur, constat ex significatione verborum, quod sint res, de quibus in prioribus actum est, ita post illa verba sunt quae ex prioribus sequuntur.

6220. Et dixit ad Josephum, quod significet apperceptionem eminentem, constat ex significatione dicere, quod sit perceptio, de qua n: 1791. 1815. 1819. 1822. 1898. 1919. 2080. 2619. 2862. 3509. 5687; quod sit apperceptio eminens, est quia in sequentibus agitur de Ecclesiae Intellectuali et Voluntario, ita de ejus Vero et Bono, et hoc ab influxu per Coeleste Internum, quod Josephus.

6221. Ecce pater tuus aegrotat, quod significet regenera-

tionis successivum, constat ex significatione mori, quod sit resurrectio in vitam, et regeneratio, de qua n: 3326. 3498. 3505. 4618. 4621. 6036; inde aegrotare, quod praecedit, est progressivum ad regenerationem, ita regenerationis successivum. Quod mori sit regeneratio, et aegrotare sit regenerationis successivum, non potest non apparere sicut remotius, quam ut credatur ita esse; sed qui de cogitatione et loquela angelica aliquid novit, agnoscet quod ita sit; angeli nihil sciunt de morte, nec de aegrotatione, quare nec habent aliquam de iis ideam, quapropter loco earum, cum legitur hoc ab homine, habent ideam continuationis vitae et resurrectionis; ex causa quia cum moritur homo, exuit solum quod ei inserviverat usui in mundo, ac intrat in vitam, in qua fuerat cum suo spiritu; haec idea obvenit Angelis, cum legitur mori, et aegrotare; pariter idea regenerationis, nam haec est resurrectio in vitam, prius enim fuerat homo spiritualiter mortuus, cum autem regeneratus est, fit vivus, et filius resurrectionis: ipse homo cum in corpore vivit, qui Coelum desiderat, is nec aliter cogitat de morte, nec de aegritudine quae praecedit, quam quod sit resurrectio in vitam, nam cum cogitat de coelo, abstrahit se ab idea de corpore, imprimis cum aegrotat et propius ad mortem venit; inde patet, quod spiritualis idea de morte corporis, sit de novo vitae: quapropter cum de resurrectione aut de regeneratione [2] agitur in Coelo, et hoc labitur deorsum, et determinatur in talia quae sunt mundi, quod non aliter cadat quam in similia. Ita se habet cum Verbo, hoc quoad omnia et singula descendit ex Domino, ac transivit per coelum, usque in mundum, in descensu induit se formis adaequatis ad captum in triplici coelo, et tandem forma ad captum hominis, quae est sensus literalis.

6222. Et accepit duos filios suos secum, Menaschen et Ephraimum, quod significet Ecclesiae Voluntarium et Ecclesiae Intellectuale ab Interno nata, constat ex repraesentatione Menaschis, quod sit novum Voluntarium in naturali, et quale ejus, de qua n: 5354 ad fin: et ex repraesentatione Ephraimi, quod sit novum Intellectuale in naturali, et quale ejus, de qua n: 5354; quod ab Interno nata sint, significatur per quod essent filii Josephi, per quem Coeleste Internum repraesentatur, n: 5869. 5877. Quid Ecclesiae Intellectuale, et Ecclesiae Volun-

tarium, dicendum est; Ecclesiae Intellectuale est percipere ex Verbo, quid verum fidei, et quid bonum charitatis; notum est, quod sensus literalis Verbi talis sit, ut, quodcunque dogma homo arripit, ex illo sensu id confirmet; causa est, quia illa, quae sunt sensus literalis Verbi, sunt vasa communia, quae recipiunt vera, et quod vasa illa, non nisi quam cum receperint vera, appareant, quasi per transparentiam, qualia sunt; ita quod sint modo communia, quae ab homine primum haurienda sunt, ut apte recipere possit particularia et singularia: quod sensus literalis Verbi talis sit, ut quodcunque dogma homo arripit, ex illo sensu confirmet, patet manifeste ex tot haeresibus, quae in Ecclesia fuerunt, et quae adhuc sunt, quarum unaquaevis a Sectariis confirmatur ex sensu literali Verbi, ac ita ab illis confirmatur, ut prorsus credatur quod ita sit; et tunc si ipsum verum de coelo audirent, ne hilum reciperent; causa est, quod illis non Ecclesiae Intellectuale sit: Ecclesiae enim Intellectuale est, cum homo legit Verbum, et unum cum altero sedulo confert, quod percipiat inde quid credendum, et quid faciendum; hoc non cadit nisi in tales qui illustrantur a Domino, et quoque qui in Orbe Christiano illustrati vocantur; et illustratio illa non cadit in alios quam in tales qui vera scire desiderant, non propter famam et gloriam, sed propter vitam et usum; ipsa illa illustratio recipitur ab Intellectuali apud hominem, nam Intellectuale est quod illustratur; hoc patet manifeste ex eo, quod qui parum intellectualis habent, nequaquam possint ex Verbo talia videre, sed quod fidem habeant illis quos credunt illustratos esse. Praeterea sciendum, quod qui regenerati sunt, accipiant a Domino Intellectuale quod illustrari potest, est lux coeli a Domino, quae influit in Intellectuale, ac illustrat illud: Intellectuale enim non aliunde suam lucem, suum visum, proinde suam perceptionem habet. Sed Intellectuale hoc, quod Ecclesiae Intellectuale vocatur, interius est, quam Intellectuale, quod modo est ex scientificis, est enim apperceptio quod ita sit, non quod scientifica et philosophica id dictant, sed quia Verbum in sensu suo spirituali; ut pro exemplo, qui in Ecclesiae Intellectuali sunt, clare possunt percipere, quod Verbum in omnibus et singulis doceat, quod amor in Dominum, et charitas erga proximum sint essentialia Ecclesiae, et quod vita hominis maneat post mor-

tem, quodque vita ejus sit ex amoribus ejus; tum quod fides separata a charitate non sit fides, et quod fides nihil faciat ad vitam aeternam, nisi quantum ea adjungitur bono amoris in Dominum et bono charitatis erga proximum; proinde quod conjuncta erunt ut sit vita spiritualis; quod haec vera sint, clare percipere possunt illi, qui Intellectuale illustratum habent, sed qui id non habent, id nequaquam videre possunt. Creditur quod illi Intellectuale in rebus Ecclesiae habeant, qui sciunt dogmata seu doctrinalia suae Ecclesiae multis confirmare, et hoc usque ad persuasionem quod ita sit, et quoque qui sciunt plures haereses dextre refellere, sed hoc non est Intellectuale Ecclesiae, nam confirmare dogma non est Intellectualis, sed est ingenii in sensuali, et cadit quandoque in pessimos, et id facere possunt qui prorsus nihil credunt, et quoque qui in ipsis falsis sunt; his et illis nihil facilius est quam confirmare quodcunque lubet, usque adeo ut simplices persuadeantur: sed Intellectuale Ecclesiae, est, percipere et videre, antequam aliquod dogma confirmatur, num verum sit vel non, et dein confirmare: hoc intellectuale est quod per Ephraimum repraesentatur; Ecclesiae autem bonum, quod per Menaschen repraesentatur, est bonum Charitatis, quod a Domino insinuatur homini Ecclesiae per vera fidei; haec enim una cum bono charitatis sunt quae influunt in Intellectuale, et illustrant illud, et quoque faciunt, ut Intellectuale et Voluntarium unam mentem constituant. Quod utrumque, nempe Intellectuale et Voluntarium, ab Interno natum sit, constare potest ex illis quae prius saepius dicta et ostensa sunt, nam omnis affectio boni et veri, per quam illustratio, non aliunde influit, ita non aliunde nascitur, quam ab Interno, hoc est, per Internum a Domino.

6223. Et indicavit Jacobo, quod significet apperceptionem a vero naturalis, constat ex significatione indicare, quod sit apperceptio, de qua n: 3608. 5601; et ex repraesentatione Jacobi, quod sit verum naturalis, de qua n: 3305. 3509. 3525. 3546. [3] 3599. 3775. 4234. 4009. 4520. 4538. 6001.

6224. Et dixit, ecce filius tuus Josephus venit ad te, quod significet praesentiam Interni, constat ex repraesentatione Josephi, quod sit Internum, n: 6177; et ex significatione venire ad aliquem, quod sit praesentia, de qua n: 5934. 5941. 5947.

6063. 6089. Quod Josephus sit Internum, et alibi quod Coeleste Internum, est applicate ad illa quae infra in Naturali; cum applicatur ad inferiora naturalis, quae repraesentantur per Jacobum, tunc dicitur Internum, similiter cum applicatur ad Pharaonem; at cum applicatur ad interiora Naturalis, quae repraesentantur per Israëlem, et quoque per decem filios ejus, tunc dicitur Coeleste Internum, et Bonum Internum, et hoc propter influxum.

6225. Et confirmavit se Israël, quod significet novas vires per bonum spirituale, constat ex significatione confirmare se, quod sit accipere novas vires; et ex repraesentatione Israëlis, quod sit bonum spirituale e naturali, de qua n: 4286. 4598. 5801. 5803. 5806. 5812. 5817. 5819. 5826. 5833; quod sit *per* bonum spirituale, est quia Jacob in mox praecedentibus dicitur Jacob, et hic Israël, dicitur enim „Indicavit *Jacobo*, et dixit, ecce filius tuus Josephus venit ad te, et confirmavit se *Israël*"; Israël enim est bonum spirituale e naturali, Jacob autem est Verum naturalis, et verum naturalis quod est fidei ibi, confirmatur per bonum spirituale, quod est bonum charitatis; Israël etiam est Internum Ecclesiae, et Jacob Externum ejus, n: 4286. 4292. 4570; Externum Ecclesiae nec aliunde confirmatur, et vires accipit quam ab Interno ejus; in Interno Ecclesiae sunt qui in bono charitatis, quod est bonum fidei, tum bonum veri, ut et bonum spirituale, quae sunt Israël, in Externo autem sunt qui in Vero fidei, et nondum manifeste in bono sunt, sed quorum tamen in Vero est bonum, hoc est Jacob.

6226. Et sedit super lecto, quod significet quod versum ad naturale, constat ex significatione lecti, quod sit naturale, de qua n: 6188: quod Israël sedit super lecto, sit quod bonum spirituale versum sit ad naturale, est quia per quod Israël incurvavit se super caput lecti, Cap: praec: XLVII, Versu ultimo, significatum sit, quod bonum spirituale verteret se ad illa quae interioris naturalis sunt, videatur n: 6188, idcirco per quod inde se removerit, et sederit super lecto, significatur quod se verterit ad naturale. Quid sit se vertere ad interius naturale, et ad exterius, non ad captum dici potest, quia paucissimi sciunt, quod naturale interius et exterius sit, et quod cogitatio nunc sit in illo nunc in hoc, et qui non hoc sciunt, nec reflectunt super

id, et proinde non per aliquid experientiae cognitionem illius rei sibi acquirere potuerunt; hoc tamen commune est apud unumquemque, sed cum differentia, nunc enim elevatur cogitatio ad illa quae sunt superiora, et nunc delabitur ad illa quae sunt inferiora, ita cogitatio hominis nunc spectat sursum, nunc deorsum. Praeterea quisque videre potest, quod Israël incurvaverit se super caput lecti, et quod dein sederit super lecto, sint res leviores quam ut memorarentur in Verbo sanctissimo, nisi involvissent arcanum; quod arcanum non nisi quam per sensum internum detegi potest, consequenter non nisi quam per cognitionem quid singulae voces significant in sensu spirituali, hoc est, in illo sensu in quo sunt angeli; nam angeli non cogitant sicut homo ex objectis mundi, corporis, et telluris, sed ex objectis coeli: inter quae qualis differentia, ex correspondentiis, de quibus ad finem plurium Capitum, imprimis patet.

6227. Vers: 3. 4. 5. 6. 7. *Et dixit Jacob ad Josephum, Deus Schaddai visus ad me in Lus in terra Canaan, et benedixit mihi. Et dixit ad me, ecce Ego fructificans te, et multiplicari faciam te, et dabo te ad Coetum populorum, et dabo terram hanc semini tuo post te possessionem aeternam. Et nunc duo filii tui nati tibi in terra Aegypti, usque ad me venire ad te Aegyptum, mihi illi, Ephraim et Menasche, sicut Ruben et Schimeon erunt mihi. Et generatio tua, quam generas post illos, tibi erunt; super nomine fratrum suorum vocabuntur in haereditate sua. Et ego in veniendo me e Paddan, moriebatur super me Rachel in terra Canaan, in via in adhuc tractus terrae ad veniendum Ephratam, et sepelivi illam ibi in via Ephrath, ea Bethlechem.* Et dixit Jacob ad Josephum, significat communicationem veri naturalis cum Interno: Deus Schaddai visus ad me in Lus in terra Canaan, significat Divinum apparens in Naturali in statu priori: et benedixit mihi, significat praedictionem de vivificatione: et dixit ad me, ecce Ego fructificans te, et multiplicari faciam te, significat vivificationem per bonum charitatis et verum fidei: et dabo te ad coetum populorum, significat incrementum in indefinitum: et dabo terram semini post te possessionem aeternam, significat Regnum Domini illis qui in bono et vero illo et nunc duo filii tui nati tibi in terra Aegypti, significat bonum et verum in naturali ab Interno:

usque ad me venire ad te Aegyptum, significat antequam verum naturalis in scientificis ibi esset: mihi illi, significat quod in me: Ephraim et Menasche, significat Ecclesiae Intellectuale et Voluntarium: sicut Reuben et Schimeon erunt mihi, significat quod erunt verum et bonum veri: et generatio tua, quam generas post illos, significat vera et bona interiora, quae postea: tibi erunt, significat quod in rationali quod ab Interno: super nomine fratrum suorum vocabuntur in haereditate sua, significat quod ex quali [4] verorum et bonorum Ecclesiae erunt, et una inter illa: et ego in veniendo me e Paddan, significat ex cognitionum statu: moriebatur super me Rachel in terra Canaan, significat finem prioris affectionis veri interioris: in via adhuc tractus terrae, significat intermedium: ad veniendum Ephratam, significat spirituale Coelestis in statu priori: et sepelivi illam in via Ephrath, significat rejectionem illius status: ea Bethlechem, significat loco illius, status novae affectionis veri et boni.

6228. Et dixit Jacob ad Josephum, quod significet communicationem veri naturalis cum Interno, constat ex significatione dicere, quod sit perceptio, de qua supra n: 6220, et quoque communicatio, de qua n: 3060. 4131, nam quod ab alio percipitur, hoc communicatur; ex repraesentatione Jacobi, quod sit verum naturalis, de qua mox supra n: 6223; et ex repraesentatione Josephi, quod sit Internum, de qua etiam supra n: 6224.

6229. Deus Schaddai visus ad me in Lus in terra Canaan, quod significet Divinum apparens in naturali [in statu priori], constat ex significatione Dei Schaddai, quod sit Divinum, Schaddai enim dicebatur Deus, qui fuit Abrahami, Jischaki, et Jacobi, n: 3667. 5628; qui quod fuerit Ipse Jehovah seu Dominus, ita Divinum, constare potest ex Genes: Cap: XXVIII: 13. 19; ex significatione visus ad me, quod sit quod apparuerit: ex significatione Lus, quod sit naturale in statu priori, de qua [n:] 4556; et ex significatione terrae Canaan, quod sit Ecclesia, de qua prius: inde patet, quod per Deus Schaddai visus ad me in Lus in terra Canaan, significetur Divinum apparens in naturali, ubi verum Ecclesiae spiritualis.

6230. Et benedixit mihi, quod significet praedictionem de

vivificatione, constat ex significatione benedicere, quod hic sit praedictio de vivificatione; nam haec benedictio erat, quod fructificaret eum, et multiplicaret eum, et daret eum in coetum populorum, et daret terram semini post eum in possessionem aeternam; quae omnia sunt praedictionis de vivificatione; non quod posteri Jacobi vivificarentur, sed quod illi qui in vero fidei et bono charitatis sunt, nam hi sunt Jacob et Israël in sensu interno.

6231. Et dixit ad me, ecce ego fructificans [te] et multiplicari faciam te, quod significet vivificationem per bonum charitatis et verum fidei, constat ex significatione fructificari, quod praedicetur de bono charitatis, et multiplicari de veris fidei, de quibus n: 43. 55. 913. 983. 2846. 2847; quia haec sunt quae vivificant hominem, dicitur vivificatio per illa.

6232. Et dabo te ad coetum populorum, quod significet incrementum in indefinitum, constat ex significatione coetus populorum, quod sint vera ex bono in indefinitum, populi enim significant vera, n: 1259. 1260. 3295, et coetus copiam; inde dare in coetum populorum, est facere ut vera copia crescant; quod in indefinitum, est quia omnia, quae in spirituali mundo, quae ab infinito procedunt, ut sunt vera et bona, in indefinitum multiplicari et crescere possint: Indefinitum dicitur, quod numero definiri et comprehendi nequit; sed usque indefinitum est finitum respective ad Infinitum, ac ita finitum, ut intercedat nulla ratio. Quod vera et bona in indefinitum crescere possint, habent ex eo, quia a Domino, Qui est Infinitus, procedunt: quod talia sint vera et bona, constare potest ex eo, quod universum coelum in vero et bono sit, et tamen non aliquis in prorsus simili; hoc etiam ita foret, si Coelum foret millies et millies majus; pariter ex eo, quod angeli perficiantur in aeternum, hoc est, continue crescant bono et vero, et tamen nusquam ad gradum alicujus perfectionis venire possint, semper enim indefinitum superest; nam vera sunt numero indefinita, et unumquodvis verum in se indefinitum habet, et sic porro. Hoc adhuc melius constare potest ab illis in natura; homines tametsi in indefinitum crescerent, usque tamen nullus eadem facie foret cum altero, nec eadem facie interna, hoc est, eodem animo cum altero, et ne quidem eodem sono loquelae; inde patet, quod om-

nium indefinita varietas sit, et quod nusquam detur unum idem cum altero; haec varietas magis indefinita est in veris et bonis quae sunt mundi spiritualis, quia unum in mundo naturali correspondet millibus et millibus in mundo spirituali; quapropter quo interiora sunt, eo indefinita magis sunt. Quod indefinita talia sint omnium in mundo spirituali, et quoque in mundo naturali, est quia existunt ab Infinito, ut supra dictum est, nisi enim inde existerent, nusquam forent indefinita; quare etiam ex indefinitis in utroque mundo, patet manifeste, quod Divinum sit Infinitum.

6233. Et dabo terram [hanc] semini post te possessionem aeternam, quod significet Regnum Domini illis qui in bono et vero illo, constat ex significatione terrae, hic terrae Canaanis, quod sit Regnum Domini, de qua n: 1607. 3038. 3481. 3705. 4240. 4447; ex significatione seminis, quod sit verum fidei et bonum charitatis, de qua n: 1025. 1447. 1610. 1940. 2848. 3038. 3310; et quod semen Abrahami, Jischaki, et Jacobi, sint qui in bonis et veris, et vocantur filii Regni, n: 3373; et ex significatione possessionis aeternae, quod sit vitam habere Domini; hi sunt filii Regni.

6234. Et nunc duo filii tui nati tibi in terra Aegypti, quod significet bonum et verum in Naturali ab Interno, constat ex repraesentatione Menaschis et Ephraimi, qui hic sunt duo filii, quod sint Ecclesiae Voluntarium et Ecclesiae Intellectuale in naturali, nata ab Interno, de qua supra n: 6222; et quia Voluntarii est bonum, et Intellectualis est Verum, per eosdem significatur Ecclesiae bonum et verum; ex significatione nati tibi, nempe Josepho, quod sint ab Interno; et ex significatione terrae Aegypti, quod sit mens naturalis, ubi scientifica Ecclesiae, de qua n: 5276. 5278. 5280. 5288. 5301; et quod sit naturale, n: 6147.

6235. Usque ad me venire ad te Aegyptum, quod significet antequam Verum naturalis in scientificis esset, constat ex significatione usque me venire ad te, quod sit antequam esset; ex repraesentatione Jacobi, qui hoc de se dicit, quod sit verum naturalis, de qua supra n: 6228; et ex significatione Aegypti, quod sint scientifica in naturali, de qua [n:] 1164. 1165. 1186. 1462. 4749. 4964. 4966. 5700. 6004; quod, per quod

Jacobus et filii ejus venerint in Aegyptum, repraesentatum sit, quod vera insinuarentur in scientifica Ecclesiae, ostensum est in binis Capitibus quae praecedunt, videatur n: 6004.

6236. Mihi illi, quod significet in Me, constat ex repraesentatione Jacobi, qui de se hoc dicit, quod sit verum naturalis, de qua sequitur; et ex repraesentatione Menasches et Ephraimi, de quibus dicit, quod sint Ecclesiae Voluntarium et Ecclesiae Intellectuale in naturali, de qua n: 5354. 6222; quod mihi illi, sint in me, est quia Jacob est verum naturalis, ita quoque naturale quoad verum, et in naturali est Intellectuale et Voluntarium, quae repraesentantur per Ephraimum et Menaschen; inde quia sunt in illo naturali, per mihi illi, significatur in me. Quod Jacob sit Naturale, in supremo sensu Divinum Naturale Domini, videatur n: 3305. 3509. 3525. 3576. 4009. 4538. 4570. 6098; et in sensu respectivo verum in naturali, ita quoque naturale quoad verum, n: 3509. 3525. 3546; [3] et quia Jacob in communi est verum in Naturali, ideo decem filii ejus sunt vera Ecclesiae ibi in particulari, n: 5403. 5419. 5427. 5458. 5512, ita etiam nunc filii Josephi. Per Pharaonem etiam repraesentatur naturale, at non quoad vera, sed quoad scientifica, quae inferiora sunt, et in quae vera initiari et insinuari possunt, quod repraesentatum est per adventum Jacobi et filiorum ejus in Aegyptum.

6237. Ephraim et Menasche, quod significet Ecclesiae Intellectuale et Voluntarium, videatur n: 5354. 6222.

6238. Sicut Reuben et Schimeon erunt mihi, quod significet quod erunt verum et bonum veri, constat ex repraesentatione Rubenis, quod sit fides intellectu, ac verum doctrinae per quod ad bonum vitae perveniri potest, de qua n: 3861. 3866, ita in genere verum quod Intellectualis; et ex repraesentatione Schimeonis, quod sit fides voluntate, proinde verum actu, quod est bonum fidei seu bonum veri, de qua n: 3869. 3870. 3871. 3872. 4497. 4502. 4503. 5626. 5630, ita in genere bonum quod est novi voluntarii: quod his similia sint, quae repraesentantur per Ephraimum et Menaschen, constat; sed quia Ruben suum repraesentativum prophanavit, n: 4601; et quoque Schimeon suum foedavit, n: 4497. 4502. 4503, ac propterea maledicti sunt, Cap: seq: Vers: 3. 4. 5. 6. 7, ideo suam primo-

genituram perdiderunt, et loco eorum pro primogenitis agniti filii Josephi, Ephraim et Menasche, I Chron: V: 1: at usque apud Rubenem et Schimeonem permansit Repraesentativum, nam perinde est, qualis persona sit quae repraesentat, n: 665. 1097 f. 4281, nempe permansit Repraesentativum fidei intellectu apud Rubenem, et Repraesentativum fidei voluntate apud Schimeonem; at apud Ephraimum fuit Repraesentativum Intellectualis Ecclesiae, et apud Menaschen Repraesentativum Voluntarii Ecclesiae.

6239. Et generatio tua quam generas post illos, quod significet vera et bona interiora, quae postea, constat ex significatione generationis, quod sint illa quae fidei et charitatis, de qua n: 613. 2020. 2584, ita vera et bona; et ex significatione post illos, quod sint Interiora quae postea: quod interiora significentur, est quia illa quae generantur ab Interno postea, sunt interiora magis; inserviunt enim ei successive illa quae prius generata sunt pro mediis perducendi illa, quae postea generantur, magis interius, nam Internum per gradus elevat naturale ad se: hoc patet a generatione omnium quae intellectualis sunt in homine, primum enim homo sensualis est, postea fit interior magis et magis, usque dum intellectualis; similiter se habet cum nova generatione, quae fit per fidem et charitatem; inde est, quod homo per gradus perficiatur: videantur quae de elevatione successiva versus interiora, cum regeneratur homo, n: 6183, dicta sunt. Quod generatio in Verbo significet illa quae sunt fidei et charitatis, est quia alia generatio, quam spiritualis, in sensu interno, intelligi nequeat; quae generatio etiam intelligitur apud Davidem „Timebunt timorem, quia Deus in *Generatione justi*" Psalm: XIV: 5; generatio justi pro veris ex bono, justitia enim praedicatur de bono. Apud Esaiam „Non laborabunt in vanum, [5] et *non generabunt* in terrorem; semen benedictorum Jehovae illi" LXV: 23. [6] Apud Eundem „Quis operatus est, et fecit, qui *vocat generationes ab initio;* Ego Jehovah primus, et cum postremis ego idem" XLI: 4. Apud Ezechielem „Negotiationes tuae, et *Generationes tuae* de terra Cananaei, pater tuus Emorraeus, et mater tua Chittaea. Quod *Generationes tuas* attinet, in die quo nata es, non abscissus fuit umbilicus tuus, et aquis non lota es ad aspectum meum" XVI: 3. 4, hic

de abominationibus Hierosolymae, ubi quod generationes sint generationes in spirituali sensu, manifeste patet. Apud Esaiam „Expergiscere juxta dies aeternitatis, *generationes aeternitatum*" LI: 9, dies aeternitatis pro statu et tempore Ecclesiae Antiquissimae, aeternitas de illa praedicatur, quia in bono amoris in Dominum fuit, de quo bono, quia immediate a Domino, dicitur aeternum; generationes aeternitatum pro bonis inde. Similiter apud Mosen „Memento dierum aeternitatis, intelligite *annos generationis* et *generationis*" Deut: XXXII: 7, dies aeternitatis pro statu et tempore Ecclesiae Antiquissimae, quae ante diluvium, et fuit Ecclesia Coelestis; anni generationis et generationis pro statu et tempore Ecclesiae Antiquae, quae post diluvium, et fuit Ecclesia spiritualis, de illis Ecclesiis ibi apud Mosen agitur. Apud Joëlem „Jehudah in aeternum sedebit, et Hierosolyma *in generationem* et *generationem*" IV: 20; aeternum praedicatur de Jehuda, quia per Jehudam repraesentatur Ecclesia coelestis, n: 3881, ac generatio et generatio praedicatur de Hierosolyma, quia per Hierosolymam significatur Ecclesia spiritualis, n: 402. Apud Esaiam „Justitia mea in aeternum erit, et salus mea *in generationem generationum*" LI: 8; ubi aeternum praedicatur de bono amoris, nam justitia dicitur de illo, n: 612. 2235; et generatio de bono fidei. Apud Davidem „Regnum tuum, Regnum omnium aeternitatum, et dominium tuum *in omnem generationem* et *generationem*" Psalm: CXLV: 13, similiter; nisi enim aeternum praedicaretur de coelesti, et generatio de spirituali, modo unum diceretur, utrumque foret repetitio inanis. Illa quae sunt status fidei, etiam significantur per quod „spurius non veniret in congregationem Jehovae *ad decimam generationem*" Deut: XXIII: 3: [6] quod „Ammonita et Moabita ne quidem *ad decimam generationem*" Deut: XXIII: 4. [6] Et quod „Edomita et Aegyptius veniret in congregationem Jehovae *ad tertiam generationem*" ibid: Vers: 9. Similiter in praecepto decalogi, quod Jehovah Deus „visitaret iniquitatem patrum super filios, *super tertiam et quartam generationem*, quantum ad osores" Exod: XX: 5. Quod generationes sint illa quae sunt fidei et charitatis, est quia in sensu spirituali non aliae intelligi queunt, quam quae sunt regenerationis seu regenerati; similiter ac nativitates, partus et conceptiones

in Verbo, quae quod sint fidei et charitatis, videatur n: 1146. 1255. 3860. 3868. 4668. 5160. 5598.

6240. Tibi erunt, quod significet quod in rationali quod in Interno, constat ex eo, quod Coeleste Internum, quod repraesentatur per Josephum, sit in Rationali, n: 4286. 4963; ac ideo per tibi erunt, significatur quod in Rationali, ut prius per *mihi illi* quod in naturali, in quo verum naturalis, quod per Jacobum repraesentatur, n: 6236. Quid Rationale, paucis dicendum; Intellectuale Interni hominis dicitur Rationale, at Intellectuale Externi hominis dicitur Naturale; ita Rationale est Internum, et Naturale Externum; suntque inter se distinctissima: sed vere Rationalis homo non est nisi quam qui coelestis homo vocatur, et qui perceptionem habet boni, et ex bono perceptionem veri; at qui non perceptionem illam habet, sed modo cognitionem, quod verum sit, quia ita instructus, ac inde conscientiam, non vere est rationalis homo, sed est homo interior naturalis; qui a spirituali Domini Ecclesia sunt, tales sunt: differunt inter se, sicut differt lumen lunae a lumine solis; quapropter etiam Dominus apparet spiritualibus ut Luna, at Coelestibus ut Sol, n: 1521. 1529. 1530. 1531. 4060. 4696. Plures in mundo putant, quod Rationalis homo sit, qui ingeniose potest ratiocinari de multis, et ratiocinia ita conjungere, ut quod concludit appareat sicut verum; sed hoc cadit etiam in pessimos, qui ratiocinari [7] possunt solerter et inducere quod mala sint bona, et quod falsa sint vera, et quoque vice versa; sed quod hoc sit phantasia prava, non autem rationale, qui reflectit, potest videre: Rationale est intus videre et percipere quod bonum sit bonum, et inde quod verum sit verum, visus enim illorum et perceptio est e coelo: quod illi qui ab Ecclesia Domini spirituali sint interius naturales, est quia id modo pro vero agnoscunt, quod a parentibus et magistris hauserunt, et postea ipsi apud se confirmarunt, et non vident intus et percipiunt num verum sit aliunde quam ex eo quod apud se id confirmarunt; aliter Coelestes; inde est quod hi sint Rationales, illi autem interius naturales. Coeleste Internum, quod repraesentatur per Josephum, est in Rationali; at Bonum Spirituale, quod repraesentatur per Israëlem, est in interiori Naturali, n: 4286; sunt enim Spirituales, qui repraesentantur per Israëlem, et Coelestes qui per Josephum.

6241. Super nomine fratrum suorum vocabuntur in haereditate sua, quod significet quod ex quali verorum et bonorum Ecclesiae erunt, et una inter illa, constat ex significatione nominis, et vocari nomine, quod sit quale, de qua n: 144. 145. 1754. 1896. 2009. 2724 3006. 3421; ex repraesentatione Ephraimi et Menasches, qui hic sunt fratres, quod sint Ecclesiae Intellectuale et Voluntarium, n: 3969. 5354. 6222, [8] ita verum et bonum, n: 6234; et ex significatione in haereditate sua, quod sit una inter illa.

6242. Et ego in veniendo me e [9] Paddan, quod significet ex cognitionum statu, constat ex significatione Paddan Aram, quod sint cognitiones veri et boni, de qua n: 3664. 3680. 4107, ita Paddan est cognitionum statûs.

6243. Moriebatur super me Rachel in terra Canaan, quod significet finem prioris affectionis veri interioris, constat ex significatione mori, quod sit desinere esse talis, de qua n: 494, et quod sit finis repraesentationis prioris, n: 3253. 3259. 3276. 5975; et ex repraesentatione Rachelis, quod sit affectio veri interioris, de qua n: 3758. 3782. 3793. 3819. [10]

6244. In via adhuc tractus terrae, quod significet intermedium, constare potest absque explicatione.

6245. Ad veniendum Ephratam, quod significet spirituale coelestis in statu priori, constat ex significatione Ephratae, quod sit spirituale coelestis in statu priori, de qua n: 4585. 4594.

6246. Et sepelivi illam in via Ephrath, quod significet rejectionem illius status, constat ex significatione sepelire, quod sit rejectio, de qua n: 4564; et ex significatione Ephratae, quod sit spirituale coelestis in statu priori, n: 6245.

6247. Ea Bethlechem, quod significet loco illius, status novae affectionis veri et boni, constat ex significatione Bethlechem, quod sit spirituale coelestis in statu novo, de qua n: 4594, ita status novae affectionis veri et boni, nam spirituale coelestis est verum boni, ita affectio veri ex bono. Quomodo cum his, quae in hoc Versu in sensu interno continentur, se habet, dicendum; agitur de rejectione prioris affectionis veri, et de receptione novae; prior affectio veri est cum regeneratur homo, at posterior, quae nova, est cum regeneratus est; in priori statu afficitur homo vero propter finem ut intelligens fiat, in

posteriori autem statu ut sapiens, seu quod idem, in priori statu afficitur vero propter doctrinam, in posteriori autem propter vitam; cum propter doctrinam, tunc ex vero spectat bonum, at cum propter vitam, ex bono spectat verum; ita est posterior status inversus prioris; quapropter prior status rejicitur, cum regeneratur homo, et posterior, qui novus, recipitur: prior etiam status respective ad posteriorem novum, est impurus, nam cum afficitur homo vero propter doctrinam ut intelligens fiat, etiam simul afficitur fama et gloria, haec affectio non potest non tunc adesse, et quoque permittitur, ut introducat, quia homo talis est; at cum afficitur vero propter vitam, tunc gloriam et famam, ut fines, rejicit, et vitae bonum, hoc est, charitatem erga proximum, amplectitur.

6248. Vers: 8. 9. *Et vidit Israël filios Josephi, et dixit, cui illi. Et dixit Joseph ad patrem suum, filii mei hi, quos dedit mihi Deus hic; et dixit, accipe illos quaeso ad me, et benedicam illis.* Et vidit Israël filios Josephi, significat apperceptionem de Ecclesiae Intellectuali et Voluntario: et dixit, cui illi, significat et de origine illorum: et dixit Joseph ad patrem suum, significat responsum ab interiori: filii mei hi, quos dedit mihi Deus hic, significat quod ab Interno in naturali: et dixit, accipe illos quaeso ad me, significat ut accedant ad [11] bonum spirituale: et benedicam illis, significat praedictionem de bono et vero.

6249. Et vidit Israël [12] filios Josephi, quod significet apperceptionem de Ecclesiae Intellectuali et Voluntario, constat a significatione videre, quod sit apperceptio, de qua n: 2150. 3764. 4403 ad 4421. 4567. 4723. 5400; et ex repraesentatione Ephraimi et Menasches, quod sint Ecclesiae Intellectuale et Voluntarium, nata ab Interno, quod Joseph, de qua n: 5354. 6222.

6250. Et dixit, cui illi, quod significet et de origine, nempe perceptio, constat ex significatione dicere, quod sit perceptio, de qua supra n: 6220; et ex significatione cui illi, quod sit de origine; interrogatio enim in sensu interno denotat cognitionem ex perceptione, videatur n: 2693. 6132.

6251. Et dixit Joseph ad patrem suum, quod significet responsum ab interiori, constare potest absque explicatione, cum

per Josephum intelligitur Internum, n: 6177; cum enim homo percipit, tunc cum inquirit apud se de aliqua re, etiam respondet sibi ab interiori; observatum etiam est, cum spiritus aliquid inquisiverunt apud me, quod ex sola intuitione in cogitationem meam responsum tulerint.

6252. Filii mei hi quos dedit mihi Deus hic, quod significet quod ab Interno in Naturali, constat ex repraesentatione Josephi, cujus filii erant, quod sit Internum, de qua n: 6177. 6224; et ex significatione terrae Aegypti, quae est hic, quod sit mens naturalis, de qua n: 5276. 5278. 5280. 5288. 5301, ita naturale.

6253. Et dixit, accipe illos quaeso ad me, quod significet ut accedant ad bonum spirituale, constat ex significatione accipere illos ad se, quod sit ut accedant; et ex repraesentatione Israëlis, ad quem accederent, quod sit bonum spirituale, de qua n: 5801. 5803. 5806. 5812. 5817. 5819. 5826. 5833.

6254. Et benedicam illis, quod significet praedictionem de bono et vero, constat ex significatione benedicere, quod sit praedictio, ut supra n: 6230, hic de bono et vero, quae per Menaschen et Ephraimum repraesentantur. Benedicere, quia est vox communissima, ita significat varia; quod etiam praedictionem tam de bonis quae contingent, quam de malis, patet in sequente Capite, ubi Israël praedixit filiis suis quid illis eveniret, quibusdam mala, ut Rubeni, Schimeoni et Levi, et quibusdam bona, ut Jehudae et Josepho; praedictio illa dicitur Benedictio in Versu 28 ibi „Hoc quod loquutus illis pater illorum, et *Benedixit illis*, cuique, quod secundum *benedictionem ejus benedixit illis;*" quod benedictio sit praedictio, constat a verbis in Versu primo illius Capitis „Vocavit Jacob filios suos, et dixit, collegimini, et *indicabo vobis quid continget vobis* in extremitate dierum."

6255. Vers: 10. 11. 12. 13. 14. *Et oculi Israëlis graves erant prae senectute, non potuit videre; et accedere fecit illos ad eum, et osculatus illos, et amplexus illos. Et dixit Israël ad Josephum, videre facies tuas non cogitavi, et ecce videre fecit mihi Deus etiam semen tuum. Et abduxit Joseph illos ex femoribus ejus, et incurvavit se ad* [13] *faciem suam terram. Et accepit Joseph ambos illos, Ephraimum in dextra sua a sini-*

stra Israëlis, et Menaschen in sinistra sua a dextra Israëlis, et accedere fecit ad eum. Et misit Israël dextram suam, et posuit super capite Ephraimi, et is minor, et sinistram suam super capite Menaschis, conversim misit manus suas, quia Menasche primogenitus. Et oculi Israëlis graves erant, significat apperceptionem obscuram ejus: prae senectute, significat quia in fine repraesentationis: non potuit videre, significat non animadvertentiam: et accedere fecit illos ad eum, significat praesentiam: et osculatus illos, significat conjunctionem ex affectione veri: et amplexus illos, significat conjunctionem ex affectione boni: Et dixit Israël ad Josephum, significat elevationem ad Internum: videre facies tuas non cogitavi, significat quod in non spe fuerit de influxu amoris ejus: et ecce, videre fecit mihi Deus etiam semen tuum, significat quod non solum influxus amoris apperceptus, sed etiam bonum et verum inde: et abduxit Joseph illos ex femoribus ejus, significat bonum voluntarii et verum intellectualis in naturali ab affectione amoris a parte boni spiritualis: et incurvavit se ad faciem suam terram, significat humiliationem illorum: et accepit Joseph ambos illos, Ephraimum in dextra sua a sinistra Israëlis, significat verum intellectualis ut secundo loco: et Menaschen in sinistra sua a dextra Israëlis, significat bonum voluntarii primo loco: et accedere fecit ad eum, significat adjunctionem: et misit Israël dextram suam, et posuit super capite Ephraimi, significat quod primo loco reputaret verum: et is minor, significat tametsi id altero loco sit: et sinistram suam super capite Menaschis, significat quod secundo loco reputaret bonum: conversim misit manus suas, significat sic non secundum ordinem: quia Menasche primogenitus, significat siquidem bonum est priori loco.

6256. Et oculi Israëlis graves erant, quod significet apperceptionem obscuram ejus, constat ex significatione oculorum, quod sit visus intellectualis, de qua n: 2701. 4403 ad 4421. 4083. 4086. [14] 4339, ut quoque videre, supra n: 6249; ex repraesentatione Israëlis, quod sit bonum spirituale in naturali, de qua supra n: 6253; et ex significatione graves esse, cum praedicatur de oculis, quod sit obscurum, ita apperceptio obscura. Quod Israël tunc fuerit in apperceptione obscura, cum benedixit filiis Josephi, est quia in fine repraesentationis erat, at in

genere, quia id bonum spirituale, quod repraesentatur per Israëlem, est in perceptione obscura, e naturali enim est, ubi dominatur lumen naturale, non autem lux coelestis, in qua est bonum spirituale et coeleste quod e rationali; externus homo, qui etiam naturalis dicitur, est talis: cum bonum spirituale e naturali dicitur, intelliguntur illi qui in illo bono sunt, nempe illi qui ab Ecclesia Domini spirituali sunt, quare etiam per Israëlem illa Ecclesia repraesentatur, n: 4286; quod spirituales, qui sunt qui ab ea Ecclesia, sint in obscuro respective, videatur n: 2708. 2715. 2716. 2718. 2831. 2849. 2935. 2937. 3246. 3833. 4402; et quia in obscuro sunt, etiam verum quod fidei primo loco ponunt, ut hic Israël, quod Ephraimum praetulerit Menaschi: causa quod spirituales ita credant, est quia per verum introducuntur ad bonum, n: 2954, et cum introducuntur, non percipiunt bonum, quia influit in affectionem veri ab interiori, ita non in apperceptionem antequam regenerati sunt: inde quoque est, quod bona charitatis vocent fructus fidei, et tamen de fructibus parum solliciti sunt illi qui statuunt quod sola fides salvet absque bonis operibus, et hoc in ultima mortis hora utcunque homo antea vixerat; quod haec obscura apperceptio de bono et vero sit, constare potest. Sed usque res ita se habet, qui praeponunt fidem charitati ex principiis a doctrina, et usque vitam charitatis vivunt, quod sint qui ab Ecclesia Domini spirituali sunt, et salvantur, nam vita praeferunt bonum charitatis, sed doctrina verum fidei.

6257. Prae senectute, quod significet quia in fine repraesentationis, constat ex significatione senectutis, quod sit novum repraesentationis, de qua n: 3254, ita finis prioris.

6258. Non potuit videre, quod significet non animadvertentiam, constat ex significatione videre, quod sit apperceptio, de qua supra n: 6249, ita quoque animadvertentia.

6259. Et accedere fecit illos ad eum, quod significet praesentiam, constat ex significatione accedere facere, quod sit praesentem sistere.

6260. Et osculatus illos, quod significet conjunctionem ex affectione veri, constat ex significatione osculari, quod sit conjunctio ex affectione, de qua n: 3573. 3574. 4215. 4353. 5929; quod sit [ex] affectione veri, est quia sequitur, quod am-

plexus illos, per quod significatur conjunctio ex affectione boni, nam amplecti est interior et inde arctior affectio quam osculari, sicut est affectio boni quam affectio veri.

6261. Et amplexus illos, quod significet conjunctionem ex affectione boni, constat ex significatione amplecti, quod sit amoris conjunctio, de qua n: 4351, ita conjunctio ex affectione boni, videatur mox supra n: 6260: quod amplecti sit illa affectio, patet manifeste ex testificatione amoris per amplexationem, est amplexatio actus qui fluit inde; habet enim omnis affectio spiritualis gestum sibi correspondentem in corpore apud hominem, qui [15] gestus est repraesentativum illius; quod etiam osculari, de qua mox supra, notum est.

6262. Et dixit Israël ad Josephum, quod significet elevationem ad Internum, constat ex significatione dicere, quod sit perceptio, et quoque influxus, de qua prius; quod sit elevatio, est quia agitur in hoc Versu de influxu amoris, et inde boni et veri ab Interno, qui influxus est elevatio ad Internum; Externum enim non potest in amore erga Internum esse, nisi per influxum et elevationem ab Interno; ipse enim amor qui sentitur in Externo, est Interni, et quia omne agens habet suum reagens seu reciprocum, ut aliquis effectus [16] fiat, et agens est causa, et reagens est causatum, idcirco est reagentia etiam agentis, sicut causatum est causae, nam vis omnis in causato est a causa; cum reactione ita se habet in singulis universae naturae.

6263. Videre facies tuas non cogitavi, quod significet quod in non spe fuerit de influxu amoris ejus, constat a significatione facierum, quod sint interiora, de qua n: 358. 2434. 3527. 3573. 4066. 4796. 4798. 5695, ita affectiones, nam hae ex facie imprimis elucent, n: 4796. 5102; inde facies Dei, est amor Divinus, proinde Misericordia, n: 5585; et ex significatione non cogitavi, quod sit in nón spe fuisse; quod sit *influxus* amoris, significatur per videre facies, ut quoque patet a mox praecedentibus et mox sequentibus.

6264. Et ecce videre fecit mihi Deus etiam semen tuum, quod significet quod non solum influxus amoris apperceptus, sed etiam bonum et verum inde, constat ex repraesensatione Menaschis et Ephraimi, qui hic sunt semen, quod sint bonum vo-

luntarii et verum intellectualis, de qua n: 5354. 6222, et quoque ex significatione seminis, quod etiam sit bonum et verum, n: 1610. 2848. 3310. 3373. 3671; et quia dicitur, quod non cogitaverit videre facies tuas, et ecce videre fecit mihi Deus, significatur quod non solum influxus amoris apperceptus, sed etiam, — [bonum et verum inde], nam quod per videre facies significetur influxus amoris, videatur mox supra n: 6263.

6265. Et abduxit Joseph illos ex femoribus [ejus], quod significet bonum voluntarii et verum intellectualis ab affectione amoris a parte boni spiritualis, constat ex repraesentatione Josephi, quod sit Coeleste Internum, de qua n: 5869. 5877; ex repraesentatione Menaschis et Ephraimi, qui hic sunt illi quos Joseph abduxit, quod sint bonum voluntarii et verum intellectualis, de qua n: 5354. 6222; ex significatione femorum, quod sit affectio amoris, de qua n: 3021. 4277. 4280. 4575. 5050 ad 5062; quod a parte boni spiritualis, est [quia] ab Israële, qui est bonum spirituale, n: 6253. Per haec significatur, quod Coeleste Internum removerit bonum voluntarii et verum Intellectualis a bono spirituali, hoc est, ab affectione amoris illius, quia Israël, per quem repraesentatur bonum spirituale, accedere fecit bonum et verum illud ad se, praeter quod adducerentur ad illum a Josepho, per quem repraesentatur Coeleste Internum, quapropter abducebantur, et dein a Josepho adducebantur, ut sequitur; causa est, quia sic influxus amoris est a Coelesti Interno per Bonum Spirituale in illa; hoc enim est secundum ordinem; et inde erat hoc Rituale Externum, cum benedicerentur, stricte observandum; sistebantur enim tunc coram Domino, a Quo Praedictio, quae hic significatur per Benedictionem, n: 6254. Inde nunc est, quod Joseph duxerit filios suos a femoribus patris sui, et ipse dein adduxerit illos illuc.

6266. Et incurvavit se ad faciem terram, quod significet humiliationem illorum, constat a significatione incurvare se ad faciem terram, quod sit humiliatio interior, de qua n: 5682; incurvatio enim talis est actus corporis correspondens humiliationi mentis, inde illi qui in adoratione Dei ex corde sunt, ita incurvant se. Incurvavit se dicitur, quia erat Josephus pro illis, non tunc coram Israële, sed coram Domino, a Quo Benedictio per Israëlem. Quod hoc a Josepho factum sit pro illis, est quia

ita se habet in Spiritualibus; bonum voluntarii et verum intellectualis in naturali non se ex se humiliare possunt coram Domino, sed ex Interno per influxum: quippe absque influxu per Internum in naturale, nihil ibi voluntatis et intellectus est, et ne quidem aliquid vitae, nam Internum est medium, per quod vita a Domino ibi.

6267. Et accepit Joseph ambos illos, Ephraimum in dextra sua a sinistra Israëlis, quod significet verum intellectualis ut secundo loco, et Menaschen in sinistra sua a dextra Israëlis, quod significet bonum voluntarii primo loco, constat ex repraesentatione Ephraimi, quod sit verum intellectualis, et ex repraesentatione Menaschis, quod sit bonum voluntarii, de qua n: 5354. 6222; et ex significatione dextrae, quod sit primo loco esse, et sinistrae quod sit secundo, ut patet ab omni usu in vita. Quomodo cum his se habet, in mox sequentibus dicetur.

6268. Et accedere fecit ad eum, quod significet adjunctionem, constat absque explicatione.

6269. Et misit Israël dextram suam, et posuit super capite Ephraimi, quod significet quod primo loco reputaret verum, constat ex significatione mittere dextram suam, quod sit reputare primo loco; quod dextra sit primo loco, patet; et ex repraesentatione Ephraimi, quod sit Intellectuale, ita quoque verum fidei, nam hoc in parte intellectuali hominis habitat, cum ibi est visus a luce coeli, ita visus spiritualis, videatur n: 6222. Quod Israël posuerit dextram super Capite Ephraimi, et sinistram super capite Menaschis, agitur in hoc Versu, et quoque in Vers: seq: 17. 18. 19; et per id significatur, quod reputaverit verum fidei primo loco, et bonum charitatis secundo; causa erat, quia spiritualis homo, qui per Israëlem repraesentatur, n: 4286. 6256, non aliter reputat, priusquam regeneratus est, sensibiliter enim animadvertit quid verum fidei, non autem quid bonum charitatis, hoc enim per viam interiorem influit, illud autem per exteriorem, prout scientificum. Qui autem non regenerantur, dicunt absolute, quod fides primo loco sit; hoc est, quod sit essentiale Ecclesiae, quia sic vivere possunt utcunque volunt, et usque dicere quod spem de salute habeant: inde etiam

hodie ita evanuit charitas, ut vix ab aliquo sciatur quid sit, consequenter etiam fides, nam unum absque altero non datur. Si Charitas primo loco foret, et fides secundo, alia facies Ecclesiae foret, nam tunc non alii dicerentur Christiani, quam qui vitam secundum verum fidei viverent, hoc est, vitam charitatis; et quoque tunc scirent quid charitas; etiam tunc non plures Ecclesias facerent, distinguendo inter illas secundum opiniones de veris fidei; sed unam dicerent, in qua essent omnes qui in bono vitae, nec modo qui intra orbem ubi Ecclesiae, sed etiam qui extra illum; Ecclesia sic in illustratione foret de talibus quae sunt Regni Domini, charitas enim illustrat, et nusquam fides absque charitate; ac errores inducti per fidem separatam, perspicue viderentur: inde patet, quae alia facies Ecclesiae foret, si bonum charitatis primo loco, hoc est, essentiale esset, et verum fidei secundo, hoc est, formale ejus: Facies Ecclesiae foret tunc, sicut facies Ecclesiae Antiquae, quae in charitate ponebat Ecclesiam, et non alia Ecclesiae doctrinalia habebat quam charitatis; inde illis sapientia a Domino: qualis fuit illa Ecclesia, describitur his verbis apud Mosen „Jehovah circumduxit illum, instruxit illum, custodivit illum, sicut pupillum oculi sui: sicut aquila excitat nidum suum, super pullis suis motitat se, expandit alas suas, accepit illum, portavit illum super ala sua: Jehovah solus duxit illum; nec cum illo Deus alienus: equitare fecit illum super excelsis terrae, et cibavit proventu agrorum, sugere fecit illum mel e rupe, et oleum e saxo petrae: butyrum armenti, et lac gregis, cum adipe agnorum, et arietum filiorum Baschanis, et hircorum, cum adipe renum tritici, et sanguinem uvae bibis merum" Deut: XXXII: 10 ad 14: quare qui ab illa Ecclesia fuerunt, in coelo sunt, et in omni ibi felicitate et gloria.

6270. Et is minor, quod significet tametsi id altero loco sit, constat ex significatione minoris natu, quod sit altero loco esse.

6271. Et sinistram suam super capite Menaschis, quod significet quod secundo loco reputaret bonum, constat ex significatione mittere sinistram suam, quod sit reputare secundo loco; et ex repraesentatione Menaschis, quod sit voluntarium, ita quoque bonum charitatis; hoc quomodo se habet, videatur mox supra, n: 6269.

6272. Conversim misit manus suas, quod significet sic non secundum ordinem, constat ex significatione conversim mittere manus, quod sit non secundum ordinem, sic enim minorem natu facit primogenitum, et vice versa, consequenter verum fidei prius et superius, et bonum charitatis posterius et inferius, primogenitura enim est prioritas et superioritas, n: 3325. Quantum mali in Ecclesia hoc introducit, manifeste constare potest, nam per id se mittunt in tale obscurum, ut non sciant quid bonum, ita nec quid verum; est enim bonum instar flammae et verum instar lucis inde, si aufers flammam, etiam perit lux, et si aliqua lux appareat, est illa sicut lux fatua quae non ex flamma; inde est, quod Ecclesiae inter se collidant, et litigent de vero, et una congregatio dicat quod id verum sit, et alia quod id falsum: et quod adhuc pejus, cum semel fidem priori loco in Ecclesiae coetu posuerunt, incipiunt dein separare fidem a charitate, et hanc respective nihili facere, et sic nihil curare vitam, ad quod homo ex natura etiam inclinat; inde perit Ecclesia; nam vita facit eam apud hominem, non autem doctrina absque vita; ita nec confidentia, quae est fides eminens, nam confidentia genuina non dabilis est quam apud illos qui in charitate sunt, vita confidentiae est inde. Praeterea, quod bonum charitatis actualiter primogenitum sit, hoc est, priori loco, et quod Verum fidei appareat sicut sit, videatur, n: 3324. 3539. 3548. 3556. 3563. 3570. 3576. 3603. 3701. 4243. 4244. 4247. 4337. 4925. 4926. 4928. 4930. 4977.

6273. Quia Menasche primogenitus, quod significet siquidem bonum est priori loco, constat ex repraesentatione Menaschis, quod sit bonum quod Voluntarii, de qua prius; et ex significatione primogeniturae, quod sit prioritas et superioritas, de qua n: 3325, ita primogenitus est qui in priori loco. Quod bonum sit priori loco, ut quoque velle hominis, et quod verum sit posteriori, ut quoque cogitare hominis, quis non hoc potest ex solo naturali lumine modo paululum illustrato videre; tum quod velle hominis faciat ut ita non aliter cogitet, consequenter quod bonum apud hominem faciat, quod hoc aut illud sit verum; sic quod verum secundo loco sit, et bonum primo; cogita et reflecte, num radicari queat verum quod fidei nisi in bono, et num fides nisi ibi radicata sit fides: inde concludere poteris,

quid est primarium aut essentiale Ecclesiae, hoc est, homini in quo Ecclesia.

6274. Vers: 15. 16. *Et benedixit Josepho, et dixit, Deus coram quo ambularunt patres mei, Abraham et Jischak, Deus pavens me ab illo me usque ad diem hunc. Angelus redimens me ab omni malo, benedicat pueris, et vocabitur in illis nomen meum, et nomen patrum meorum Abrahami et Jischaki, et crescant ad multitudinem in medio terrae.* Et benedixit Josepho, significat praedictionem de vero Intellectualis et bono Voluntarii vitam habentibus ex Interno: et dixit, Deus coram quo ambularunt patres mei, Abraham et Jischak, significat Divinum ex quo vitam habuerunt Bonum Internum et Verum Internum: Deus pavens me, significat Divinum illud vivificans Bonum Veri spiritualis e naturali: ab illo me usque ad diem hunc, significat continue: Angelus redimens me ab omni malo, significat Divinum Humanum Domini a Quo liberatio ab inferno: benedicat pueris, significat det ut illis verum et bonum: et vocabitur in illis nomen meum, significat quod in illis quale boni veri spiritualis e naturali: et nomen patrum meorum Abrahami et Jischaki, significat et quale boni et veri interni: et crescant ad multitudinem in medio terrae, significat extensionem ab intimo.

6275. Et benedixit Josepho, quod significet praedictionem de vero Intellectualis et bono Voluntarii vitam habentibus ex Interno, constat ex significatione benedicere, quod sit praedictio, de qua n: 6230. 6254; et ex repraesentatione Ephraimi et Menasches, qui hic sunt Josephus, quod sint Verum Intellectualis et bonum Voluntarii in naturali nata ab Interno, de qua n: 6234. 6249: [17] quod per Josephum intelligantur filii ejus, patet ab ipsa benedictione, in qua dicitur „Angelus redimens me ab omni malo *benedicat pueris*, et vocabitur in illis nomen meum;" et est causa, quia Bonum illud et Verum in naturali, quae repraesentantur per Menaschen et Ephraimum, sunt ipsum Internum ibi; Internum et Externum sunt quidem inter se distincta, sed in naturali, ubi simul sunt, est Internum ut in sua forma sibi adaequata, quae forma nihil ex se, sed ex Interno quod inibi, agit, ita modo agitur: se habet hoc sicut efficiens in effectu, efficiens et effectus sunt inter se distincti, sed usque est efficiens in effectu ut in sua forma sibi adaequata, et per il-

lam agit causam in sphaera ubi sistitur effectus. Similiter se habet cum bono et vero in Naturali apud hominem, quae nata sunt ab Interno, Internum enim induit se talibus quae Naturalis sunt, ut possit ibi esse, et ibi vitam agere; sed illa quibus se induit, non sunt aliud quam integumenta, quae a se prorsus nihil agunt.

6276. Et dixit, Deus coram quo ambularunt patres mei, Abraham e Jischak, quod significet Divinum a Quo vitam habuerunt Bonum Internum et Verum Internum, constat a significatione Deus, quod sit Divinum; a significatione ambulare, quod sit vivere, seu vitam habere, de qua n: 519. 1794; et a repraesentatione Abrahami, quod in supremo sensu sit Ipsum Divinum Domini, et Jischaki, quod sit Divinum Rationale Ipsius, ita Internum Humanum, Jacob enim est Divinum Naturale Domini, seu Externum Humanum Ipsius, de quibus n: 2011. 3245. 3305 f. 3439. 4615: in sensu autem repraesentativo est Abraham Bonum Internum, et Jischakus Verum Internum, n: 3703. 6098. 6185; quod haec in sensu repraesentativo significentur per Abrahamum et Jischakum, est quia ipsum illud Bonum, et Verum, quod in Regno Domini, procedunt a Divino et Divino Humano Ipsius; et faciunt ut Dominus Ipse sit ibi, ita Ipse [18] Regnum suum.

6277. Deus pavens me, quod significet Divinum illud vivificans bonum veri spiritualis e naturali, constat ex significatione pavens, quod sit vivificans; quod pascere sit instruere, videatur n: 6044, est quod pascuum sit id quod sustentat vitam Hominis spiritualem, n: 6078, sed pascere et pascuum, de quibus ibi, praedicantur de grege; at pavens hic de Jacobo, quod sustentatus cibis et necessariis vitae, per quod in sensu interno simile significatur, nam quod sustentat et vivificat vitam corporis, hoc in sensu interno, significat id quod sustentat vitam spiritualem, et eam vivificat; et ex repraesentatione Israëlis, quod sit bonum spirituale e naturali, de qua n: 5801. 5803. 5806. 5812. 5817. 5819. 5826. 5833; et quia hoc bonum, quod Israël repraesentât, est bonum veri, ideo hic dicitur bonum veri spiritualis: Israël enim in genuino sensu est Ecclesia spiritualis, et bonum quod est illius Ecclesiae, est bonum veri; instruuntur enim de Bono per Verum, et cum faciunt secundum

Verum in quo instructi sunt, tunc Verum illud vocatur Bonum; hoc bonum est Bonum quod vocatur Bonum Veri, et repraesentatur per Israëlem.

6278. Ab illo me usque ad diem hunc, quod significet continue, constat ex significatione hodie et ad diem hunc, quod sit perpetuum et aeternum, de qua n: 2838. 4304. 6165; hic itaque ab illo usque ad diem hunc, significat continue nempe vivificans, quod est pavens, n: 6277.

6279. Angelus redimens me ab omni malo, quod significet Divinum Humanum Domini a Quo liberatio ab Inferno, constat a significatione Angeli, quod sit Divinum Humanum Domini, de qua sequitur; ex significatione redimere, quod sit liberare, de qua etiam sequitur; et a significatione mali, quod sit Infernum: quod malum sit infernum, est quia ipsum infernum non est nisi quam malum; sive enim dicas, quod omnes in inferno sint mali, sive dicas quod infernum sit malum, idem est; in sensu spirituali, cum dicitur malum, intelligitur infernum, nam qui in sensu spirituali sunt, ut sunt Angeli in coelo, abstracte a personis, quia universaliter, cogitant et loquuntur, ita malum illis est infernum; similiter peccatum, cum per id intelligitur malum dominans, ut Gen: Cap: IV „Dixit Jehovah ad Cain, si non benefacis, ad januam *Peccatum* cubat, ad te desiderium ejus, et tu domineris ei" Vers: 6. 7; ibi peccatum pro inferno, quod praesto est, cum homo malum facit: ipsum etiam malum apud hominem non est nisi quam infernum, nam influit inde, et est homo tunc in minima imagine infernum, ut quoque est unusquisque ibi; sicut vicissim, ipsum bonum apud hominem, non est nisi quam coelum in illo, nam bonum per coelum influit a Domino, et est homo, qui in bono, in minima imagine coelum, ut quoque est unusquisque in coelo.

6280. Quod Angelus redimens sit Dominus quoad Divinum Humanum, constat ex eo, quod Dominus per quod assumsit Humanum, et id Divinum fecit, redemerit hominem, hoc est, liberaverit illum ab inferno; quapropter Dominus quoad Divinum Humanum suum, vocatur Redemtor. Quod Divinum Humanum dicatur Angelus, est quia per Angelum significatur Missus; et Dominus quoad Divinum Humanum dicitur Missus, ut patet a plurimis locis in Verbo Evangelistarum: et praeterea

Divinum Humanum ante adventum Domini in mundum, fuit Ipse Jehovah influens per coelum cum loquebatur Verbum; Jehovah enim supra coelos fuit, at quod ab Ipso transivit per coelos, hoc fuit tunc Divinum Humanum; nam per influxum Jehovae in coelum, retulit hominem, ac Ipsum Divinum inde, fuit Divinus Homo: hoc nunc est Divinum Humanum ab aeterno, et est quod vocatur Missum, per quod intelligitur procedens, estque hic idem ac Angelus. Sed quia Jehovah per id suum Divinum Humanum non potuit influere amplius apud homines, quia ii se in tantum removerant a Divino illo, idcirco assumsit Humanum, et hoc Divinum fecit, ac ita per influxum inde in coelum, usque ad illos in genere humano, qui reciperent bonum charitatis et Verum fidei a Divino Humano, quod ita visibile factum, pertingere potuit, et illos sic ab inferno liberare; quod aliter nusquam fieri potuit; haec liberatio est quae vocatur Redemtio, et Ipsum Divinum Humanum, quod liberavit seu redemit, quod vocatur Angelus redimens. Sed sciendum, quod Dominus quoad Divinum Humanum, sicut quoad Ipsum Divinum, sit supra coelum, nam est Sol qui illuminat coelum, ita quod Coelum sit longe infra Ipsum; Divinum Humanum, quod est in coelo, est Divinum Verum quod procedit ab Ipso, quod est Lux ab Ipso ut a Sole; Dominus quoad suam essentiam non est Divinum Verum, nam hoc est ab Ipso sicut Lux a Sole, sed est Ipsum Divinum Bonum, unum cum Jehovah. Divinum Humanum Domini, etiam aliis in locis in Verbo dicitur Angelus; ut cum apparuit Mosi in rubo, de quo ita in Exodo „Cum Moses venit ad montem Dei, ad Chorebum, *apparuit Angelus Jehovae illi* in flamma ignis e medio rubi: vidit *Jehovah* quod Moses secederet ad videndum, ideo clamavit ad illum Deus e medio rubi. Et porro dixit, *Ego sum Deus patris tui, Deus Abrahami, Deus Jischaki, et Deus Jacobi*" III: 1. 2. 4. 6; est Divinum Humanum Domini, quod ibi Angelus Jehovae vocatur, qui quod fuerit Ipse Jehovah, dicitur clare; quod Jehovah fuerit ibi in Divino Humano, constare potest ex eo, quod Ipsum Divinum non nisi quam per Divinum Humanum potuerit apparere, secundum Domini verba apud Johannem „Deum nemo vidit unquam, Unigenitus Filius, Qui in sinu Patris est, Ille exposuit" I: 18; et alibi „Neque vocem

Patris audivistis unquam, neque speciem Ipsius vidistis » V: 37. Porro, Dominus quoad Divinum Humanum dicitur Angelus, ubi agitur de ducendo populo in terram Canaanem, de quo ita in Exodo „ *Ecce Ego mitto Angelum coram te*, ad custodiendum te in via, et ad deducendum te ad locum, quem praeparavi: caveto tibi a faciebus Ipsius, quia non sustinebit praevaricationem vestram, *quoniam Nomen Meum in medio Illius est* » XXIII: 20. 21. 23; quod Angelus ibi sit Divinum Humanum, patet ex eo, quod dicatur, quoniam Nomen Meum in medio Illius est, hoc est, Ipse Jehovah; per Nomen meum significatur quale Jehovae, quod est in Divino Humano; quod Dominus quoad Divinum Humanum sit Nomen Jehovae, videatur n: 2628; et quod Nomen Dei sit quale, tum omne in uno complexu per quod colitur Deus, n: 2724. 3006. Apud Esaiam „ In omni angustia illorum, Ipsi angustia, et *Angelus facierum Ipsius* liberabit illos, ob amorem suum, et indulgentiam suam *Hic redemit illos*, et assumsit illos, et portavit illos omnibus diebus aeternitatis » LXIII: 9; quod Angelus facierum Jehovae sit Dominus quoad Divinum Humanum, patet, nam dicitur quod redemit illos. Apud Malachiam „ Ecce subito veniet ad templum suum Dominus, Quem vos quaeritis, et *Angelus foederis* Quem vos desideratis, ecce venit, inquit Jehovah Zebaoth. Quis vero sustinebit diem adventus Ipsius, et quis consistet cum apparuerit: tunc suavis erit Jehovae Minchah Jehudae et Hierosolymae, juxta dies aeternitatis, et juxta annos priores » III: 1. 2. 4, quod Angelus foederis sit Dominus quoad Divinum Humanum, manifeste constat, nam agitur de Ipsius adventu; quod tunc suavis erit Jehovae mincha Jehudae et Hierosolymae, significat, quod suavis erit tunc cultus ex amore et fide in Ipsum: quod per Jehudam ibi non intelligatur Jehudah, nec per Hierosolymam Hierosolyma, clare patet, nam nec tunc nec postea minchah Jehudae et Hierosolymae suavis fuit: quod dies aeternitatis, sint status Ecclesiae Antiquissimae, quae coelestis, et anni priores status Ecclesiae Antiquae, quae spiritualis, videatur n: 6239. Praeterea per Angelum in Verbo, in sensu interno non significatur Angelus, sed aliquod Divinum in Domino, n: 1925. 2319. [19] 2821. 3039. 4085.

6281. Quod Redimere attinet, id in proprio sensu signifi-

cat sibi restituere et appropriare, quod suum fuerat, et praedicatur de servitio, de morte, et de malo; cum de servitio, intelliguntur illi qui servi facti sunt, in sensu spirituali qui emancipati inferno; cum de morte, intelliguntur illi qui in damnatione; et cum de malo, ut hic, intelliguntur qui in inferno, nam malum, a quo Angelus redemit, est infernum, n: 6279. Quia Dominus ab illis hominem liberavit per quod Humanum in Se Divinum fecit, ideo est Divinum Humanum Ipsius, quod in Verbo vocatur Redemptor; ut apud Esaiam „Ego adjuvo te, dictum Jehovae, et *Redemptor tuus Sanctus Israëlis*" XLI: 14. Apud Eundem „Sic dixit Jehovah, *Redemptor Israëlis, Sanctus Ipsius*" XLIX: 7. 26. Apud Eundem „Jehovah Zebaoth Nomen Ipsius, et *Redemptor tuus*, *Sanctus Israëlis*, Deus totius terrae vocabitur" LIV: 5; in his locis distinguitur Ipsum Divinum, quod vocatur Jehovah, a Divino Humano, quod dicitur *Redemptor Sanctus Israëlis.* Quod autem sit Ipse Jehovah in Divino Humano, constat ab his locis, apud Esaiam „Sic dixit Jehovah Rex Israëlis, et *Redemptor illius*, *Jehovah Zebaoth*, Ego primus et Ego novissimus, et praeter Me non Deus" XLIV: 6. Apud Eundem „Sic dixit *Jehovah Redemptor tuus*, Ego Jehovah Deus tuus, docens te" XLVIII: 17. Apud Eundem „Tu Pater noster, nam Abraham non cognoscit nos, et Israël non agnoscit nos, *Tu Jehovah Pater noster Redemptor noster*, a seculo Nomen tuum" LXIII: 16. Apud Davidem „*Jehovah qui redemit* e fovea vitam tuam" [20] Psalm: CIII: 4; ex quibus locis etiam patet, quod per Jehovam in Verbo non alius intelligatur quam Dominus, n: 1343. 1736. [21] 2921. 3035. 5663; et quod Jehovah Redemptor sit Divinum Humanum Ipsius: ideo quoque qui redempti sunt vocantur Redempti Jehovae, apud Esaiam „Dicite filiae Zionis, ecce salus tua venit, ecce merces Ipsius cum Ipso, et pretium operis coram Ipso, vocabunt illos, populum sanctitatis, *Redemptos Jehovae*" LXII: 11. 12, quod Dominus sit a Quo Redempti Jehovae dicuntur, manifeste liquet, nam de adventu Ipsius dicitur, ecce salus tua venit, ecce merces Ipsius cum Ipso. Praeterea videatur Esai: XLIII: 1. [22] Cap: LII: 2. 3. Cap: LXIII: 4. 9. Hosch: XIII: 14. Exod: VI: 6. [23] Cap: XV: 13. Hiob: XIX: 25, ubi patet quod Redemptio praedicetur de servitio, et de morte, et de malo.

6282. Benedicat pueris, quod significet det ut illis verum et bonum, constat a significatione benedicere, quod sit donare vero et bono, nam benedictio in spirituali sensu non aliud involvit, n: 1420. 1422. 4981; et ex repraesentatione Ephraimi et Menasches, qui hic sunt pueri, quod sint Ecclesiae Intellectuale et Ecclesiae Voluntarium, quibus verum et bonum daretur, Intellectuali verum, et voluntario bonum.

6283. Et vocabitur in illis nomen meum, quod significet quod in illis quale boni veri spiritualis e naturali, constat ex significatione vocari nomen suum in aliquo, quod sit quale ejus in illo, de qua n: 1754. 1896. 2009. 3421; et ex repraesentatione Israëlis, quod sit bonum veri spiritualis e naturali, de qua supra n: 6277; et quia quale Israëlis erat in illis, ideo etiam inter reliquos Jacobi filios recepti sunt, et facti Tribus, una Menaschis, et altera Ephraimi, et cum illis constituebant duodecim Tribus, quando Tribus Levi quia sacerdotium facta, non numerata est, quae haereditatem sortitae sunt, de qua apud Josuam, et quoque apud Ezechielem Cap: XLVIII.

6284. Et nomen patrum meorum Abrahami et Jischaki, quod significet et quale boni et veri interni, constat a significatione nominis, quod sit quale, ut mox supra n: 6283; et ex repraesentatione Abrahami et Jischaki, quod sint Bonum et Verum Internum, de qua supra n: 6276. Internum Bonum et Verum erunt in bono et vero externo, ut haec sint bonum et verum, nam ut supra n: 6275, dictum est, non est Externum nisi formatum quoddam, tale, ut ibi Internum possit esse, et secundum influxum in se a Domino ibi agere vitam; Internum etiam nec aliud est respective ad supremum, quod est Dominus, inde omne vitae; et quae infra sunt, modo sunt formae recipientes vitae per gradus in suo ordine usque ad ultimum, quod est Corpus.

6285. Et crescant ad multitudinem in medio terrae, quod significet extensionem ab intimo, constat a significatione medii, quod sit intimum, de qua n: 2940. 2973. 6068. 6084. 6103; inde crescentia in multitudinem est extensio; vera enim, quae per multitudinem significantur, ab intimo, ut e centro, se circumcirca extendunt; et quo major extensio inde est, et haec quo melius secundum ordinem coelestem, eo perfectior status

est; hic status est qui significatur per hoc benedictionis, ut crescant ad multitudinem in medio terrae.

6286. Vers: 17. 18. 19. 20. *Et vidit Joseph, quod posuit pater ejus manum dextram suam super capite Ephraimi, et malum fuit in oculis ejus, et apprehendit manum patris sui ad removendum illam a super capite Ephraimi, super caput Menaschis. Et dixit Joseph ad patrem suum, non ita pater mi, quia hic primogenitus, pone dextram tuam super capite ejus. Et renuit pater ejus, et dixit, scio fili mi, scio, etiam hic erit ad populum, et etiam hic magnus fiet, et veruntamen frater ejus minor magnus fiet prae illo, et semen illius erit plenitudo gentium. Et benedixit illis in die hoc, dicendo, in te benedicet Israël, dicendo, ponat te Deus sicut Ephraimum et sicut Menaschen: et posuit Ephraimum ante Menaschen.* Et vidit Joseph quod posuit pater ejus dextram suam super capite Ephraimi, significat apperceptionem quod primo loco reputaret verum: et malum fuit in oculis ejus, significat displicentiam: et apprehendit manum patris sui, significat influxum in potentiam apperceptionis ejus obscurae: ad removendum illam a super capite Ephraimi super caput Menaschis, significat ad declinandum eum ab errore: et dixit Joseph ad patrem suum, non ita pater mi, quia hic primogenitus, significat influxum perceptibilem de bono quod ei prioritas: pone dextram super capite ejus, significat quod sic primo loco: et renuit pater ejus, significat non consensum: et dixit, scio, fili mi, scio, significat quod ita sit, sed quod appareat aliter: etiam hic erit in populum, et etiam hic magnus fiet, significat quod verum ex bono etiam augebitur, ita coelestis homo: et veruntamen frater ejus minor magnus fiet prae illo, significat quod bonum ex vero plus incrementi capiet, ita spiritualis homo: et semen illius erit plenitudo gentium, significat verum quod fidei regnaturum: et benedixit illis in die hoc, significat Praevidentiam et Providentiam in aeternum: dicendo, in te benedicat Israël, dicendo ponat te Deus sicut Ephraimum et sicut Menaschen, significat ut spirituale suum sit in vero intellectualis et bono voluntarii: et posuit Ephraimum ante Menaschen, significat quod primo loco reputaret verum, quia spiritualis.

6287. Et vidit Joseph quod posuit pater ejus manum dex-

tram suam super capite Ephraimi, quod significet apperceptionem quod primo loco reputaret verum, constat ex significatione videre, quod sit intelligere et appercipere, de qua n: 2150. 2807. 3764. 4567. 4723. 5400; ex repraesentatione Josephi, quod sit Coeleste Internum, de qua n: 5869. 5877. 6224; ex repraesentatione Israëlis, qui hic pater, quod sit bonum spirituale e naturali; ex significatione ponere manum dextram super capite, quod sit primo loco reputare, de qua supra n: 6269; et ex repraesentatione Ephraimi, quod sit Verum quod Intellectualis in naturali, de qua supra n: 6234. 6238. 6267; ex his patet, quod per vidit Joseph quod posuit pater ejus manum dextram suam super capite Ephraimi, significetur apperceptio Coelestis Interni quod Bonum spirituale e naturali primo loco reputaret verum, videantur quae de his supra n: 6256. 6269. 6272. 6273, dicta et ostensa sunt.

6288. Et malum fuit in oculis ejus, quod significet displicentiam, constat absque explicatione. Quod displicuerit Josepho, erat quia per eum repraesentatur Coeleste Internum, quod est supra Bonum spirituale, quod repraesentatur per Israëlem; quod superius est, hoc potest appercipere, quomodo se habet cum eo quod agitur in inferiori, ita quoque num verum sit quod ibi cogitatur, vel non; superius enim videt quae in inferioribus sunt quia e luce coeli; ita vidit Coeleste Internum, quod Joseph, quod in errore esset Bonum spirituale e naturali, quod Israël, quapropter id ei displicuit.

6289. Et apprehendit manum patris sui, quod significet influxum in potentiam apperceptionis ejus obscurae, constat a significatione apprehendere manum, quod sit influxus in potentiam apperceptionis; Internum enim cum per influxum adigere vult Externum ad aliquod cogitandum et volendum, quasi apprehendit illud, hic potentiam apperceptionis quae per manum significatur; quod manus sit potentia, videatur n: 878. 3387. 4931 ad 4937. [24] Quod apperceptio dicatur obscura, est causa, quia spirituales, qui repraesentantur per Israëlem, sunt in obscuro respective ad Coelestes, qui repraesentantur per Josephum; quod spirituales in obscuro sint respective, videatur n: 2708. 2715. 2716. 2718. 2831. 2849. 2935. 2937. 3833. [25] 4402. Quod spirituales in obscuro sint, patet manifeste ex eo,

quod antequam regenerati sunt, sint prorsus in caligine de vero et bono, et quod cum regenerantur, sit verum, quale est in doctrina Ecclesiae eorum, quod agnoscunt, cui Vero fidem habent sive id verum sit sive non verum; hoc Verum usque est quod fit Bonum apud illos cum fit voluntatis et inde vitae, et tunc est id Bonum, quod vocatur Bonum veri, tum Bonum fidei, ut et Bonum spirituale seu Bonum Ecclesiae spiritualis; quale id bonum sit quod ex tali origine, quisque potest scire, qui expendit. Sed usque Bonum ex tali Vero, etiam apud gentiles, acceptatur a Domino, dum pro principio habet charitatem erga proximum, et in charitate illa est innocentia.

6290. Ad removendum illam a super Capite Ephraimi super caput Menaschis, quod significet ad declinandum eum ab errore, constat a significatione removere, quod sit declinare; et a significatione a super capite Ephraimi super caput Menaschis, quod sit ab errore, nam error erat quod primo loco reputaret verum, et secundo bonum, ut supra ostensum est.

6291. Et dixit Joseph ad patrem suum, non ita pater mi, quia hic primogenitus, quod significet influxum perceptibilem de bono, quod ei prioritas, constat ex significatione dicere, cum praedicatur de coelesti Interno, quod hic Joseph, quod sit Influxus, de qua n: 6152, hic influxus perceptibilis, quia non solum apprehendit manum, sed etiam dixit, non ita pater mi, quia hic primogenitus.

6292. Pone dextram super capite ejus, quod significet quod sic primo loco, constat ex significatione ponere dextram super capite, quod sit primo loco reputare, ut supra n: 6269. 6287. Quod super capite posuerit manum, cum benediceret, erat ex rituali recepto ab Antiquis; in Capite enim est ipsum Intellectuale et Voluntarium hominis, in corpore autem sunt actus secundum illa et obsequium; ita ponere manum super capite erat repraesentativum quod benedictio communicaretur Intellectuali et Voluntario, ita ipsi homini: ex antiquo illo tempore idem rituale etiam hodie remanet, et in usu est in inaugurationibus, etiam in benedictionibus.

6293. [26] Et renuit pater ejus, quod significet non consensum, constat absque explicatione.

6294. Et dixit, scio, fili mi, scio, quod significet quod

ita sit, sed quod appareat aliter, constat ex significatione scire, quod hic sit scire ita esse, sed apparere aliter. Quod hoc nunc appercepit Bonum Spirituale, quod Israël, erat ex influxu Coelestis Interni, quod Joseph, de quo influxu supra n: 6289. 6291, actum est: cum Bonum spirituale in illuminatione est ex tali Influxu, tunc appercipit quod ita sit, hoc est, quod Bonum priori loco sit, et verum posteriori, et quoque quod aliter appareat; sed tunc prioritatem ponit in eo, quod verum regnaturum prae bono, ut sequitur, ac ob eam causam manum dextram retinet super capite minoris natu, et sinistram super capite primogeniti.

6295. Etiam hic erit in populum, et etiam hic magnus fiet, quod significet quod verum ex bono etiam augebitur, ita coelestis homo, constat ex significatione populi, quod sit verum, de qua n: 1259. 1260. 3581. 4619; ex significatione magnus fieri, quod sit augeri; et ex repraesentatione Menaschis de quo illa dicuntur, quod sit bonum voluntarii in naturali natum ab Interno, de qua n: 6234. 6238. 6267; quod verum ex bono sit Coelestis hominis, constat ex illis, quae prius de Coelesti homine saepe dicta et ostensa sunt; quod nempe Coelestis homo sit qui ex voluntario in bono est, et inde in vero; et quod distinguatur a spirituali homine in eo, quod hic sit ex intellectuali in vero et inde in bono; et quia Menasche est bonum Voluntarii, ideo per illum repraesentatur Coelestis homo, sed Coelestis homo externus, seu homo Ecclesiae coelestis externae, nam Menasche est bonum Voluntarii in naturali, ita in Externo homine, Josephus autem est homo Ecclesiae Coelestis internae, quia est bonum voluntarii in rationali, ita in Interno homine. Paucis etiam dicendum est de Vero boni quod est Coelestis hominis, Verum illud quidem dicitur Verum, sed est bonum: apud coelestem hominem est bonum amoris in Dominum, et bonum amoris erga proximum; bonum amoris in Dominum, est Internum ejus, at bonum amoris erga proximum est Externum ejus; quapropter qui ab Ecclesia Coelesti sunt, in Ecclesiae illius Interno sunt qui in amore in Dominum, et in Ecclesiae Externo qui in amore erga proximum, bonum hujus amoris, nempe amoris erga proximum apud coelestem hominêm, est, quod hic vocatur verum boni, et repraesentatur per Menaschen: Coelestis enim

homo est talis, ut non ratiocinetur ex vero, nec de vero, nam perceptionem ex bono, hoc est, per bonum a Domino, habet, quod ita sit vel non ita, n: 202. 337. 2715. 3246. 4448; attamen bonum charitatis apud illum, est quod vocatur verum, sed coeleste verum.

6296. Et veruntamen frater ejus minor magnus fiet prae illo, quod significet quod bonum ex vero plus incrementi capiet, ita spiritualis homo, constat ex repraesentatione Ephraimi, qui hic est frater minor, quod sit verum intellectualis in naturali natum ab Interno, de qua n: 6234. 6238. 6267; hic autem est Ephraim bonum ex vero, de quo sequitur; et ex significatione magnus fieri prae altero, quod sit plus incrementi capere. Quod Ephraim hic sit bonum ex vero, est quia repraesentat hominem Ecclesiae Spiritualis, sed hominem Ecclesiae spiritualis externae, sicut Menasche hominem Ecclesiae Coelestis externae, n: 6295: illum hominem, nempe hominem Ecclesiae spiritualis constituit bonum ex vero, Internum illius Ecclesiae est quod repraesentatur per Israëlem, Externum autem per Ephraimum. Homo Ecclesiae spiritualis differt ab homine Ecclesiae coelestis in eo, quod illius bonum implantatum sit in parte intellectuali, hujus autem bonum in parte voluntaria, videatur n: 863. 875. 895. 927. 928. 1023. 1043. 1044. 2256. 4328. 4493. 5113; idcirco Ephraim repraesentat spiritualem hominem; et Menasche coelestem. Quod bonum ex vero, seu spiritualis homo, plus incrementi capiet, quam bonum ex quo verum seu coelestis homo, est quia Voluntarium hominis continue depravatum est, et tandem ita, ut malum occupaverit totum, adeo ut non aliquid integrum ibi remanserit; ne ideo homo periret, providit Dominus, ut regenerari posset quoad partem intellectualem, et sic salvari: inde nunc est, quod pauci sint apud quos aliquid adhuc integrum est in parte voluntaria, ita pauci qui fieri Coelestes homines, sed plures qui spirituales; ita quod hi plus incrementi capient quam illi; hoc nunc est, quod significatur per quod frater ejus minor magnus fiet prae illo.

6297. Et semen illius erit plenitudo gentium, quod significet quod verum quod fidei regnaturum, constat ex significatione seminis, quod sit fides et charitas, de qua n: 1025. 1447. 1610. 1940. 2848. 3187. 3310. 3373. 3671, hic fides, quia praedi-

catur de Ephraimo; et ex significatione plenitudinis gentium, quod sit abundantia, ita quod regnaturum. Plenitudo in Verbo significat omne, et ubi non omne significat abundans, et praedicatur et de vero et de bono, nam multitudo praedicatur de vero, magnitudo autem de bono, ita plenitudo de utroque; ut apud Jeremiam „Ecce aquae ascendentes e septentrione, quae fient in flumen inundans, et inundabunt terram *et plenitudinem ejus*, urbem et habitantes in ea" XLVII: 2, terra et plenitudo pro omni, tam vero quam bono, quod est Ecclesiae; ideo adjicitur, urbem et habitantes in ea, nam per urbem significantur vera, et per habitantes bona, n: 2268. 2451. [27] 2712. Apud Ezechielem „Panem suum cum sollicitudine comedent, et aquas suas cum stupore bibent, ut devastetur *terra ejus a plenitudine sua*" XII: 19, terra pro Ecclesia, et plenitudo pro bono et vero ibi, quod utrumque significetur, patet ex illis quae praecedunt, quod panem cum sollicitudine comedent, et aquas cum stupore bibent, per panem enim significatur bonum amoris, et per aquas verum fidei, quae vocantur terrae plenitudo. Similiter apud Amos „Superbiam Jacobi et palatia ejus odi, ideo concludam urbem *et plenitudinem ejus*" VI: 8. Apud Davidem „Tui coeli, etiam tua terra, orbem [28] *et plenitudinem ejus* Tu fundasti" Psalm: LXXXIX: 12: et alibi apud Eundem „Jehovae terra *et plenitudo ejus*, orbis et habitantes in illo: Ipse super maria fundavit illum, et super flumina stabilivit illum" [Psalm:] XXIV: 1. 2; plenitudo etiam ibi pro vero et bono; terra pro Ecclesia in specie, orbis pro Ecclesia in universali sensu; quod Jehovah fundaverit orbem super maria, est super illa quae sunt scientiae, n: 28; et quod stabiliverit illum super flumina, est super illa quae sunt intelligentiae, n: 3051; quod non intelligatur, quod Jehovah orbem fundaverit super maria, et stabiliverit super flumina, quis non videre potest, nam orbis non super illis fundatus et stabilitus est; quare qui expendit, videre potest, quod per maria et per flumina aliud significetur, et quod hoc aliud sit spirituale seu Internum Verbi.

6298. Et benedixit illis in die hoc, quod significet Praevidentiam et Providentiam in aeternum, constat ex significatione benedicere, quod sit praedictio, de qua n: 6230. 6254, in supremo autem sensu Praevidentia Domini, et quia Praevidentia,

etiam est Providentia, nam una non datur absque altera, praevidetur enim malum et providetur bonum, et malum quod praevidetur, per Providentiam flectitur in bonum; quod hic benedicere sit Praevidentia et Providentia, est quia Israël, qui hic benedicit, in supremo sensu est Dominus, n: 4286; et ex significatione in die hoc, seu hodie, quod sit aeternum, de qua n: 2838. 3998. 4304. 6165.

6299. Dicendo, in te benedicet Israël, dicendo, ponat te Deus sicut Ephraimum et sicut Menaschen, quod significet ut spirituale suum sit in vero intellectualis et bono voluntarii, constat ex repraesentatione Israëlis, quod sit bonum spirituale, de qua n: 5801. 5803. 5806. 5812. 5817. 5819. 5826. 5833; et ex repraesentatione Ephraimi, quod sit verum intellectualis, ac Menaschis quod sit bonum voluntarii, de quibus supra; ut spirituale, quod Israël, sit in illis, significatur per verba „in te benedicet, et ponat te Deus." Cum hoc, quod Spirituale per Israëlem repraesentatum, sit in vero intellectualis et bono voluntarii, quae sunt Ephraim et Menasche, ita se habet; bonum spirituale, quod repraesentatur per Israëlem, est Spirituale Ecclesiae internae, at verum et bonum, quae per Ephraimum et Menaschen repraesentantur, sunt Ecclesiae externae, videatur supra n: 6296; ut Internum sit Internum Ecclesiae, necessario erit in Externo ejus, nam Externum est fundamenti loco, cui Internum insistet, et est receptaculum in quod Internum influet, inde est, quod naturale, quod est externum, necessario regenerandum sit, nam nisi id regeneratur, Internum non habet fundamentum, nec receptaculum; et si non habet fundamentum nec receptaculum, prorsus perit: id nunc est, quod intelligitur per quod spirituale suum sit in vero intellectualis et bono voluntarii. Sit pro illustratione hujus rei, hoc exemplum; ipsa affectio charitatis, nempe quod homo sentiat in se quietum ac beatum in benefaciendo proximo absque respectu ullius remunerationis, est Internum Ecclesiae; id autem velle et id agere ex vero, hoc est, quia ita in Verbo mandatum est, Externum Ecclesiae est; si Naturale, quod est Externum, non concordat, hoc est, nec id vult nec agit, quia in eo nihil remunerationis, ita nihil sui, videt, nam in naturali seu Externo homine ex haereditario et ex actuali, tale inest, tunc Internum non habet fun-

damentum, nec receptaculum correspondens, sed tale quod influxum aut rejicit aut pervertit aut exstinguit, quapropter Internum perit, nempe clauditur et obturatur, ut nihil ex coelo in naturale per Internum transpiret, praeter aliquid lucis in communi per rimas ubivis circumcirca, ut facultas sit cogitandi, volendi loquendique, sed secundum id quod in naturali est, ita pro malo et falso contra bonum et verum, ad quod sibi inservire facit id lucis spiritualis quod in communi per rimas ubivis circumcirca influit.

6300. Et posuit Ephraimum ante Menaschen, quod significet quod primo loco reputaret verum, quia spiritualis, constare potest ab illis, quae supra ad Vers: 13. 14. 17. 18. 19, explicata sunt.

6301. Vers: 21. 22. *Et dixit Israël ad Josephum, ecce ego morior, et erit Deus cum vobis, et reducet vos ad terram patrum vestrorum. Et Ego do tibi portionem unam super fratres tuos, quam sumsi e manu Emorraei gladio meo et arcu meo.* Et dixit Israël ad Josephum, ecce ego morior, significat perceptionem boni spiritualis ex Coelesti Interno de nova vita, et de fine repraesentationis: et erit Deus cum vobis, significat Providentiam Divinam Domini: et reducet vos ad terram patrum vestrorum, significat ad statum Ecclesiae utriusque Antiquae: et ego do tibi portionem unam super fratres tuos, significat quod verum Intellectualis et bonum Voluntarii plus haberet ibi: quam sumsi e manu Emorraei, significat ex victoria super malum: gladio meo, significat per verum pugnans: et arcu meo, significat ex doctrina.

6302. Et dixit Israël ad Josephum, ecce ego morior, quod significet perceptionem boni spiritualis a Coelesti Interno de nova vita, et de fine repraesentationis, constat a significatione dicere, quod sit perceptio, de qua supra n: 6220; ex repraesentatione Israëlis, quod sit bonum spirituale, de qua etiam supra n: 6225; ex repraesentatione Josephi, quod sit Coeleste Internum, de qua n: 5869. 5877; et a significatione mori, quod sit resuscitatio in vitam, de qua n: 3498. 3505. 4618. 4621. 6036. 6221, [29] et quoque quod sit finis repraesentationis prioris, n: 3253. 3259. 3276, qui finis etiam per mori hic significatur, nam cum moritur unus qui aliquid Ecclesiae repraesentave-

rat, tunc alius succedit qui repraesentationem continuat in suo ordine; ita postquam mortuus est Abraham, continuabatur in suo ordine repraesentativum in Jischako, et postea in Jacobo, et post eum in filiis ejus: similiter cum mortuus est Moses, successit repraesentativum in Josua, ac postea in judicibus ordine, usque ad Reges, et sic porro.

6303. Et erit Deus cum vobis, quod significet Providentiam Divinam Domini, constat a significatione erit Deus cum vobis, quod sit Providentia Divina Domini, nam cum Dominus est cum aliquo, tunc ducit illum, et providet, ut omnia quae contingunt, sive sint tristia sive laeta, cedant ei ad bonum, hoc est Providentia Divina. Quod dicatur Providentia Domini, est quia dicitur Deus cum vobis, et per Deum ac per Jehovam in Verbo Dominus intelligitur, non enim est alius Deus praeter Ipsum; est enim Ille Ipse Pater et est Ille Ipse Filius, nam unum sunt, Pater in Ipso est et Ipse in Patre, ut Ipse docet apud Johannem, Cap: XIV: 9. 10. 11, videatur n: 1343. 1736. 2921. 3035. 5663.

6304. [30] Et reducet vos ad terram patrum vestrorum, quod significet ad statum Ecclesiae utriusque Antiquae, constat a significatione terrae, quod sit Ecclesia, de qua n: 566. 662. 1066. 1067. 1733. 1850. 2117. 2118. 3355. 4535. 4447. 5577; et ex significatione patrum, quod sint illi qui ab Ecclesia Antiqua, et ab Ecclesia Antiquissima, de qua n: 6075. Ad statum Ecclesiae utriusque Antiquae dicitur, quia filii Israëlis, et horum posteri, sicut illi qui ab Antiquis Ecclesiis, in singulis repraesentarent Regnum Domini Coeleste et spirituale; ipsum repraesentativum etiam institutum fuit, apud Gentem Judaicam Repraesentativum Regni Coelestis, et apud populum Israëliticum Repraesentativum Regni spiritualis; sed apud generationem illam non potuit aliud quam merum Repraesentativum institui, non autem aliquid Ecclesiae aut Regni Domini, nam prorsus nihil in Repraesentativis videre et agnoscere voluerunt quam Externum, non autem aliquod Internum: ut tamen Repraesentativum existeret, et per id aliqua communicatio daretur cum coelo et per coelum cum Domino, tenebantur in Externis; et provisum tunc erat a Domino, ut communicatio daretur per solum Repraesentativum Externum absque Interno: hic status erat, ad

quem reduci potuerunt posteri Jacobi: at usque in Repraesentativis externis apud illos intus latuerunt Divina, in supremo sensu quae spectabant Divinum Humanum Domini, et in sensu respectivo, quae spectabant Regnum Domini in coelis et Ecclesiam: hic status utriusque Ecclesiae Antiquae significatur per quod Deus reducet eos ad terram patrum eorum.

6305. [31] Et ego do tibi portionem unam super fratres tuos, quod significet quod verum intellectualis et bonum voluntarii plus haberet ibi, constat ex repraesentatione Ephraimi et Menaschis, qui hic sunt Josephus, ut supra n: 6275, quod sint Verum Intellectualis et Bonum Voluntarii, de qua prius pluries; et ex significatione dare portionem unam super fratres, quod sit plus habere ibi, nempe in Ecclesia, quae per terram significatur n: 6304; quod bonum voluntarii et Verum Intellectualis plus ibi haberent, est, quia illa bina sunt essentialia Ecclesiae: ideo etiam cessit filiis Josephi primogenitura, I Chron: V: 1.

6306. Quam sumsi e manu Emorraei, quod significet ex victoria super malum, constat ex repraesentatione Emorraei, quod sit malum', de qua n: 1857; et ex significatione sumere e manu, quod sit per victoriam sibi comparare. Quod Emorraeos attinet, sciendum, quod per illos significetur malum, ut quoque per Cananaeos, et per reliquas gentes in illa terra, quae nominantur in Verbo, significantur varia genera mali ut et falsi; talia repraesentabant Gentes, cum filii Israëlis in possessionem terrae Canaanis veniebant, causa erat, ut cum filii Israëlis repraesentarent Coelestia, gentes illae repraesentarent Infernalia, et sic terra Canaan repraesentaret omnem statum alterius vitae; et quia Gentes repraesentabant infernalia, idcirco devotioni datae sunt, et cum illis, quae remanerent, vetitum erat foedus inire. Quod filii Israëlis terram illorum qui repraesentabant inferna, occuparent et inhabitarent, erat repraesentativum, quod infernales circa tempus adventus Domini occupaverint multam partem Coeli, at quod Dominus, per quod in mundum venit, et humanum in se Divinum fecit, expulerit illos inde, ac dejecerit in inferna, et ita coelum ab illis liberaverit, quod tunc in haereditatem dedit illis qui e Regno suo spirituali essent. Quod per Gentem Emorraeam repraesentatum sit malum in communi, patet ab illis locis ubi nominatur, ut apud Ezechielem „ Hiero-

solyma, negotiationes tuae et generationes tuae de terra Canaanaei; *pater tuus Emorraeus*, et mater tua Chittaea" XVI: 3. 45: quia pater in sensu interno significat bonum Ecclesiae, at in opposito sensu malum, ac mater verum Ecclesiae, at in opposito sensu falsum, ideo dicitur, pater tuus Emorraeus et mater tua Chittaea. Apud Amos „Ego perdidi *Emorraeum* coram illis, cujus sicut altitudo cedrorum altitudo, et robustus ille sicut quercus: duxi vos [32] in deserto, ad possidendum terram *Emorraei*" II: 9. 10, hic etiam Emorraeus pro malo, nam describitur malum amoris sui per altitudinem cedrorum et robur quercus: quod Emorraeus sit malum in genere, est quia terra Cananaea tota dicta fuit terra Emorraei, nam dicitur, duxi vos in deserto ad possidendum terram Emorraei. Praeterea in Libro II Regum [33] „Menasche Rex Jehudae, *malum fecit prae omni malo quod fecerunt Emorraei, qui ante eum*" XXI: 11. Gladio meo, quod significet per verum pugnans, constat a significatione gladii, quod sit verum pugnans, de qua n: 2799. 4499. Et arcu meo, quod significet ex doctrina, constat ex significatione arcus, quod sit doctrina, de qua n: 2686. [34] 2709. Quod haec verba, nempe *portio quam sumsi e manu Emorraei gladio meo et arcu meo*, ab Israële dicta sint ob sensum internum, patet manifeste, quia Jacob portionem illam ab Emorraeo non sumsit gladio, nec arcu, sed emit a filiis Chamoris, ut patet Genes: Cap: XXXIII, ubi haec verba „Venit Jacob Schalem, urbem Schechemi, quae in terra Canaan, in veniendo e Paddan-Aram; et castrametatus [35] ad facies urbis: et *emit portionem agri*, ubi tetendit tentorium suum, e manu filiorum Chamoris patris Schechemi, centum Kesithis" Vers: 18. 19; quod hic ager fuerit portio, quam dedit Josepho, constat apud Joschuam „Ossa Josephi, quae ascendere fecerunt filii Israëlis ex Aegypto, sepeliverunt in Schechemo, in parte agri, *quam emit Jacobus a filiis Chamoris*, patris Schechemi, centum Kesithis; et fuerunt filiis Josephi in haereditatem" XXIV: 32; inde patet, quod portio illa emta fuerit, et quod illa sit quae data Josepho. Quod non intellecta sit urbs Schechemi, quae ibi prope, ubi Schimeon et Levi occiderunt omnem masculum, et quam gladio ceperunt, Genes: XXXIV, constare potest ex eo, quod Jacob detestatus sit illud factum, et propterea maledixerit Schi-

meoni et Levi, et a se id facinus prorsus removerit, dicendo „*In secretum eorum ne veniat anima mea, in congregatione eorum ne uniatur gloria mea*, quia in ira sua occiderunt virum, et in beneplacito suo enervarunt bovem: maledicta ira eorum, quia vehemens, et excandescentia eorum quia dura: dividam eos in Jacobo, et dispergam eos in Israële" Cap: seq: XLIX: 5. 6. 7. Inde nunc constare potest, quod illa verba, nempe portio quam sumsi e manu Emorraei gladio meo et arcu meo, dicta ab illo sint, cum in spiritu prophetico esset, propter sensum internum.

Continuatio de Influxu et de Commercio animae et corporis.

6307. *Quod Influxus sit e mundo spirituali per Angelos et per spiritus, in affectiones et cogitationes, per multorum nunc annorum experientiam datum est scire tam manifeste, ut nihil manifestius; sensi non modo influxum quoad cogitationes, sed etiam quoad affectiones; et cum influebant mala et falsa, datum est scire, a quibus infernis illa, et cum bona et vera, a quibus angelis: hoc mihi tam familiare inde factum est, ut tandem singula cogitationum et affectionum scire potuerim, undenam essent; et tamen usque cogitationes meae fuerunt, sicut cogitationes mihi fuerant prius.*

6308. *Influxus ille fit per Spiritus et angelos: ordo Influxus est talis, quod Spiritus mali primum influant, et quod angeli dissipent illa: quod Influxus talis sit, homo non percipit, quia cogitatio ejus tenetur in libero per aequilibrationem inter binos illos influxus, et quia homo non attendit ad illa; mali nec scire possent si attenderent, quia apud illos non est aequilibrium inter malum et bonum; sed qui in bono sunt, illi id scire possunt; etiam sciunt ex Verbo, quod aliquod intus sit, quod pugnat contra malum et falsum apud illos, et quod spiritualis homo contra naturalem, ita Angeli qui in interioribus hominis et in ejus spiritualibus, contra malos spiritus qui in ejus exterioribus et naturalibus sunt; inde etiam Ecclesia*

vocatur pugnans. At malum, quod a malis spiritibus influit in cogitationem, homini nihil quicquam nocet, si non recipit illud; si enim recipit illud, et a cogitatione transfert in voluntatem, tunc id facit suum; ac tunc accedit ad partes spirituum infernalium, et recedit ab Angelis coeli: hoc est quod Dominus docet apud Marcum „quod quae ingrediuntur in hominem, non immundum illum reddant, sed quae egrediuntur, quia haec ex corde seu ex voluntate" VII: 14 *ad* 23.

6309. *Loquutus sum cum Spiritibus bonis de Interno et Externo homine, dicendo, quod mirum sit, quod pauci intra Ecclesiam credant, tametsi ex Verbo sciunt; quod Internus homo sit, distinctus ab Externo, cum tamen ex levi intuitione in cogitationem suam et voluntatem quotidie, hoc scire possunt; scilicet ex eo, quod saepe interius aliter cogitent quam exterius; et quod exterius cogitant, hoc emittant in loquelam, in faciem, et in actus, at quod interius, non ita, quod hoc alte recondant; ut familiare est apud simulatores, hypocritas et dolosos: qui in bono sunt, id scire possunt ex eo, quod cogitent non ita faciendum, semetipsos redarguendo; quibus inde constare potest, quod interior homo sit, separatus ab exteriori. Sed quod ad hoc non attendant, et si attendunt quod hoc non appercipiant, est quia vitam ponunt in corpore, et quia, cum corporeis et mundanis immergunt omne cogitationis, perit intuitio in talia, imo etiam fides quod ita sit; hoc etiam ab experientia mihi datum est scire; cum in coelesti aliqua idea essem, et inde in cogitationem de mundanis et terrestribus delaberer, tunc perierunt coelestia ita plane, ut vix agnoscerentur; causa est, quia illa quae sunt lucis coeli tenebrae fiunt, cum cadunt in illa quae sunt luminis mundi, nam in se contraria sunt: ut autem non contraria sint, regeneratur homo et quoque elevatur a sensualibus versus interiora, et quantum elevatur ab illis, tantum relinquit mala et falsa; sed elevari non potest, nisi in bono fidei et vitae sit.*

6310. *Interiora hominis distincta sunt secundum gradus per derivationes, secundum illos gradus sunt etiam Luces: Sensuale internum, quod proximum est sensualibus corporis, habet lumen crassissimum; hoc lumen mihi datum est discernere per multam experientiam; et observatum, quoties in hoc*

lumen delapsus fuerim, quod toties obvenerint falsa et mala plurium generum, imo etiam scandalosa contra Coelestia et Divina, ac praeterea spurca et foeda; causa est, quia hoc lumen dominatur in Infernis, ac Inferna per id imprimis apud hominem influunt: cum in hoc lumine est homo, est cogitatio ejus fere in simili lumine, in quo ejus visus externus, et est tunc paene in corpore: homines, qui in hoc lumine sunt, vocandi sunt SENSUALES, *nam non ultra sensualia corporis cogitant, quae ultra illa sunt, nec percipiunt nec credunt, solum id credunt quod vident et tangunt. In illo lumine sunt illi, qui interiora prorsus non excoluerunt, vivendo in neglectu et contemtu omnium quae rationalia et spiritualia sunt; et in illo lumine sunt imprimis Avari, et Adulteri, tum qui in meris voluptatibus, ac in turpi otio, vixerunt; inde hi spurca cogitant, et de sanctis Ecclesiae saepe scandalosa.*

6311. *In lumine illo sunt, ut dictum, Inferna, et in illo etiam sunt aliqui qui non ita mali sunt, qui nempe non avari, adulteri aut voluptuosi fuerunt, sed qui tales facti sunt, quia rationale suum non excoluerunt: datum est quodam diluculo videre hos spiritus; apparebant in foro, turmatim, portantes saccos in quibus materiae rudes, ponderantes illa, et deportantes. Sirenes quaedam tunc non procul erant, et audiebam illas dicentes, quod vellent ibi esse, quia vident oculis suis homines; Sirenes enim, quia fuerunt adulterae prae aliis, et quoque contra omnia coelestia et spiritualia, non videre possunt alios spiritus, quam qui in lumine sensuali sunt, quia ipsae tales sunt.*

6312. *Quia in sensuali hoc lumine Inferna sunt, ideo nisi homo ab illo elevatur, non potest non perire; elevatur per bonum fidei. Sunt etiam Inferna quae in subtiliore sphaera sunt, in illis sunt qui maligni fuerunt intus, et plures artes excogitaverunt deprivandi alios suis bonis, ac plures dolos emachinati sunt ut imperarent: sed observatum est quod haec sphaera influat in sphaeram sensualem externam, et quidem a parte tergali, ubi involuntaria hominis: inde sensualis sphaera tam valida est.*

6313. *Cum homo elevatur versus interiora, tunc a lumine crasso sensuali venit in lumen mitius, et tunc simul abducitur*

ab influxu scandalosorum et spurcorum, et adducitur propius ad illa quae justi et aequi sunt, quia propius ad angelos qui apud illum, ita propius ad lucem coeli. Elevatio haec a sensualibus nota fuerat Antiquis, etiam Gentilibus, quare Sophi eorum dixerunt, cum animus abducitur a sensualibus, quod veniat in lucem interiorem, ac simul in statum tranquillum, et in beatitudinem quandam coelestem; inde etiam illi de immortalitate animi concluserunt. Homo adhuc interius potest elevari, et quo interius, eo in lucem clariorem venit, et tandem in lucem coeli, quae Lux non est nisi quam Sapientia et Intelligentia a Domino. Tres coeli non aliter distincti sunt, quam secundum elevationes versus interiora, ita quoque secundum gradus lucis; Tertium Coelum quia est in intimis, est in maxima luce, ita in sapientia, quae multum excedit sapientiam inferiorum coelorum.

6314. *Similiter ac cum luce, se quoque habet cum calore qui homini vitalis est; calor hic vitalis prorsus non originem trahit a calore qui e sole mundi, sed a calore spirituali, qui est amor, et procedit a Domino; hic calor est angelis: inde homo quantum in amore est, tantum in calore vitali est: corpus autem est in calore mundi, et quoque sensuale interius, sed calor vitalis influit in hunc calorem, et vivificat illum: puritates et crassities ejus se similiter habent ac luces. Hic calor est, qui intelligitur per ignes sacros in Verbo, quapropter per ignes illos ibi significantur coelestes amores; ac in opposito sensu est ille calor qui intelligitur per ignes inferni, quare per ignes illos in Verbo significantur amores infernales et eorum cupiditates.*

6315. *Homo, qui in vita sua elevatus est a sensualibus per bonum fidei, is alternatim est in lumine sensuali, et in lumine interiori; cum in curis mundanis est, in consortiis ubi externa vigent, in voluptatibus, tunc in sensuali vita est; in eo statu fugit et quoque aversatur loqui et cogitare de Deo, et de illis quae fidei sunt; et si de illis tunc loqueretur et cogitaret, illa nihili faceret, nisi momento elevaretur inde versus interiora a Domino: is homo, cum non in mundanis est, sed in interiori lumine, cogitat ex justo et aequo; et si in lumine adhuc interiore, cogitat ex vero et bono spirituali. Qui in bono vitae*

est, is ab uno lumine in alterum elevatur, et in lumen interius momento cum incipit male cogitare, nam angeli ei prope sunt. Haec scire datum est per experientias, quia elevationes frequenter appercepi, et simul tunc mutationes status quoad affectiones et quoad cogitationes.

6316. *Eruditi, quod miraberis, quoad multam partem sunt sensuales, causa est, quia scientias didicerunt solum famae causa, ut promoveantur in honores, et sic in lucra, non autem fine ut sapiant: omnes enim scientiae, quae in orbe erudito sunt, sunt media sapiendi, et quoque sunt media insaniendi. Cum illi evecti sunt ad honores, dein vivunt sensuales plus quam simplices; et tunc illi simplicitatis esse credunt aliquid tribuere Divino, et non prudentiae et naturae, et reliqua fortuito.*

6317. *Fuerunt apud me Spiritus, qui cum vixerunt homines in mundo, eruditi dicti sunt; et remittebantur in statum cogitationis, in quo fuerunt cum in corpore, et communicata est mihi cogitatio eorum, et quidem de spiritibus; quae cogitatio erat talis, ut nusquam potuerint adduci ad credendum, quod Spiritus aliquo sensu gaudeat; et caetera, quae de Spiritibus seu animabus post mortem cogitaverant, erant absque omni quali: causa fuit, quia vitam posuerunt in corpore, et contra vitam spiritus seu animae suae post mortem confirmaverunt se per scientifica et philosophica, inde clauserant sibi interiora, in quae sic elevari nequicquam potuerunt: postquam se confirmaverunt contra illa quae sunt vitae post mortem, si dein verissima illis dicta essent, fuissent ad illa sicut caeci qui non vident, et sicut surdi qui non audiunt; quidam eorum etiam irrident, et hoc eo plus quo se credunt aliis sapientiores esse. Indocti autem, qui in bono fidei fuerunt, non sunt tales, nam hi per nulla scientifica ac philosophica confirmaverunt se contra illa quae Ecclesiae sunt, quapropter perceptio eorum extensior est et clarior; et quia non clauserunt interiora, in facultate sunt recipiendi bona et vera.*

6318. *Sunt etiam homines, qui plus quam sensuales sunt, qui nempe corporei, et sunt illi, qui se prorsus confirmaverunt contra Divinum, et adscripserunt omnia naturae, et sic absque ulla ratione justi et aequi, nisi solum in externa forma, vixe-*

runt: illi quia sicut bruta animalia intus sunt, tametsi ut homines appareant extus, sunt plus sensuales, et apparent sibi et aliis in altera vita sicut corporei. Illi mihi visi [36] *sunt antrorsum prope ad pedem dextrum, assurgentes ex profundo, criniti valde, et quasi duri et crassi; cum assurrexerunt, apparuit instar ensis imminentis capiti eorum: loquutus sum cum illis, et dicebant, quod appareat sibi prorsus sicut forent in corpore.*

6319. *Quod Influxum Angelorum apud hominem attinet, non est qualis homo cogitat, sed est secundum correspondentias; Angeli enim spiritualiter cogitant, at homo hoc naturaliter percipit; ita cadunt spiritualia in sua correspondentia, consequenter in sua repraesentativa, apud hominem: sicut pro exemplo, cum loquitur homo de pane, de semente, de messe, de pingui, et similibus, tunc Angelorum cogitatio est de bonis amoris et charitatis, et sic porro. Somniavi quondam somnium vulgare; cum evigilatus, narravi omnia a principio ad finem; dicebant angeli, quod prorsus coinciderent cum illis quae ii inter se loquuti sunt; non quod essent eadem quae somniavi, sed correspondentia et repraesentativa, ita singula; loquutus cum illis dein de Influxu. Coram spiritibus autem qui apud hominem, non apparent objecta, qualia homo oculis videt, nec capiuntur verba qualia homo aure audit, sed sicut cogitat homo: quod cogitatio se prorsus aliter habeat, quam loquela, constat ex eo, quod homo momento plura cogitet, quam per semihorium eloqui possit, quia cogitat abstracte a vocibus linguae. Inde aliquatenus sciri potest, quale est commercium animae cum corpore, quod nempe sit qualis est influxus mundi spiritualis in mundum naturalem; anima enim seu spiritus hominis est in mundo spirituali, et corpus in mundo naturali; ita secundum correspondentias.*

6320. *Angeli, cum influunt, etiam affectiones adjungunt, et ipsae affectiones in se continent innumerabilia; sed ex innumerabilibus illis modo recipiuntur ab homine pauca, tantum illa quae applicabilia sunt illis quae prius in memoria ejus insunt; reliqua influxus angelici illa ambiunt, et sicut in sinu tenent.*

6321. *Quod Influxus Angelicus sit, et quod absque illo*

homo non possit vivere, datum est scire per experientiam: sunt spiritus maligni, qui excogitarunt artes inhibendi Influxum angelicum, sed modo quoad aliquam partem; hoc illis permissum etiam mecum facere, ob finem ut ab experientia scirem, quod res ita se haberet; qui sicut inhibebant Influxum, ita vita cogitationis fluctuabat, et tandem erat sicut apud illos qui in deliquium cadunt; sed momento restitutus sum; et illi spiritus in infernum suum dejecti sunt: apparebant ad sinistrum in plano verticis capitis, ubi primum erant in occulto.

6322. *Secundum omnem apparentiam est, quod sensus externi, sicut visus et auditus, influant in cogitationem, et excitent ibi ideas; nam apparet quod objecta moveant sensus, primum externos, et dein internos, et quoque loquela; sed haec apparentia utcunque fortis est, usque tamen est fallacia; Externum enim, quod crassum et materiale est, non potest influere et movere Internum, quod est purum et spirituale; hoc contra naturam est. Est sensus internus, seu sensus ipsius spiritus, qui per sensum externum sentit, et disponit Sensorium externum ad recipiendum objecta secundum suos nutus;* [37] *quapropter etiam Sensoria, sicut sensorium visus seu oculus, se accommodant momento ad omnia objecta secundum quale illorum; quod in sensoriis non existeret, nisi influxus esset ab interiori; omnes enim fibrae et appendiculae, quae perplures sunt circa unumquodvis sensorium seu organum sensus, in instanti ad quale objecti convenienter determinantur; imo etiam ipsi organo infunditur momento status conformis. Fuit saepe inter Spiritus sermo de apparentia hac, et ab Angelis toties responsum, quod Influxus nullatenus fiat ab Externis in Interna, sed ab Internis in Externa; et quod hoc sit secundum ordinem, contra quem Influxus non fieri potest. Vidi bis et ter Spiritus e societate Angelica separatos, quia ex apparentia crediderunt, quod Influxus detur ab Externis in Interna, ita quod Influxus physicus et non spiritualis; causa separationis fuit, quod sic concludi potuisset, quod Inferna, quae in Externis, influere possent in Coelos, qui sunt in Internis; et quoque concludi potuisset, quod Influxus vitae non esset a Domino, cum tamen ab Ipso omne vitae influit, quia Ipse est in Intimo, et respective ad Ipsum omnia sunt Externa.*

6828. *Quod in amoris bono, quod influit a Domino per Angelos, insit omne verum, quod verum se ex se manifestaret, si homo in amore in Dominum, et in amore erga proximum, viveret, patet non modo ab illis quae in coelo existunt, sed etiam ab illis quae in inferiore natura; ex his quae in inferiore natura existunt, quia in conspectu sunt, licet adducere quae illustrant. Bruta animalia non aliter aguntur quam per amores et horum affectiones, in quas creata sunt, et postmodum nascuntur; unumquodlibet enim animal fertur, quo ejus affectio et amor trahit; et quia ita est, etiam sunt in omnibus scientificis, quae usquam illius amoris sunt; sciunt enim ex amore conjugialis aemulo, quomodo congressuri, ita pecora, et aliter aves; aves quomodo nidos facient, quomodo ova ponent, et illis incubabunt, quomodo excludent pullos, et quomodo alent illos, et haec absque ulla instructione, solum ex amore conjugialis aemulo, et ex amore erga prolem, qui in se omnia illa scientifica habent insita: similiter sciunt, quibus cibis se alent, quomodo illos quaerent; et quod magis, apes sciunt quaerere illos ex floribus varii generis, et quoque ceram colligere, ex qua cellas faciant, in quibus primum sobolem suam reponant, et dein cibos recondant, quoque sciunt prospicere sibi pro hyeme; ut taceantur perplura alia: omnia haec scientifica sunt inclusa eorum amoribus, et ibi habitant a sua prima origine; in illa scientifica nascuntur, quia in ordine suae naturae sunt, in quem creati; et tunc ex communi influxu e spirituali mundo aguntur. Si homo in ordine foret, in quem creatus, nempe in amore erga proximum, et in amore in Dominum, nam hi amores sunt homini proprii, ille prae omnibus animalibus nasceretur non modo in scientifica, sed etiam in vera omnia spiritualia et bona coelestia, et ita in omnem sapientiam et intelligentiam, nam is potest cogitare de Domino, ac Ipsi conjungi per amorem, ac sic elevari ad Divinum et aeternum, quod non possunt bruta animalia; ita homo tunc non nisi quam a communi influxu a Domino per spiritualem mundum regeretur: sed quia non in ordinem, sed contra ordinem suum nascitur, ideo nascitur in ignorantiam omnium; et quia ita, provisum est ut dein possit renasci, et sic venire in tantum*

intelligentiae et sapientiae, quantum boni, et quantum veri per bonum ex libero recipit.

6324. *Spiritus qui multum ratiocinantur in altera vita, parum percipiunt quid verum et bonum, quare nec in societates interiores angelicas admitti queunt, nam illis ibi non communicari potest aliquid intelligentiae: illi quoque inter se ratiocinati sunt de influxu omnium cogitationum et affectionum, et dicebant, si ita, nullus posset reus fieri, et luere poenam alicujus delicti; at respondebatur illis, si homo crederet sicut se res habet, quod nempe omne bonum et verum sit a Domino, et omne malum et falsum ab inferno, quod tunc non potuisset reus fieri alicujus delicti, et ei imputari malum; sed quia credit quod a se, appropriat sibi malum, nam fides hoc facit; ita malum inhaeret, nec ab illo separari potest; imo talis est homo, quod indignaturus sit, si quis diceret illum cogitare et velle ex aliis, non a se.*

6325. *Est aeterna veritas, quod Dominus regat coelum et terram; tum quod nullus a se vivat praeter Dominum, consequenter quod omne vitae influat, vitae bonum a Domino, et vitae malum ab inferno; haec fides coelorum est; cum homo est in fide illa, in qua potest esse cum in bono, tunc ei malum non potest affigi et adpropriari, quia novit quod non a se, sed ab inferno, cum homo in hoc statu est, tunc potest donari pace, nam tunc unice fidet Domino; nec pax aliis dari potest, quam qui in fide illa ex charitate sunt; nam alii conjiciunt se continue in sollicitudines et cupiditates, a quibus intranquillitates. Putant spiritus, qui semet regere volunt, quod id foret amittere suum voluntarium, ita liberum, consequenter omne jucundum, ita omnem vitam et ejus suavitatem: hoc dicunt et putant, quia non sciunt quomodo se res habet; homo enim, qui ducitur a Domino, is in ipso libero est, et sic in ipso jucundo et beato, appropriantur ei bona et vera, datur ei affectio et desiderium faciendi bonum, et tunc nihil ei felicius est, quam usus praestare; datur ei perceptio boni, etiam sensatio ejus, et datur ei intelligentia et sapientia; et haec omnia sicut ejus propria; nam tunc est recipiens vitae Domini. Notum est in orbe erudito, quod causa principalis et instrumentalis simul unam causam agat; homo quia est forma recipiens vitae Domini,*

est causa instrumentalis, vita [39] *autem ex Domino est causa principalis, haec vita sentitur in instrumentali sicut ejus, cum tamen non est ejus.*

6326. *Erat Philosophus inter celebriores et sanos, ante annos aliquot mortuus, cum quo loquutus sum de gradibus vitae in homine, dicendo, quod homo consistat ex meris formis recipiendi vitam, et quod una forma sit altera interior, sed quod una exstiterit* [39] *et subsistat ex altera; tum quod inferiore seu exteriore forma soluta, usque vivat forma superior seu interior. Porro dictum, quod omnes operationes mentis sint variationes formae, quae variationes in purioribus substantiis tali perfectione sunt, ut describi nequeant; et quod ideae cogitationis non aliud sint: et quod illae variationes existant secundum mutationes status affectionum. Quam perfectissimae variationes dantur in purioribus formis, quod concludi possit a Pulmonibus, qui ad singulas voces loquelae, ac ad singulos sonos cantus, ad singulos motus corporis, et quoque ad singulos status cogitationis et affectionis, se varie plicant et variant formas; quid non interiora, quae prae tanto viscere in perfectissimo statu sunt. Philosophus confirmavit, et vovit, quod talia ei nota fuissent cum vixit in mundo; et quod mundus philosophica ad tales usus applicaret, et non intenderet nudis vocum formulis, ac litibus de illis, et sic sudaret in pulvere.*

6327. *Continuatio ad finem Capitis sequentis.*



GENESEOS

CAPUT QUADRAGESIMUM NONUM.

1. Et vocavit Jacob filios suos, et dixit, colligimini, et indicabo vobis, quid continget vobis in postremitate dierum.

2. Congregamini, et audite filii Jacobi, et audite Israëlem patrem vestrum.

3. Reuben primogenitus meus, tu robur meum, et principium virium mearum, excellens eminentia, et excellens valore.

4. Levis sicut aqua, ne excellas, quia ascendisti cubilia patris tui, tunc prophanasti, stratum meum ascendit.

5. Schimeon et Levi fratres, instrumenta violentiae machaerae eorum.

6. In secretum eorum ne veniat anima mea, in congregatione eorum ne uniatur gloria mea, quia in ira sua occiderunt virum, et in beneplacito suo enervarunt bovem.

7. Maledicta ira eorum quia vehemens, et excandescentia eorum quia dura; dividam eos in Jacobo, et dispergam eos in Israële.

8. Jehudah tu, celebrabunt te fratres tui, manus tua in cervice hostium tuorum; incurvabunt se tibi filii patris tui.

9. Catulus leonis Jehudah, a praeda, fili mi, ascendisti, curvavit se, cubuit sicut leo, et sicut leo vetulus, quis suscitabit eum.

10. Non removebitur sceptrum a Jehudah, et legislator ab inter pedes ejus, usque dum venit Schiloh, et ei obedientia populorum.

11. Alligat ad vitem asellum suum, et ad vitem praestantem filium asinae suae: lavat in vino vestimentum suum, et in sanguine uvarum velamen suum.

12. Ruber oculis a vino, et albus dentibus a lacte.

13. Sebulun ad portum marium habitabit, et is ad portum navium, et latus ejus super ad Sidonem.

14. Jisaschar asinus osseus, cubans inter sarcinas.

15. Et videbit quietem quod bona, et terram quod amoena, et inclinabit humerum suum ad bajulandum, et erit tributo serviens.

16. Dan judicabit populum suum sicut una tribuum Israëlis.

17. Erit Dan serpens super via, serpens jaculus, super semita, mordens calcaneos equi, et cadet eques ejus retrorsum.

18. Salutem tuam expecto Jehovah.

19. Gad, turma depopulabitur illum, et is depopulabitur calcaneum.

20. Ab Aschere, pinguis panis ejus, et ille dabit delitias regis.

21. Naphthali cerva dimissa, dans sermones elegantiae.

22. Filius foecundae Joseph, filius foecundae supra fontem, filiae, incedit supra murum.

23. Et exacerbant eum, et jaculantur, et odio habent eum sagittarii.

24. Et sedebit in valido arcus sui, et roborantur brachia manuum ejus, a manibus potentis Jacobi, exinde paster, lapis Israëlis.

25. A Deo patris tui, et juvabit te, et cum Schaddai, et benedicet tibi benedictionibus coeli desuper, benedictionibus abyssi cubantis infra, benedictionibus uberum et uteri.

26. Benedictiones patris tui praevalebunt super benedictionibus genitorum meorum, usque ad desiderium collium saeculi; erunt capiti Josephi, et vertici naziraei fratrum ejus.

27. Benjamin lupus, rapiet in mane, comedet spolium, et ad vesperam dividet praedam.

28. Omnes hae Tribus Israëlis duodecim, et hoc quod loquutus illis pater illorum, et benedixit illis, cuique quod secundum benedictionem ejus benedixit illis.

29. Et praecepit illis, et dixit ad illos, ego colligor ad populum meum, sepelite me ad patres meos, ad speluncam quae in agro Ephronis Chittaei.

30. In spelunca quae in agro Machpelah, quae super fa-

cies Mamre, in terra Canaan, quam emit Abraham cum agro ex Ephrone Chittaeo ad possessionem sepulchri.

31. Ibi sepeliverunt Abrahamum, et Saram uxorem ejus, ibi sepeliverunt Jischacum et Rebeccam uxorem ejus, et ibi sepelivi Leam.

32. Emtio agri et speluncae quae in illo ex filiis Chethi.

33. Et absolvit Jacob ad praecipiendum filiis suis, et collegit pedes suos ad lectum, et exspiravit, et collectus ad populos suos.

CONTENTA.

6328. In hoc Capite in sensu interno non agitur de posteris Jacobi quid illis evenlet, sed de veris fidei et bonis amoris, quae duodecim Tribus a filiis Jacobi nominatae repraesentant et significant.

6329. Primum agitur de fide separata a charitate, quae prorsus rejicitur, illa sunt Reuben, Schimeon et Levi.

6330. Dein agitur de Ecclesia Coelesti, quae est Tribus Jehudae; et ibi in sensu supremo de Divino Humano Domini.

6331. Tum de reliquis Tribubus secundum statum boni et veri, quae repraesentant.

6332. Tandem de Ecclesia Coelesti spiritualis, quae Josephus; etiam ibi in sensu supremo de Divino Humano Domini.

SENSUS INTERNUS.

6333. Ex his quae in hoc Capite dicta sunt a Jacobo, manifeste constare potest, quod sensus alius Verbo insit, quam qui apparet in litera; dicit enim Jacob, qui tunc Israël, quod indicabit quid continget filiis suis in extremitate dierum, Vers: 1, et tamen quae indicat, et quae praedicit, non aliquid contigerat illis; ut quod posteri Reubenis, Schimeonis et Levi, prae reliquis maledicerentur, quodque Schimeon et Levi dividerentur in Jacobo, et dispergerentur in Israële, de quibus, Vers: 3. 4. 5. 6. 7; sed contigerat contrarium Levi, quod nempe benedictus fuerit, nam apud illum sacerdotium. Quod de Jehudah dicitur,

hoc nec contigerat ei, praeter quod apud illum manserit Ecclesiae repraesentativum diutius quam apud reliquos; et praeterea de eo talia dicuntur, quae nemo scire potest quid sint, nisi ex sensu alio qui interius latet, ut quod curvaret se et cubaret sicut leo, alligaret ad vitem asellum suum, ad vitem praestantem filium asinae suae, lavaret in vino vestimentum suum, in sanguine uvarum velamen suum, quod ruber oculis a vino, et albus dentibus a lacte, Vers: 9. 11. 12; haec omnia sunt talia, ex quibus unusquisque capere potest, quod aliquid insit, quod notum est in coelo, et quod homini patefieri nequit, nisi inde. Similiter se habet cum illis, quae de reliquis suis filiis Israël dixit; sicut de Sebulone, quod ad portum marium et navium habitabit, et latere ad Sidonem: de Jisaschare, quod asinus osseus cubans inter sarcinas, inclinaturus humerum ad bajulandum: de Dane quod serpens in via, serpens jaculus super semita, mordens calcaneos equi, et cadet eques ejus retrorsum; ac ita porro de reliquis: ex his manifeste constat, ut dictum, quod sensus internus sit. Verbum est datum, ut uniat coelum et terram, seu Angelos cum hominibus, quapropter ita scriptum est, ut ab Angelis spiritualiter capiatur cum ab homine naturaliter, et sic sanctum per Angelos influat, per quod fit unio: tale est Verbum tam in Historicis, quam in propheticis; sed sensus internus minus apparet in Historicis quam in Propheticis, quia Historica alio stylo conscripta sunt, sed tamen usque per significativa: Historica ideo data sunt, ut infantes et pueri initientur per illa in Verbi lectionem, nam sunt delectabilia, et sedent in animis eorum, per quae sic communicatio datur illis cum coelis, quae communicatio est grata, quia illi in statu innocentiae et charitatis mutuae sunt; haec causa est, quod Verbum historicum sit: quod Verbum propheticum sit, est quia cum id legitur, non intelligatur ab homine nisi obscure; et cum ab homine, qui talis sicut hodie, intelligitur obscure, ab angelis percipitur clare; quod mihi datum est scire a multa experientia, de qua, ex Divina Domini Misericordia, alibi.

6334. Vers: 1. 2. *Et vocavit Jacob filios suos, et dixit, colligimini, et indicabo vobis quid continget vobis in postremitate dierum. Congregamini, et audite filii Jacobi, et audite ad Israëlem patrem vestrum.* Et vocavit Jacob filios suos, signifi-

cat ordinationem verorum fidei et bonorum amoris in naturali: et dixit, colligimini, significat simul omnia in genere. et indicabo vobis quid continget in postremitate dierum, significat quale status Ecclesiae in illo ordine in quo tunc: congregamini, significat ut ipsa se ordinent: et audite filii Jacobi, significat vera et bona in naturali: et audite ad Israëlem patrem vestrum, significat praedictionem de illis a bono spirituali, in supremo sensu Praevidentiam Domini.

6335. Et vocavit Jacob filios suos, quod significet ordinanationem verorum fidei et bonorum amoris in naturali, constat a significatone vocare, quod sit ordinare, nam causa convocationis erat ut sisterentur vera fidei et bona charitatis in illa ordinatione; et a repraesentatione Jacobi et filiorum ejus, quod sint vera fidei et bona amoris in naturali, quod Jacob sint illa in communi, videatur n: 3509. 3525. 3546. [1] 3659. 3669. 3677. 3775. 3829. 4234. 4273. 4337. 5506. 5533. 5535. 6001. 6236, et quod filii ejus seu Tribus ab illis nominatae, in particulari, n: 3858. 3926. 3939. 4060. Quod ordinationem verorum fidei et bonorum amoris, quae hic significatur, et in sensu interno in hoc Capite sistitur, attinet, sciendum, quod duodecim Tribus Israëlis omnia vera et bona in uno complexu, in genere repraesentaverint, ita omnia vera et bona quae procedunt a Domino, proinde quae sunt in coelo, et ex quibus coelum; et quia omnia in genere, etiam singula in specie repraesentantur, nam genera in se continent species, sicut communia partes. Secundum bona et inde vera variantur luces in coelo, et secundum luces variantur status intelligentiae et sapientiae; inde est, quod per Urim et Thumim transmicuerit ac transvibrata fuerit lux, et quidem varie secundum statum rei de qua interrogatio fuit; hoc fiebat, quia duodecim Tribus, per quas significabantur omnia vera et bona in genere, designatae erant in Pectorali illo, seu in Urim et Thumim, singularis enim lapis pretiosus erat pro unaquavis Tribu; quod lapides pretiosi essent, erat quia significant vera spiritualia et coelestia, n: 114. 3720, et aurum, cui insculpti fuerunt, bonum, n: 113. 1551. 1552. 5658; hoc Arcanum est, quod per Urim et Thumim significatum est. Quod duodecim Tribus talia significaverint, patet a locis in Verbo, ubi nominantur, imprimis ab haereditate Tribuum in Terra Ca-

naane, de qua apud Josuam, et ab haereditate earum in Regno Domini, de qua apud Ezechielem in ultimis Capitibus, ubi de Nova Terra, Nova Hierosolyma, et de Nova Templo; et apud Johannem in Apocalypsi, Cap: VII: 4 ad 8; tum ab ordinatione earum in deserto cum castrametabantur, quae talis erat, ut per illam repraesentarent vera et bona in suo genuino ordine; inde hoc Propheticum Bileami „ Cum tolleret Bileamus oculos suos, *et videret Israëlem habitantem juxta Tribus suas*, venit super eum Spiritus Dei, et edidit enuntiatum, et dixit; quam bona sunt Tabernacula tua Jacob, Habitacula tua Israël; sicut valles plantantur, sicut horti juxta fluvium, sicut santalos plantavit Jehovah, sicut cedros juxta aquas " Num: XXIV: 2. 3. 5. 6: videantur etiam quae de Tribubus et de earum ordinationibus, n: 2129. 3858. 3862. 3926. 3939. 4060. 4603, [2] ostensa sunt.

6336. Et dixit, colligimini, quod significet simul omnia in genere, constat a significatione colligi, quod sit ut simul sint, hic omnia vera fidei et bona amoris, quae per duodecim filios Jacobi significantur, videatur mox supra n: 6335. [3]

6337. Et indicabo vobis quid continget in postremitate dierum, quod significet quale status Ecclesiae in illo ordine in quo tunc, constat ex significatione indicare quid continget, quod sit communicare et praedicere; et ex significatione postremitatis dierum, quod sit ultimum status, in quo sunt simul; dies enim sunt status, n: 23. 487. 488. 493. 893. 2788. 3462. 3785. 4850, et postremitas est ultimum, ita postremitas dierum est ultimum status, nempe in quo vera et bona in genere, cum in suo ordine, sunt simul: quod sit status Ecclesiae quae significatur, est quia vera et bona, quae repraesentantur per Jacobum et filios ejus, sunt quae constituunt Ecclesiam; idcirco per Jacobum repraesentatur Ecclesia, n: 4286. 4439. 4514. 4520. 4680. 4772. 5536. 5540: ita quoque per filios ejus, n: 5403. 5419. 5427. 5458. 5512: quod sit quale status, est quia repraesentatio verorum et bonorum Ecclesiae se habet secundum ordinem, in quo filii Jacobi aut Tribus nominantur in Verbo, videatur n: 3862. 3926. 3939; aliud enim quale significatur cum primo loco nominatur Reuben, nam cum Reuben, tunc incipit quale a fide; cum autem Jehudah, tunc incipit ab amore,

aliter cum ab alio; variatur etiam quale secundum ordinem in quo nominantur reliqui post illos; variationes inde existunt innumerabiles, imo infinitae; et magis, cum vera et bona in genere, quae per duodecim Tribus significantur, etiam variationes in specie, quodlibet innumeras, suscipiunt, inde alia facies unicuique vero et bono in genere; et adhuc magis, cum specifica illa [4] suscipiunt variationes singulares innumeras, et sic porro; quod inde existant variationes infinitae, illustrari potest a perpluribus in natura: inde nunc est, quod per duodecim Tribus aliud significetur, cum in uno ordine nominantur in Verbo, quam cum in altero; ita aliud in hoc Capite quam alibi.

6338. Congregamini, quod significet ut ipsa se ordinent, constat a significatione congregari, quod sit ordinari, congregari enim in spirituali sensu non aliud est, nam vera et bona non possunt congregari, nisi etiam ordinentur; universale enim, quod procedit a Domino, hoc facit, quoniam universale illud omnia singularia usque ad singularissima in se continet, haec simul sunt universale, quod redigit in ordinem omnia in coelis; cum universale hoc agit, apparet sicut bona et vera ipsa se ordinent, et sicut fluant sponte in ordinem; ita se habet cum universo coelo, hoc in ordine est, et continue in ordine tenetur ab universali influxu a Domino, ita quoque se habet cum societatibus in communi in coelo, et quoque cum societatibus in particulari ibi; ut primum enim congregantur Angeli seu spiritus, illico disponuntur in ordinem sicut a se, et sic constituunt societatem coelestem, quae est coeli imago; quod nusquam fieret, nisi universale, quod procedit a Domino, omnium singularissima in se contineret, et nisi omnia haec in perfectissimo ordine forent; si universale aliquod absque singularibus influeret a Deo, ut plurimi cogitant, et homo seu spiritus, seu angelus semet in singularibus regeret, tunc loco ordinis foret omnium confusio, nec foret coelum, nec infernum, nec genus humanum, imo nec natura: hoc illustrari potest a multis apud hominem, ut nisi cogitationes ejus ordinarentur universaliter et simul singulariter ab affectionibus quae amoris, nusquam potuissent illae rationaliter et analytice fluere; similiter nec actiones; tum nisi anima in universali et singulari influeret in viscera corporis, nihil ordinatum et regulare potuisset existere in corpore, at cum singulariter et

sic universaliter, tunc omnia ordinantur sicut a se. Haec dicta sunt, ut sciatur quid intelligitur per quod vera et bona se ipsa ordinent.

6339. Et audite filii Jacobi, quod significet vera et bona in naturali, constat ex repraesentatione filiorum Jacobi, quod sint vera et bona Ecclesiae in naturali, de qua supra n: 6335.

6340. Et audite ad Israëlem patrem vestrum, quod significet praedictionem de illis a bono spirituali, in supremo sensu Praevidentiam Domini, constat a significatione audire nempe quid continget in postremitate dierum, quod sit praedictionem; et a repraesentatione Israëlis, quod sit bonum spirituale, ut n: 5801. 5803. 5806. 5812. 5817. 5819. 5826. [5] 5833; et quia praedictio per audire quid continget in postremitate dierum significatur in sensu interno, significatur Praevidentia Domini in sensu supremo, nam a Praevidentia Domini est omnis praedictio. Quod dicatur quod filii Jacobi audirent ad Israëlem, significat quod illi qui ab Ecclesia sunt, audirent Dominum, hoc est, Ipsum in Verbo, quid ibi docet de veris fidei et de bonis amoris, et quid praedicit de illis qui in tali vero et bono sunt, quae significantur per unum aut alterum filium Jacobi, sicut quid docet et praedicit de illis qui in fide separata sunt a charitate, qui significantur hic per Reubenem, Schimeonem, et Levi; aut de illis, qui in bono coelesti sunt et significantur per Jehudam, tum quid de illis qui in bono spirituali, qui significantur per Josephum; ita quoque de illis qui in talibus quae significantur per reliquos.

6341. Vers: 3. 4. *Reuben primogenitus meus, tu robur meum, et principium virium mearum, excellens eminentia, et excellens valore. Levis sicut aqua, ne excellas, quia ascendisti cubilia patris tui, tunc prophanasti, stratum meum ascendit.* Reuben primogenitus meus, significat fidem quae apparenter priori loco: tu robur meum, significat quod per illam potentia bono: et principium virium mearum, significat quod per illam prima potentia vero: excellens eminentia et excellens valore, significat quod inde gloria et potestas: levis sicut aqua, significat quod fides sola non talia habeat: ne excellas, significat nec quod ei gloria et potestas: quia ascendisti cubilia patris tui, significat quia separata a bono quod charitatis foedam conjunctio-

nem habeat: tunc prophanasti, significat si conjuncta cum malo, quod prophanum: stratum meum ascendit, significat quia contaminavit bonum spirituale in naturali.

6342. Reuben primogenitus meus, quod significet fidem quae apparenter priori loco, constat ex repraesentatione Reubenis, quod sit fides intellectu, de qua n: 3861. 3866: et confessio fidei Ecclesiae, in communi, n: 4731. 4734. 4761; et ex significatione primogeniti, quod sit priori loco esse, de qua n: 3325; at quod fides sit priori loco non nisi quam apparenter, videatur n: 3539. 3548. 3556. 3563. 3570. 3576. 3603. 3701. 4925. 4926. 4928. 4930. 4977. 6256. 6269. 6273. 6272.

6343. Tu robur meum, quod significet quod per illam potentia bono, constat ex repraesentatione Rubenis, qui hic est Tu, quod sit fides intellectu, de qua mox supra n: 6342; et ex significatione roboris, quod sit potentia quae bono: quod potentiam attinet, nempe potentiam cogitandi et volendi, percipiendi, bonum faciendi, credendi, dissipandi falsa et mala, illa omnis est ex bono per verum, bonum est principale, et verum est modo instrumentale, n: 3563. [6] 4931. 5623. Quod significetur potentia quae bono, est quia robur illam potentiam significat, at vires potentiam veri, inde est, quod per principium virium mearum, ut mox sequitur, significetur prima potentia vero; vox enim, per quam exprimuntur vires in Lingua originali, in Verbo praedicatur de Vero, at vox per quam exprimitur robur, praedicatur de bono. Quod Verbum sit sanctum, ac sanctissimum in interioribus suis, patet manifeste ex eo, quod in singulis Verbi sit conjugium coeleste, nempe conjugium boni et veri, ita Coelum; et quod in intimo sensu in singulis sit conjugium Divini Humani Domini cum Regno Ipsius et Ecclesia, imo in supremo sensu quod sit unio Ipsius Divini ac Divini Humani in Domino; haec sanctissima insunt singulis Verbi; manifestum indicium, quod Verbum ex Divino descenderit: quod ita sit, constare potest ex eo, quod ubi dicitur de bono etiam dicatur de vero, et ubi dicitur de Interno etiam dicatur de Externo; sunt etiam voces, quae constanter significant bonum, et voces quae constanter verum, et voces quae utrumque tam bonum quam verum; et si non significant, usque praedicantur de illis, aut

involvunt illa, ex praedicatione et significatione istarum vocum patet, quod in singulis, ut dictum est, sit conjugium boni et veri, hoc est, conjugium coeleste, inque intimo et supremo sensu Conjugium Divinum quod in Domino, ita Ipse Dominus: hoc ubivis apparet, sed non evidenter quam in illis locis, ubi repetitiones sunt ejusdem rei, mutatis solum vocibus; sicut in hoc Capite, ubi de Rubene „Tu *robur meum*, et *principium virium mearum:* tum, *excellens eminentia* et *excellens valore*" ibi robur se refert ad bonum, et vires ad verum; ac ibi excellens eminentia se refert ad verum, et excellens valore ad bonum: pariter in sequente Versu de Rubene „*Ascendisti cubilia* patris tui, tum prophanasti, *stratum* meum *ascendit:*" similiter in sequentibus de Schimeone et Levi „Maledicta *ira eorum quia vehemens*, et *excandescentia eorum quia dura, dividam eos in Jacobo*, et *dispergam eos in Israële*" Vers: 7; ubi ira significat aversionem a bono, et excandescentia aversionem a vero; et Jacob est Externum Ecclesiae, ac Israël est Internum ejus. Tum de Jehudah „Celebrabunt te *fratres tui*, incurvabunt se tibi *filii patris tui*" Vers: 8; [7] porro „Alligat *ad vitem asellum suum*, et *ad vitem praestantem filium asinae suae.* Lavit *in vino vestimentum suum*, et *in sanguine uvarum velamen suum*" Vers: 11. De Sebulone „Ad *portum marium* habitabit, et is ad *portum navium*" Vers: 13. De Dane „Erit *serpens super via*, *serpens jaculus super semita*" Vers: 17. Similia in Psalmis et apud Prophetas frequenter occurrunt; ut apud Esaiam „Babel *non habitabitur in aeternum, non incoletur usque in generationem et generationem. Propinquum est tempus ejus*, et veniet, *et dies ejus non extrahentur*" XIII: 20. 22. Apud Eundem „Quaerite desuper in Libro Jehovae, et legite; *ullum de illis non deerit, unum alterum non desiderabunt:* nam *ore Ipse praecepit*, et *spiritus Ipsius Ipse collegit illa.* Idemque *jecit illis sortem*, et *manus distribuit illis per normam:* usque *in aeternum possidebunt illam* in *generationem et generationem habitabunt in illa*" XXXIV: 16. 17; ita in mille aliis locis: qui non scit, quod voces in Verbo significativae spiritualium et coelestium sint, et quod quaedam dicantur de bono, quaedam autem de vero, non aliter credere potest, quam quod talia sint repetitiones solum dictae ut impleant, ac ita in se inanes; inde

est, quod qui sinistre de Verbo cogitant, talia etiam referant inter argumenta contemtus; cum tamen ipsissima Divina inibi recondita sunt, nempe conjugium coeleste, quod est ipsum coelum, et Conjugium Divinum, quod est Ipse Dominus:. est hic ille sensus gloria in qua est Dominus, et sensus literalis [8] est nubes in qua illa gloria, Matth: XXIV: 30. Luc: XXI: 27; videatur Praefatio ad Genes: Cap: XVIII: tum n: 5922.

6344. Et principium virium mearum, quod significet quod per illam prima potentia vero, constat ex significatione principii virium, quod sit prima potentia, et quia vires praedicantur de vero, est prima potentia vero quae significatur, similiter ac apud Esaiam „Jehovah dat defatigato *robur*, et cui non *vires*, *potentiam* multiplicat" XL: 29, ubi robur praedicatur de bono, ac vires de vero, potentia de utroque. Quomodo intelligendum, quod per fidem potentia bono, et prima potentia vero, quae significantur per Reuben primogenitus meus, tu robur meum et principium virium mearum, paucis dicetur; omnis potentia in spirituali mundo est a bono per verum, absque bono verum prorsus nihil potest, est enim Verum sicut corpus, et bonum est illius corporis sicut anima, ut anima aliquid efficiat, erit per corpus; inde patet quod vero absque bono sit prorsus nulla potentia, sicut est prorsus nulla corpori absque anima, nam corpus tunc est cadaver, ita quoque verum absque bono: cum primum nascitur fides veri per bonum, tunc apparet potentia in vero; illa potentia est quae vocatur prima potentia vero per fidem, et significatur per principium virium; ut quoque alibi in Verbo, ubi de Primogenitura agitur, ut apud Davidem „Percussit omnem primogenitum in Aegypto, *principium virium* in tentoriis Chami," Psalm: LXXVIII: 51: et alibi „Percussit omnem primogenitum in terra eorum, *principium omnium virium*" Psalm: CV: 36. Tum in Deuteronomio „Primogenitum filium exosae agnoscet, ut det illi partes duas de omni quod invenietur illi; *eo quod ille sit principium virium ejus*, illi jus primogeniturae" XXI: 17. Quia per Primogenitum significatur in genuino sensu bonum quod charitatis, at in sensu secundum apparentiam, Verum quod fidei, n: 3325. 4925. 4926. 4928. 4930; et quia illa bina sunt Ecclesiae fundamenta, ideo ab Antiquis dictus est Primogenitus robur patris et principium

virium ejus; quod illa per Primogenitum significata sint, patet manifeste ex eo, quod Jehovae seu Domino fuerit omne Primogenitum, et quod loco omnium Primogenitorum Tribus Levi acceptata fuerit, et ei datum sacerdotium. Quid potentia vero ex bono, vix aliquis scire potest qui in mundo, sed qui in altera vita, ita ex revelatione inde; illi qui in Vero sunt ex bono, hoc est, in fide ex charitate, in potentia sunt per verum ex bono, in illa sunt omnes Angeli; unde etiam Angeli vocantur Potentiae in Verbo; sunt enim in potentia coërcendi spiritus malos, etiam unus Angelus millenos simul; potentiam suam maxime exercent apud hominem, illum tutando quandoque contra plura inferna, et hoc mille et mille modis; haec potentia illis est per verum quod fidei ex bono quod charitatis; sed quia fides illis est ex Domino, est Dominus solus qui est Potentia apud illos: haec Potentia quae per fidem est a Domino, intelligitur per verba Domini ad Petrum „Super hac petra aedificabo Ecclesiam meam; et portae inferni non praevalebunt illi: et dabo tibi claves Regni coelorum, et quicquid ligaveris in terra, erit ligatum in coelis, et quicquid solveris in terra, erit solutum in coelis" Matth: XVI: 18. 19; haec ad Petrum dicta sunt, quia per illum repraesentata est fides, videatur Praefatio ad Genes: Cap: XXII, ut et n: 3750. 4738. 6000. 6073 f; et quoque per Petrum, sicut Petrus ibi nominatur, ubivis in Verbo in sensu ejus interno significatur Fides, ac in supremo sensu Dominus quoad fidem.

6345. Excellens eminentia et excellens valore, quod significet quod inde gloria et potestas, constat ex significatione excellere eminentia, quod sit gloria, nam qui in eminentia est, in gloria est; et ex significatione excellere valore, quod sit potestas, qui enim in valore est, in potestate est: gloria ibi se refert ad verum quod fidei, n: 5922, et potestas ad bonum quod charitatis; idcirco dicitur, quod *inde* gloria et potestas, nempe ex vero fidei et bono charitatis, de quibus mox supra.

6346. Levis sicut aqua, quod significet quod sola fides talia non habeat, nempe non gloriam nec potestatem, constat ex significatione levis esse sicut aqua, quod sit nullius ponderis seu valoris esse; quod sit sola fides, hoc est, fides separata a charitate, patet ex illis quae sequuntur de Reubene ac de Schimeo-

ne et Levi; agitur etiam hic per Reubenem, Schimeonem et Levi, de fide separata seu sola.

6847. Ne excellas, quod significet nec quod ei gloria et potestas, constat a significatione non excellere, nempe eminentia et valore, ut mox supra, ad quae hoc se refert, quod non sit tali fidei gloria nec potestas.

6848. Quia ascendisti cubilia patris tui, quod significet quia separata a bono quod charitatis foedam conjunctionem habet, constat ex significatione ascendere cubilia patris, quod sit foedam conjunctionem habere, nempe fides separata a bono quod charitatis; fides enim doctrina seu intellectu, quae hic per Reubenem repraesentatur, si non initiatur in bonum et ei conjungitur, vel dissipatur et nulla fit, vel initiatur et conjungitur malo ac falso, quod est foeda conjunctio quae significatur, tunc enim fit prophanum: quod ita sit, constare potest ex eo, quod fides non alibi possit habitaculum habere quam in bono, et si non ibi habitaculum habet, necessum est ut vel nulla fiat, vel ut conjungatur malo: hoc patet manifeste ex illis in altera vita, qui in sola fide et in nulla charitate fuerunt, quod dissipetur ibi fides, at si conjuncta est cum malo, quod sortem cum prophanis accipiant. In Verbo per adulteria in sensu interno significantur adulterationes boni, et per scortationes falsificationes veri, n: 2466. 8899; at per foedas conjunctiones, quae vocantur gradus prohibiti, de quibus Levit: Cap: XVIII, Vers: 6 ad 24, significantur prophanationum varia genera; quod hic quoque prophanatio, patet, nam dicitur, ascendisti cubilia patris tui, *tunc prophanasti,* stratum meum ascendit; quod sit prophanatio boni per fidem separatam, videatur n: 4601, ubi de nefando illo facto Reubenis agitur. Cum fide sola seu separata a charitate ita se habet; si conjungitur illa malo, quod fit cum primum creditur vero quod fidei, et magis cum primum vivitur secundum illud, ac deinceps negatur et vivitur contra illud, tunc fit prophanum, nam verum quod fidei et bonum quod charitatis per doctrinam et vitam primum irradicata sunt in interioribus, et postmodum illa inde evocantur et conjunguntur malo; homini, apud quem hoc fit, sors omnium pessima est in altera vita, non enim apud talem potest separari bonum a malo, quae tamen separantur in altera vita; nec talis habet aliquas reliquias boni in

interioribus suis reconditas, quia in malo prorsus perierunt; infernum illorum est a parte anteriore sinistrorsum ad multam distantiam; et qui ibi sunt, apparent ad visum angelicum sicut sceleta, vix alicujus vitae. Ne itaque prophanatio boni et veri fiat, homo, qui talis est ut non patiatur se regenerari, quod praevidetur a Domino, detinetur a fide et charitate, et ei permittitur ut in malo sit et inde in falso: tunc enim non prophanare potest; videantur quae prius de prophanatione dicta et ostensa sunt, n: 301. 302. 303. 571. 582. 593. 1001. 1008. 1010. 1059. 1327. 1328. 2051. 2426. 3398. 3399. 3402. 3489. 3898. 4289. 4601.

6349. Tunc prophanasti, quod significet si conjuncta cum malo quod prophanum, constat ab illis quae mox supra n: 6348, dicta sunt.

6350. Stratum meum ascendit, quod significet quod contaminaret bonum spirituale in naturali, constat ex significatione stratum ascendere, quod sit contaminare prophanando, de qua mox supra n: 6348; et ex repraesentatione Israëlis, cujus stratum erat quod ascendit, quod sit bonum spirituale in naturali, de qua n: 6340.

6351. Vers: 5. 6. 7. *Schimeon et Levi fratres, instrumenta violentiae machaerae eorum. In secretum eorum ne veniat anima mea, in congregatione eorum ne uniatur gloria mea, quia in ira sua occiderunt virum, et in beneplacito suo enervarunt bovem. Maledicta ira eorum quia vehemens, et excandescentia eorum quia dura; dividam eos in Jacobo, et dispergam eos in Israële.* Schimeon et Levi fratres, significat fidem voluntate et charitatem, hic contrarium, quia fidem separatam a charitate: instrumenta violentiae machaerae eorum, significat quod doctrinalia serviant ad destruendum opera charitatis, ita ipsam charitatem: in secretum eorum ne veniat anima mea, significat quod bonum spirituale non scire velit mala quae voluntatis eorum: in congregatione eorum ne uniatur gloria mea, significat quod nec verum boni spiritualis scire velit falsa cogitationis eorum inde: quia in ira sua occiderunt virum, significat quod se averterint prorsus, et in aversione exstinxerint fidem: et in beneplacito suo enervarunt bovem, significat quod ex prava voluntate prorsus debilitaverint bonum externum quod cha-

ritatis: maledicta ira eorum quia vehemens, significat aversionem gravem a bono et inde damnationem: et excandescentia eorum quia dura, significat aversionem a vero inde, quod confirmata: [9] dividam eos in Jacobo, significat quod a naturali homine exterminanda: et dispergam eos in Israële, significat quod a spirituali.

6352. Schimeon et Levi fratres, quod significet fidem voluntate et charitatem, hic contrarium, quia fidem separatam a charitate, constat a repraesentatione Schimeonis, quod sit fides voluntate, de qua n: 3869. 3870. 3871. 3872. 4497. 4502. 4503. 5482. 5626. 5630; et a repraesentatione Levi, quod sit charitas, de qua n: 3875. 3877, hic autem contrarium, quia fidem separatam a charitate, cum enim per Reubenem illa fides repraesentatur, ut patet ab illis quae ad Vers: 4 explicata sunt, sequitur quod nulla fides voluntate sit, ita nec ulla charitas, quae repraesentantur per Schimeonem et Levi, sequuntur enim haec in serie a suo principio; quapropter per Schimeonem repraesentatur falsum voluntate, et per Levi malum actu, haec enim opposita sunt fidei voluntate et charitati; quod haec significentur, patet ex eo, quod Schimeon et Levi maledicantur.

6353. Instrumenta violentiae machaerae eorum, quod significet quod doctrinalia serviant ad destruendum opera charitatis, ita ipsam charitatem, constat a significatione instrumentorum violentiae, quod sint quae inserviunt ad destruendum charitatem, quod instrumenta sint quae inserviunt, patet, et quod violentia sit destructio charitatis, mox videbitur; et ex significatione machaerarum, quod sint doctrinalia; gladii enim sunt vera fidei, per quae contra falsa et mala pugnatur, n: 2799, ita machaerae sunt doctrinalia, hic doctrinalia per quae pugnatur contra verum et bonum, et per quae haec exstinguuntur, quia ab illis qui in sola fide, seu in fide separata a charitate, apud quos contrarium est. Doctrinalia eorum, qui in sola fide, ex quibus destruunt opera charitatis, sunt praecipue, quod doceant salvari hominem per fidem solam absque operibus charitatis, et quod haec non necessaria sint, quodque homo per solam fidem salvetur, etiam in ultima mortis hora, utcunque per totum vitae curriculum vixerat, ita qui non nisi quam crudelia exercuerunt, qui latrocinia, qui adulteria, qui prophana;

ac inde, quod salvatio sit modo intromissio in coelum, ita quod non intromittantur nisi qui illam gratiam acceperunt in fine vitae suae, ac ita quod quidam ex Misericordia electi sint, et quidam ex immisericordia damnati; cum tamen a Domino nulli negetur coelum, sed vita et communicatio vitae, quae sentitur ibi sicut a subjectis odor in terra, facit ut nequaquam ibi esse possint, cruciantur enim a malo vitae suae ibi, plus quam in profundissimo inferno. Quod Machaera significet falsum pugnans et occidens, patet apud Johannem „Exivit alius equus rufus, et sedenti super eo, datum est, ut auferret pacem de terra, *ut se invicem occiderent,* unde *illi data est machaera magna.*" Apoc: VI: 4. [10] Apud Eundem „Si quis *machaera occidit*, oportet illum *machaera occidi*" Apoc: XIII: 10. 14. Quod violentia sit vis quae infertur charitati, liquet a pluribus locis in Verbo; ut apud Esaiam „*Desinet violentus,* et consumetur irrisor, exscindentur omnes maturantes iniquitatem, [11] qui peccare faciunt hominem in Verbo, et corripientem in porta illaqueant, et declinare faciunt in inane justum" [12] XXIX: 20. 21, hic violentus alia voce in Lingua originali, sed quae similis significationis est; quod violentus sit qui vim infert charitati, significatur per quod peccare faciant hominem in verbo, et declinare faciant justum. [13] Apud Eundem „Opera eorum opera iniquitatis, et *factum violentiae in manibus eorum;* pedes eorum ad malum currunt, et festinant *ad effundendum sanguinem innocentem*" LIX: 6. 7, hic violentia pro vi illata charitati, quae vis quod etiam significetur per effundere sanguinem, videatur n: 374. 1005. Apud Eundem „*Non erit amplius violentia in terra,* vastatio et confractio in terminis tuis" LX: 18, violentia pro destructione Charitatis, inde enim vastatio et confractio in terra, hoc est, in Ecclesia. Apud Jeremiam „*Violentiam* et vastationem praedico, nam factum est Verbum Jehovae mihi opprobrio et ignominiae toto die" XX: 8, violentia etiam ibi pro violentia in spiritualibus, ita pro destructione charitatis, ut et fidei. Apud Ezechielem „Terra plena est *judicio sanguinum,* et urbs *plena violentia*" VII: 23, judicium sanguinum pro destructione fidei, violentia pro destructione charitatis. Apud Eundem „Si genuerit *filium violentum, effusorem sanguinis*, qui fecerit unum de ullo eorum; si ille super montibus comederit,

et uxorem socii polluerit, miserum et egenum oppresserit, rapinas rapuerit, pignus non restituerit, et ad idola sustulerit oculos suos, abominationem fecerit, in foenus dederit, et usuram receperit, num vivet, non vivet, moriendo morietur" XVIII: 10. 11. 12. 13; hic quid filius violentus et effusor sanguinis sit, describitur, sunt quae ibi recensentur omnia opera charitatis quae destruit, ita filius violentus et effusor sanguinis, est destructor charitatis et fidei. Apud Davidem „Libera me Jehovah ab homine malo, *a viro violentiarum serva me*, qui cogitant mala in corde, toto die congregant se ad bellum, exacuunt linguam suam sicut serpens, venenum aspidis sub labiis eorum: custodi me, Jehovah, a manibus impii, *a viro violentiarum serva me*. Vir linguae ne subsistat in terra, *vir violentiae* malum venatur in subversiones" Psalm: CXL: 2. 3. 4. 5. 12, vir violentiarum pro illis qui destruunt vera fidei et bona charitatis, quod pugnent contra illa, significatur per quod toto die congregent se ad bellum, exacuant linguam sicut serpens, quod venenum aspidis sub labiis eorum, et quod venetur malum in subversiones. Et praeterea alibi, ut Ezech: XII: 19. Joël: IV: 19. Malach: II: 16. 17. Zephan: III: 4. Psalm: XVIII: 49. Psalm: LV: 10. 11. 12. Psalm: LVIII: 3. 4. 5. 6. Deut: XIX: 16.

6354. In secretum eorum ne veniat anima mea, quod significet quod bonum spirituale non scire velit mala quae voluntatis eorum, constat ex repraesentatione Israëlis, qui de se hoc dicit quod sit bonum spirituale, de qua n: 6340; a significatione in secretum non veniat, quod sit non scire velle, nempe mala quae voluntatis, quae significantur per Schimeonem et Levi, n: 6352: anima mea dicitur, quia per animam ibi significatur vita boni, quae est bono spirituali; vita veri quae ei, significatur per gloriam, de qua nunc sequitur.

6355. In congregatione eorum ne uniatur gloria mea, quod significet quod nec verum boni spiritualis scire velit falsa cogitationis eorum inde, constat a repraesentatione Israëlis, quod sit bonum spirituale, de qua n: 6340; ex significatione in congregatione eorum ne uniatur, quod sit non conjungi velle falsis cogitationis eorum, ita quoque non scire velle ea; falsa cogitationis significantur per congregationem, congregatio enim sicut multitudo praedicatur de veris, et in opposito sensu de fal-

sis; et ex significatione gloriae, quod praedicetur de Vero, de qua n: 4809. 5922, verum enim est gloria illis qui in bono spirituali.

6356. Quia in ira sua occiderunt virum, quod significet quod se averterint prorsus et in aversione exstinxerint fidem, constat ex significatione irae, quod sit recessio a charitate, et aversio, de qua n: 357. 5034. 5798; ex significatione occidere, quod sit exstinguere; et ex significatione viri, quod sit verum fidei, de qua n: 3134. 3309. 3459. 4823.

6357. Et in beneplacito suo enervarunt bovem, quod significet quod ex prava voluntate prorsus debilitaverint bonum externum quod charitatis, constat ex significatione beneplaciti, quod sit voluntas, hic voluntas prava; ex significatione enervare, quod sit debilitare; et ex significatione bovis, quod sit bonum charitatis naturale seu externum, de qua n: 2180. 2566. 2781. Quod hic dicatur de bove, et mox prius de viro, est quia per virum significatur verum quod fidei, et per bovem bonum quod charitatis, et hoc ut cum de bono, etiam de vero agatur, ob conjugium coeleste in singulis Verbi, n: 6343.

6358. Maledicta ira eorum, quia vehemens, quod significet aversionem gravem a bono et inde damnationem, constat a significatione maledici, quod sit damnatio, nam qui maledictus est, is damnatus est; et ex significatione irae, quod sit aversio a bono, de qua n: 357. 5034. 5798. 6356, ita ira vehemens, est aversio gravis.

6359. Et excandescentia eorum quia dura, quod significet aversionem a vero inde, quod confirmata, constat a significatione excandescentiae, quod sit aversio a vero; quod excandescentia praedicetur de vero, et ira de bono, videatur n: 3614; et ex significatione durae, quod sit confirmata, nam falsum quod confirmatum est, usque ad persuasionem, hoc durum est; quod durum sit, scire datum est ab experientia, verum enim ex bono apud spiritus et apud angelos apparet et sistitur ut molle, at falsum ex malo ut durum, et eo durius, quo magis falsum ex malo est confirmatum; cum per cofirmationem a multis persuasum est, tunc durum illud apparet ibi ut durum ossis: tale durum est quoque simile duro in mundo, in eo quod reflectat radios lucis;

ita cum Lux coeli a Domino incidit in durum ex falso a malo, reflectitur, vicissim autem cum lux coeli a Domino incidit in molle ex vero a bono, tunc recipitur.

6360. Dividam eos in Jacobo, quod significet quod a naturali homine exterminanda, constat a signficatione dividere, quod sit separatio et remotio a vero et bono, de qua n: 4424, ita exterminatio; et ex repraesentatione Jacobi, quod sit naturalis seu externus homo, de qua n: 3305. 3576. 4286. 4292. 4570. 6236.

6361. Et dispergam eos in Israële, quod significet quod a spirituali, constat a significatione dispergere, quod etiam sit exterminatio, sed dispergere distinguitur a dividere, quod hoc praedicetur de Externo homine ac de vero, illud autem de Interno ac de bono; quod Jacob repraesentet naturalem seu Externum hominem, et Israël spiritualem seu Internum, videatur n: 4286. 4292. 4570. Quod haec, quae ab Israële de Schimeone et Levi dicta sunt, tum quae de Reubene, non significent talia, quae posteris illorum contingerent in postremitate dierum, ut dicitur Vers: 1, constare potest ex eo, quod non posteri ex Schimeone et ex Levi maledicti fuerint, ac divisi in Jacobo et dispersi in Israële, nam Tribus Schimeonis inter reliquas Tribus fuit sicut una illarum, et Tribus Levi facta est sacerdotium, ita potius benedicta quam maledicta; pariter Tribus Reubenis, quae quoque aliis Tribubus non vilior fuit; inde manifeste patet, quod quae in hoc Capite de filiis Jacobi, quid illis in postremitate dierum contingeret, dicta sunt, non sint quae illis ipsis contingerent, sed quae illis qui in sensu interno per eos intelliguntur; hic quid illis qui in fide separata a charitate sunt; nam hi per Reubenem, Schimeonem et Levi hic in sensu interno intelliguntur: inde manifeste constare potest, quod sensus internus Verbi sit, qui non apparet in litera, nec alicui nisi sciat correspondentias naturalium cum spiritualibus, et qui prorsus non apparet ei qui non scit quid spirituale, et quid coeleste.

6362. Vers: 8. 9. 10. 11. 12. *Jehudah tu, celebrabunt te fratres tui, manus tua in cervice hostium tuorum, incurvabunt se tibi filii patris tui. Catulus leonis Jehudah, a praeda, fili mi, ascendisti, curvavit se, cubuit sicut leo, et sicut leo vetulus, quis suscitabit eum. Non removebitur sceptrum a Jehudah, et*

legislator ab inter pedes ejus, usque dum venit Schiloh, et ei obedientia populorum. Alligat ad vitem asellum suum, et ad vitem praestantem filium asinae suae, lavat in vino vestimentum suum, et in sanguine uvarum velamen suum. Ruber [14] *oculis a Vino, et albus dentibus a lacte.* Jehudah tu, significat Ecclesiam Coelestem, in supremo sensu Dominum quoad Divinum coeleste: celebrabunt te fratres tui, significat quod illa Ecclesia prae reliquis eminens sit: manus tua in cervice hostium tuorum, significat quod infernalis et diabolica turba ad praesentiam aufugient: incurvabunt se tibi filii patris tui, significat quod vera se submittent ex se: catulus leonis Jehudah, significat innocentiam cum viribus innatis: a praeda fili mi ascendisti, significat quod a Domino per coeleste liberatio plurium ab inferno: curvavit se, cubuit sicut leo, et sicut leo vetulus, significat bonum amoris et verum inde in sua potentia: quis suscitabit eum, significat quod tutus sit inter omnes in infernis: non removebitur sceptrum a Jehudah, significat quod non potestas recedet a Bono coelesti: et legislator ab inter pedes ejus, significat vera quae ab illo in inferioribus: usque dum venit Schiloh, significat adventum Domini, et tunc tranquillum pacis: et ei obedientia populorum, significat quod a Divino Humano Ipsius procedent vera: alligat ad vitem asellum suum, significat verum in naturali pro Ecclesia externa: et ad vitem praestantem filium asinae suae, significat quod verum e rationali pro Ecclesia interna: lavat in vino vestimentum suum, significat quod naturale Ipsius sit Divinum Verum ex Divino Bono Ipsius: et in sanguine uvarum velamen suum, significat quod intellectuale Ipsius sit Divinum Bonum ex Divino amore Ipsius: ruber oculis prae vino, significat quod Intellectuale seu Internum Humanum non sit nisi Bonum: et albus dentibus a lacte, significat quod Divinum Naturale non sit nisi quam Bonum veri.

6363. Jehudah tu, quod significet Ecclesiam coelestem, in supremo sensu Dominum quoad Divinum Coeleste, constat ex repraesentatione Jehudae, quod sit in supremo sensu Dominus quoad Divinum amoris seu quoad Divinum Coeleste, at in sensu respectivo Regnum Coeleste Domini, ita Ecclesia Coelestis, de qua n: 3881. Quid Regnum coeleste, aut Ecclesia [15] coelestis, et quid Coeleste, videatur n: 640. 641. 765. 895. 2048. 2088.

2669. 2708. 2715. 2718. 2896. 3235. 3246. 3374. 3886. 3887. 4448. 4493. 5113. 5922. 6295.

6364. Celebrabunt te fratres tui, quod significet quod illa Ecclesia prae reliquis eminens sit, constat ex significatione celebrari, quod sit eminens esse; ex repraesentatione Jehudae, qui hic est te, quod sit Ecclesia Coelestis, de qua mox supra n: 6363; et ex significatione fratrum, quod sint vera quae illius Ecclesiae; ita quoque Ecclesiae, quae in illis veris sunt, quae repraesentantur per fratres Jehudae, nam vera et bona constituunt Ecclesiam. Ecclesiae Coelestis vera significantur per fratres tuos, seu Jehudae, at vera Ecclesiae spiritualis per filios patris ejus, infra n: 6366.

6365. Manus tua in cervice hostium tuorum, quod significet quod infernalis et diabolica turba ad praesentiam aufugient, constat ex significatione hostium, quod sit infernalis et diabolica turba, hi enim hostes sunt in spirituali sensu; et ex significatione manus in cervice eorum, quod sit persequi illos qui in fuga sunt, nam cum hostis fugit, est manus victoris in cervice ejus; quod dicatur quod ad praesentiam aufugient, est quia cum aliquis ex turba infernali accedit ad aliquem angelum e Regno Coelesti Domini, ad praesentiam aufugiat, non enim sustinet illam, quia non sustinet Sphaeram amoris coelestis, quae est amoris in Dominum; est illa sphaera ei sicut ignis urens et crucians. Praeterea angelus Coelestis nusquam pugnat, minus est manus ejus in cervice hostium, imo nec aliquem a parte sui ut hostem habet, sed usque ita dicitur, quia ita se habet in mundo; verum significatur, quod infernales, qui a parte sui hostes sunt, ad praesentiam aufugiant.

6366. Incurvabunt se tibi filii patris tui, quod significet quod vera se submittent ex se, constat ex significatione incurvare se, quod sit se submittere; et ex significatione filiorum patris, quod sint vera quae ex bono spirituali, filii enim Israëlis sunt vera spiritualia, n: 5414. 5879. 5951, et Israël est bonum spirituale, n: 5801. 5803. 5806. 5812. 5817. 5819. 5826. 5833: quod vera illa submittent se *ex se*, est, quia amor coelestis, qui repraesentatur per Jehudam, cum influit in vera spiritualia quae repraesentantur per filios Israëlis, dis-

ponat illa in ordinem, ac ita submittat Domino; Coeleste enim hanc efficaciam habet per influxum in spiritualia, seu bonum per influxum in verum; quapropter etiam Regnum Coeleste Domini est Coelum intimum seu tertium, ita Domino proximum, et Regnum spirituale Ipsius, est Coelum medium seu secundum, ita a Domino remotius; ex ordine illo est, quod Dominus per Regnum coeleste influat in Regnum spirituale mediate, et praeterea quoque immediate; talis influxus est, ut spirituale Regnum in ordine teneatur per Coeleste, ac ita submittatur Domino: Influxus fit e Coelesti Regno per amorem erga proximum, hoc enim est Externum Regni Coelestis, et est Internum Regni spiritualis, inde conjunctio utriusque, videatur n: 5922.

6367. Catulus leonis Jehudah, quod significet innocentiam cum viribus innatis, constat ex significatione leonis, quod sit bonum amoris et verum inde in sua potentia, de qua sequitur, ita catulus leonis est innocentia cum viribus; quod cum viribus innatis, est quia Jehudah hic est coeleste amoris, et coeleste amoris est in parte voluntaria, n: 895. 927. 4493. 5113, ita ei vires innatae; nam homo in illa, quae sunt voluntariae partis, nascitur; inde illi, qui ab Antiquissima Ecclesia, quae erat coelestis, nati fuerunt in bonum amoris quoad tantum, quantum boni in voluntario eorum fuit; ex eo nunc est, quod vires dicantur innatae. Quod Catulus leonis sit innocentia, est quia Leo est bonum amoris coelestis, et Catulus est sicut infans ejus, ita innocentia. Quod Leo sit bonum amoris coelestis, et inde Verum in sua potentia; tum quod in opposito sensu sit malum amoris sui in sua potentia, constat a locis in Verbo, ubi Leo nominatur; quod sit bonum amoris Coelestis, apud Johannem „Ecce *vicit Leo qui est ex Tribu Jehudae*, radix Davidis, ut aperiat librum, et solvat septem sigilla ejus" Apoc: V: 5, ibi Dominus vocatur Leo, ex Omnipotentia quae est Ipsius Divino Amori et inde Divino Vero: Alibi etiam in Verbo Jehovah seu Dominus comparatur Léoni, ut apud Hoscheam „Post Jehovam ibunt, *sicut Leo rugiet*, quia *Ille rugiet*, et cum honore accedent filii a mari" XI: 10: tum apud Esaiam „Sic dixit Jehovah ad me, quemadmodum *rugit Leo*, et *juvenis Leo* super rapina sua, cum occurrit super eum plenitudo pastorum, a quorum voce non consternatur, et a tumultu eorum non affligitur;

sic descendet Jehovah Zebaoth ad militandum super monte Zionis et super colle ejus" XXXI: 4, ibi Omnipotentia Divini Boni comparatur Leoni, et omnipotentia Divini Veri inde comparatur juveni Leoni, nam dicitur quod descendet Jehovah Zebaoth ad militandum super monte Zionis et super colle ejus, mons enim Zionis significat Bonum Divini amoris, et collis ejus Divinum Verum inde, n: 795. 796. 1430. 4210. Propterea etiam quatuor Animalibus apud Ezechielem et apud Johannem, per quae intelliguntur Cherubi, erant facies Hominis, Leonis, Bovis et Aquilae, apud Ezechielem „Similitudo facierum quatuor Animalium, facies hominis et *facies Leonis* ad dextrum quatuor illis, et facies bovis quatuor illis ad sinistrum, et facies aquilae quatuor illis" I: 10. X: 14; et apud Johannem „Ante Thronum quatuor Animalia plena oculis ante et retro, et *primum Animal simile Leoni*, alterum Animal simile vitulo, tertium Animal habens faciem sicut homo, quartum Animal simile aquilae volanti" Apoc: IV: 6. 7; quod Animalia illa fuerint Cherubi, dicitur apud Ezechielem Cap: X, et quoque patet a descriptione eorum apud Johannem, quod nempe habuerint oculos ante et retro, per Cherubos enim significatur Praevidentia et Providentia Domini, n: 308; quod eis facies Leonis, erat ex Omnipotentia Divini Veri ex Divino Bono, quae Providentiae: similiter Cherubi circum Novum Templum apud Ezechielem, Cap: XLI: 19. Quod Coelestes, qui in potentia sunt ex Bono et inde Vero, quae a Domino, intelligantur per Leones, patet apud Davidem „Non defectus timentibus Jehovam, *Leones juvenes* egebunt et esurient, sed quaerentes Jehovam non egebunt ullo bono" Psalm: XXXIV: 10. 11. Apud Eundem „*Leones rugientes ad praedam*, et ad quaerendum a Deo cibum, oritur sol, colliguntur, et in habitaculis suis recubant" Psalm: CIV: 21. 22. In Prophetico Bileami „Eo tempore dicetur Jacobo et Israëli, quid fecerit Deus; en populus sicut *vetus Leo* surget, et sicut *Leo juvenis* efferet se, non requiescet donec comederit rapinam" Num: XXIII: 23. 24: et dein „Cum Bileamus vidit Israëlem habitantem juxta Tribus suas, dixit; *incurvat se, cubat sicut leo*, et sicut *leo vetus, quis suscitabit eum*" Cap: XXIV: 2. 9; [16] est Coeleste quod hic describitur, quia est Ordo Coelestis, quem repraesentabant Tri-

bus, per castrametationes suas, quem in spiritu videbat Bileamus, cum vidit Israëlem habitantem juxta Tribus, n: 6335; ille ordo est ex Divino Bono per Divinum verum a Domino; in illo ordine est omnis potentia, quae ibi est Leo qui incurvat se, et cubat. Apud Micham „ Erunt reliquiae Jacobi apud Gentes, in medio populorum multorum *sicut Leo inter bestias sylvae*, sicut *juvenis Leo* inter greges ovium, qui si transiverit, conculcabit et disperget, et non eripiens; exaltabitur manus tua super hostes tuos, et omnes inimici tui exscindentur " V: 7. 8, hic Leo et *juvenis Leo* pro Coelesti bono et coelesti vero, quae sunt reliquiae Jacobi. Pro simili etiam apud Esaiam Cap: XXI: 8. Jerem: Cap: XXV: 38. Ezech: XXXII: 2. [17] Sachar: XI: 3. Tale etiam repraesentabant *Leones* ad thronum eboris, qui Salomoni, *duo* juxta manus Throni, et *duodecim* super sex gradibus, I Reg: X: 18. 19. 20; tum „ *Leones* super clausuris decem basium ex aere " I Reg: VII: 29. 36. Quod Leo in opposito sensu significet malum amoris sui in sua potentia, patet ab his locis; apud Esaiam „ *non erit ibi Leo*, et rapax ferarum non ascendet in ea, non invenietur ibi, sed ibunt liberi, sic redempti Jehovae revertentur, et venient Zionem cum cantu " XXXV: 9. 10. Apud Jeremiam „ Israël quare factus in praedam, *contra eum rugiunt Leones juvenes*, edunt vocem suam, redigunt terram ejus in vastitatem " II: 15. Apud Eundem „ *Ascendit Leo ex vepreto suo*, et perditor gentium profectus est, exivit e loco suo, ad redigendum terram in vastitatem " IV: 7. Apud Eundem „ Non cognoverunt viam Jehovae, judicium Dei sui, propterea percussit eos *Leo de sylva*, et lupus camporum devastabit eos " V: 4. 6. Apud Nahum „ Ubi habitaculum *Leonum*, et pascuum *Leonum juvenum;* ubi incessit *Leo*, *Vetus Leo*, *Catulus leonis*, nec terrens: *Leo rapiens satis pro catulis*, et strangulans *veteribus Leaenis suis*, implensque praeda cavernas suas, et habitacula sua rapto: ecce Ego contra te, dictum Jehovae Zebaoth, et accendam fumo currum ejus, [18] *Leones* autem *juvenes tuos* comedet gladius; atque exscindam e terra praedam tuam " II: 12. 13. 14, ubi Ninive: in illis locis Leo pro potentia, quae malo amoris sui, cum perdit et vastat: pariter apud Jerem: Cap: XII: 8. Cap: XLIX: 19. Cap: L: 17. 44. Cap: LI: 38. Ezech: XIX: 2 ad 11. Cap:

XXXII: 2. Joël I: 6. Zephan: III: 3. Psalm: LVII: 5. Psalm: LVIII: 7. Psalm: XCI: 13. Apoc: XIII: 2.

6368. A praeda fili mi ascendisti, quod significet quod a Domino per Coeleste liberatio plurium ab inferno, constat a significatione a praeda [19] ascendere, quod sit liberatio ab inferno, de qua sequitur; et a repraesentatione Jehudae, qui hic est fili mi, quod sit Divinum Coeleste, de qua n: 6363; quod a praeda ascendere sit liberatio ab Inferno, est inde, quia homo ex se in inferno est, voluntas enim et cogitatio ejus ex proprio, non est nisi quam malum et inde falsum, per quae ita alligatus est inferno, ut inde non possit nisi vi avelli; haec avulsio et liberatio est quae vocatur praeda: hoc quia fit ex Divino Bono Domini, ideo dicitur, quod a Domino per Coeleste liberatio plurium ab inferno. Sed sciendum, quod nemo ab Inferno avelli et liberari queat, nisi in vita corporis in bono spirituali fuerit, hoc est, in charitate per fidem; nam nisi in illo Bono per fidem fuerit, non est aliquid quod recipit bonum quod influit a Domino, sed transfluit, praeter quod alicubi possit figi; inde hi non possunt ab inferno avelli seu liberari; omnes enim status, quos homo sibi acquisivit in vita corporis, retinentur in altera vita, et implentur; status boni apud bonos retinentur et implentur bono, et per hos elevantur hi in coelum; et status mali apud malos retinentur et implentur malo, et per eos delabuntur in infernum: hoc est quod dicitur, quod sicut homo moritur, ita maneat: inde patet, quinam per Divinum Coeleste a Domino liberari possunt ab inferno.

6369. Curvavit se, cubuit sicut leo, et sicut leo vetulus, quod significet bonum amoris et verum inde in sua potentia, constat ex significatione curvare se, quod sit in potentiam se mittere, leo enim cum se curvat, nervos suos indurat, et robur sibi facit, quod fit cum videt praedam; et ex significatione cubare, quod sit in tuto et absque formidine jacere; et ex significatione leonis et leonis vetuli, quod sit bonum amoris et verum inde in sua potentia, de qua mox supra n: 6367; leo juvenis est qui in potentia est per verum ex bono, et leo vetulus qui in potentia est per bonum; nam qui in bono coelesti sunt, illi nusquam pugnant, sed sunt tuti per bonum; ubi enim veniunt, mali aufugiunt, nam mali non sustinent praesentiam eo-

rum; videatur n: 6365; hi sunt qui significantur per leonem vetulum.

6370. Quis suscitabit eum, quod significet quod tutus sit inter omnes in infernis, constat ex significatione quis suscitabit, quod sit tutus esse: quod sit inter omnes in infernis, est quia tutus est inter omnia mala, etiam in mediis infernis; amor enim in Dominum, et amor erga proximum, hoc secum habent, ex causa, quia illi qui in eo amore sunt, conjunctissimi Domino sunt, ac in Domino, quia in Divino quod procedit ab Ipso; inde nihil mali ad eos potest attingere. Sciendum est, quod innumerabilia inferna sint, distincta secundum omnium malorum et inde falsorum genera, et secundum eorum species, et specierum singula; et quod in unoquoque inferno sit ordo; et quod ille ordo conservetur a Domino, tam immediate, quam mediate per Angelos coelestes; quandoque etiam illuc mittuntur angeli, ut inordinata ibi in ordinem redigant; et cum ibi sunt, in tuto sunt: hoc intelligitur per quod qui in coelesti est, tutus sit inter omnes in infernis.

6371. Non removebitur sceptrum a Jehudah, quod significet quod non potestas recedet a Regno coelesti, constat a significatione removeri, quod sit recedere; ex significatione sceptri, quod sit potestas, et quidem potestas veri ex bono, de qua n: 4876 f: nam sceptrum est insigne Regiae potestatis, et per Regium significatur verum, n: 1672. 1728. 2015. 2069. 3009. 4575. 6148; et a repraesentatione Jehudae, quod sit Regnum coeleste, de qua supra n: 6363; inde patet, quod per non removebitur sceptrum a Jehudah, significetur quod non potestas recedet a Regno coelesti. Ex sensu literae apparet, quod per illa, quae in hoc Versu continentur, intelligatur, quod Regnum non removeretur a populo Judaico, antequam Dominus veniret; hoc quoque est Verum, sed usque in hoc Historico, sicut in caeteris, sensus internus est, nam quod a populo Judaico tunc removeretur Regnum, mundanum est; spirituale autem, quod est sensus interni, patet, cum per sceptrum intelligitur potestas, et per Jehudam Regnum coeleste. At quod potestas tunc recederet a Regno coelesti, cum venturus Dominus, est arcanum, quod nemo scire potest nisi ex revelatione; cum illo se ita habet; ante adventum Domini in mundum, fuit influxus vitae

apud homines et apud spiritus a Jehovah seu Domino per Regnum coeleste, hoc est, per Angelos qui in illo Regno fuerunt, inde illis tunc potestas; at cum Dominus in mundum venit, per quod Humanum in Se Divinum fecit, induit id ipsum quod fuit apud Angelos Regni Coelestis, ita potestatem illam; nam transfluxus Divinus per illud Coelum fuerat prius Humanum Divinum; erat etiam Divinus Homo, qui sistebatur cum Jehovah ita apparuit; ast hoc Humanum Divinum cessavit, cum Dominus Ipse Humanum in Se Divinum fecit: inde patet, quomodo se cum hoc arcano habet: nunc quidem Angelis istius Regni est magna potestas, sed quantum in Divino Humano Domini sunt per amorem in Ipsum: videantur quae de his prius, n: 1990. 2803. 3061. 4180. 4687. 5110. 6280, dicta et ostensa sunt.

6372. Et Legislator ab inter pedes ejus, quod significet vera quae ab illo in inferioribus, constat a significatione Legislatoris, quod sint vera, de qua sequitur; et a significatione pedum, quod sint naturalia, de qua n: 2162. 3147. 3761. 3986. 4280. 4938 ad 4952. 5327. 5328, ita inferiora, nam naturalia sunt infra, et coelestia, de quibus nunc prius, supra. Legislator ab inter pedes dicitur, ut significetur spirituale coelestis, seu verum quod ex bono, non enim eo tempore fuit Regnum spirituale, quale post adventum Domini, distinctum a Regno Coelesti, sed erat unum cum coelesti, modo quod externum ejus esset; ideo quoque dicitur ab inter pedes, ut significetur verum quod a bono, nam pars illa pedum interior ex communicatione cum lumbis id significat: de hoc vero etiam dicitur, quod removeretur cum venit Schiloh, quod nempe ejus potestas, sicut potestas Coelestis, de qua re mox supra n: 6371; Coeleste enim Regnum tunc potestatem suam exercebat per id verum; et quia ita, vocatur id Verum Legislator: hoc verum etiam intelligitur in sensu interno per Legislatorem, apud Esaiam „Jehovah judex noster, *Jehovah Legislator noster*, Jehovah Rex noster" XXXIII: 22, [20] judex pro quod ex bono agat, legislator quod ex vero ab illo bono, rex quod ex vero, ita ordine quoque consequuntur. Apud Davidem „Mihi Gilead, Mihi Menascheh, et Ephraim robur capitis mei, *Jehudah legislator meus*" Psalm: LX: 9. Psalm: CVIII: 9, Jehudah legislator pro coelesti bono

et ejus coelesti vero. Apud Mosen „Fons, foderunt principes, effoderunt primores populi, *per Legislatorem* baculis suis" Num: XXI: 18: et apud Eundem „Gad vidit primitias sibi, ibi namque portio *Legislatoris absconditi*, unde venerunt capita populi, justitiam Jehovae fecit, et judicia ejus cum Israële" Deut: XXXIII: 21; [21] legislator etiam ibi pro vero ex bono.

6373. Usque dum venit Schiloh, quod significet adventum Domini, et tunc tranquillum pacis, constat ex significatione Schiloh, quod sit Dominus, Qui Schiloh vocatur ex eo quod pacaverit et tranquilla reddiderit omnia; in Lingua enim originali derivatur Schiloh a voce, quae significat tranquillum; cur Dominus hic Schiloh dicitur, patet ab illis quae mox supra n: 6371. 6372, de Regno coelesti et ejus potestate, dicta sunt; cum enim Divinum per illud Regnum sistebatur, tunc erat intranquillum, non enim potuerunt illa quae in coelo, et illa quae in inferno, per id in ordinem redigi, nam Divinum, quod per illud Regnum transfluebat, non potuit esse purum, quia Coelum non est purum, ita id Regnum nec validum, ut per id omnia in ordine tenerentur; quapropter etiam tunc spiritus infernales et diabolici ab infernis se efferebant, et super animabus, quae e mundo veniebant, dominabantur; ex quo fiebat, quod non alii tunc salvari potuerint, quam coelestes; et tandem vix illi, nisi Dominus susceperit Humanum, et per quod illud in Se Divinum fecerit; per hoc Dominus omnia redegit in ordinem, primum ea quae in coelo, dein illa quae in infernis, inde tranquillum pacis: quod Spirituales, hoc est, illi qui a spirituali Ecclesia essent, salvati fuerint per adventum Domini, videatur n: 2661. 2716. 2833. 2834; et quod Dominus, cum in mundo fuit, redegerit omnia in ordinem, n: 1820. 4286. 4287: quod Divinum Verum a Jehovah seu Domino influxerit per coelum in humanum genus, sed quia hoc non suffecit cum homo se removit a bono, Dominus in mundum venit, et Humanum in Se Divinum fecit, ut ab ipso Divino Humano Domini Divinum Verum procederet, et sic salvaret hominem, qui reciperet bonum per verum, n: 4180. 6280.

6374. Et ei obedientia populorum, quod significet quod a Divino Humano Ipsius procederent vera quae recipi possent, constat ex significatione obedientiae, quod sit receptio verorum

quae a Domino procedunt; et a significatione populorum, quod sint illi qui in veris, ita quoque vera, de qua n: 1259. 1260. 3581; et inde quod sint qui ab Ecclesia spirituali, n: 2928.

6375. Alligat ad vitem asellum suum, quod significet verum in naturali pro Ecclesia Externa, constat a significatione alligare, quod sit conjungi; a significatione vitis, quod sit Ecclesia spiritualis, de qua n: 1069. 5113, hic Ecclesia spiritualis externa, quia per vitem praestantem, de qua mox dicitur, significatur Ecclesia interna; et a significatione asini, quod sit verum in naturali, de qua n: 2781; inde patet, quod per alligat ad vitem asellum suum, significetur conjunctio per verum in naturali cum Ecclesia externa.

6376. Et ad vitem praestantem filium asinae suae, quod significet verum e rationali pro Ecclesia interna, constat a significatione vitis, quod sit Ecclesia spiritualis, de qua n: 1069. 5113, ita vitis praestans est Ecclesia interna; nam internum Ecclesiae est praestans prae externo ejus; et ex significatione filii asinae, quod sit verum rationale, de qua n: 2781. Externum Ecclesiae distinguitur ab Interno ejus, quod illud sit in naturali, ita in externo homine, hoc autem in rationali, ita in interno homine; qui in Externo Ecclesiae sunt, in vero sunt, at qui in Interno, in bono sunt, illi non afficiuntur ita bono charitatis sicut vero fidei, hi autem afficiuntur bono charitatis et inde vero fidei; hi sunt qui significantur per vitem praestantem, illi autem qui per vitem.

6377. Lavat in vino vestimentum suum, quod significet quod naturale Ipsius sit Divinum Verum ex Divino Bono Ipsius, constat a significatione lavare, quod sit purificare, de qua n: 3147; ex significatione vini, quod sit bonum amoris erga proximum, et bonum fidei, et in supremo sensu Divinum Verum ex Divino Bono Domini, de qua sequitur; et ex significatione vestimenti, quod sit exterius quod tegit interius, de qua n: 5248, ita naturale, nam hoc exterius est, et tegit rationale quod interius; inde etiam vestimentum est verum, quia hoc exterius est, ac tegit bonum interius, n: 2576. 4545. 4763. 5319. 5954. Quod vinum sit amor erga proximum et bonum fidei, constare potest ex illis, quae de Pane et Vino, in Sancta Coena, n: 2165. 2177. [22] 3464. 4581. 5915, ostensa sunt, quod

nempe Panis sit bonum amoris coelestis, et quod vinum bonum amoris spiritualis: hoc quoque constare potest a minchah et libamine in sacrificiis, minchah ibi significabat bonum amoris, et libamen bonum fidei, minchah constabat ex talibus quae significabant amoris bonum, et libamen ex vino quod significabat fidei bonum; ipsa etiam sacrificia dicebantur panis, n: 2165; quod libamen ex vino adhiberetur in sacrificiis, videatur Exod: XXIX: 40. Levit: XXIII: 12. 13. 18. 19. Num: XV: 2 ad 15. Cap: XXVIII: 6. 7. 18 ad fin: Cap: XXIX: 1 ad 7 seq. Quod Vinum significet amorem erga proximum, et bonum fidei, patet etiam apud Esaiam „ Omnis sitiens ite ad aquas, et cui non argentum, ite, emite, ac comedite, ac ite, emite sine argento et sine pretio *Vinum* et lac " LV: 1, quod non emerent vinum et lac, nullus non scire potest, sed id quod per vinum et lac significatur, hoc est, amorem erga proximum, et fidem, haec dantur a Domino absque argento et pretio. Apud Hoscheam „ Area et *Torcular* non [23] pascent illos, et *mustum* mentietur illis: revertetur Ephraim in Aegyptum, et in Assyria immundum comedent: *non libabunt Jehovae vinum*, et non grata erunt Ipsi sacrificia illorum " IX: 2. 3. 4, ibi etiam in sensu interno agitur de bono amoris et de bono fidei quod cessaverint, bonum amoris est area ex frumento ibi et inde pane; et bonum fidei est torcular, mustum et libamen vini; revertetur Ephraim in Aegyptum pro quod Intellectuale consuleret scientifica de arcanis fidei, in Assyria immundum comedent, pro quod ex ratiocinatione inde; quod Ephraim sit Intellectuale Ecclesiae, videatur n: 5354. 6222. 6238. 6267; quod Aegyptus sit scientificum, n: 1164. 1165. 1186. 1462. 5702; et quod Assyria sit ratiocinatio, n: 1186; ipsa series etiam manifestat, quod verbis ibi aliud insit quam quod in litera apparet, in sensu enim interno cohaerent, non autem in sensu externo, sicut quod area et torcular non pascent illos, et mustum mentietur illis, et mox, revertetur Ephraim in Aegyptum, et in Assyria immundum comedent; et quoque quid absque sensu interno foret, quod reverteretur Ephraim in Aegyptum, et in Assyria immundum comedent. Cessatio amoris mutui et boni fidei etiam per torcular et vinum describitur apud Jeremiam „ Super *vindemiam tuam vastator cecidit*, unde collecta est laetitia, et gaudium ex Carmele;

et ex terra Moabi, *Vinum enim ex torcularibus cessare feci,* non calcabit hedad" XLVIII: 32. 33. Quod Vinum significet bonum amoris mutui et fidei, patet etiam apud Johannem „Audivi vocem e medio quatuor animalium, dicentem, *oleo et vino damnum ne inferas*" Apoc: VI: 6, oleum pro bono amoris coelestis, et vinum pro bono amoris spiritualis. Per oleum et vinum simile intelligitur in parabola Domini de Samarita, apud Lucam „Samarita quidam iter faciens, et videns eum qui vulneratus fuit a latronibus, visceribus commotus est, quare accedens obligavit vulnera ejus, *infudit oleum et vinum*" X: 33. 34, quod infuderit oleum et vinum, significat quod praestiterit opera amoris et charitatis; quod oleum sit bonum amoris, videatur n: 886. 3728; pariter per quod antiqui oleum et *vinum* fuderint super statuam, cum illam sanctificarent, Genes: XXXV: 14, n: 4581. 4582. Quod Vinum sit bonum amoris et fidei, patet a Domini Verbis, cum instauravit Sanctam Coenam, quae tunc de vino diceret „Dico vobis, quod non bibiturus sim a nunc *ex hoc genimine vitis* usque ad diem illum, quando id bibero vobiscum novum in Regno Patris mei" Matth: XXVI: 29. Luc: XXII: 17. 18; quod non ibi bibiturus vinum, cuivis constare potest, sed quod significetur bonum amoris et fidei, quod daturus illis qui a Regno Ipsius. Simile per Vinum significatur apud Esaiam Cap: XXIV: 9. 11. Thren: II: 11. 12. Hosch: XIV: 8. Amos IX: 13. 14. Sachar: IX: 15. 16. Luc: V: 37. 38. 39. Quoniam Vinum significat bonum amoris et fidei, ideo in supremo sensu significat Divinum Verum a Divino Bono Domini, nam ex hoc per influxum est homini, qui recipit, bonum amoris et fidei. Quoniam pleraque in Verbo etiam contrarium sensum habent, ita quoque vinum, in quo sensu Vinum significat falsum ex malo, ut apud Esaiam „Vae surgentibus mane sub auroram, et *siceram* persequuntur, commorantibus in crepusculum, *ut vinum incendat eos; vae heroibus ad potandum vinum*, et *viris roboris ad miscendum siceram*" V: 11. 22. Apud Eundem „*Etiam hi per vinum errant*, et per *siceram aberrant:* sacerdos et propheta *errant per siceram, absorbentur a vino, aberrant per siceram*, errant inter videntes, titubant in judicio" XXVIII: 7. Apud Eundem „Pastores non sciunt intelligere, omnes in viam suam respiciunt, venite, *su-*

mam vinum, et *inebriabimur sicera;* fiatque sicut hoc, die crastino, magna abundantia" LVI: 11. 12. Et praeterea apud Jeremiam Cap: XIII: 12. Hosch: IV: 11. Cap: VII: 5. Amos II: 8. Mich: II: 11. Psalm: LXXV: 9. Deuter: XXXII: 33. Falsum ex malo etiam significatur per „*calicem vini irae*" Jer: XXV: 15. 16. Apoc: XIV: 8. 10. Cap: XVI: 19: per „*torcular vini furoris* irae Dei" Apoc: XIX: 15: *perque* „*vinum scortationis*" Apoc: XVII: 2. Cap: XVIII: 3.

6378. Et in sanguine uvarum velamen suum, quod significet quod Intellectuale Ipsius sit Divinum Bonum ex Divino amore Ipsius, constat ex significatione sanguinis uvarum, quod sit bonum amoris, et in supremo sensu Divinum Bonum Domini ex Divino Amore Ipsius, de qua sequitur; et ex significatione velaminis, quod sit intellectuale, est enim intellectuale recipiens, et quod recipit, quia est vas, est instar velaminis; quod per velamen significetur intellectuale, et per vestimentum naturale, de quo mox supra n: 6377, est quia agitur ibi de Externo, hic autem de Interno, nam in Verbo propter conjugium coeleste ubi agitur de Externo etiam agitur de Interno, et ubi de vero ibi etiam de bono, videatur n: 6343, hoc apparet quandoque sicut repetitio ejusdem rei, sicut hic „Lavat in *vino vestimentum* suum, et in *sanguine uvarum velamen* suum" ubi vinum et sanguis uvarum apparent similia esse, tum vestimentum et velamen; sed non sunt similia, quia Externum et Internum ita exprimuntur. Quod sanguis uvarum sit Divinum Bonum ex Divino amore Domini, patet a significatione sanguinis, quod sit Divinum Verum a Divino Bono Domini, de quo n: 4735, et per uvas in supremo sensu significatur Divinum Bonum Domini, quod illis qui in Regno spirituali Ipsius, et inde per uvas in sensu respectivo significatur bonum charitatis, n: 5117. Per sanguinem uvae simile etiam significatur in Cantico apud Mosen „Butyrum armenti, et lac gregis, cum adipe agnorum, et arietum filiorum Baschanis, et hircorum cum adipe renum tritici, et *sanguinem uvae bibis, merum*" Deut: XXXII: 14. [24]

6379. Ruber oculis a vino, quod significet [quod] Intellectuale seu Internum Humanum non sit nisi bonum, constat ex significatione rubri, quod sit bonum amoris, et hoc ex igne et ex

sanguine, quae rubent, de qua n: 3300; inde ruber a vino, est quod non sit nisi bonum; ex significatione oculorum, quod sit intellectuale, de qua n: 2701. 3820. 4403 ad 4421. 4523 ad 4534; et quia de Domino hic agitur, est Internum Humanum Ipsius, quod per Intellectuale hic intelligitur, nam Externum Humanum significatur per quod albus dentibus a lacte, ut nunc sequitur.

6380. Et albus dentibus a lacte, quod significet quod Divinum naturale non sit nisi quam bonum veri, constat a significatione albi, quod praedicetur de vero, de qua n: 3301. 3993. 4007. 6319; a significatione dentium, quod in genuino sensu sint naturale; quae enim dura sunt apud hominem, sicut dentes, ossa, cartilagines, correspondent veris et bonis quae sunt infimi naturalis; et ex significatione lactis, quod sit coeleste spirituale, seu quod idem, bonum veri, de qua n: 2184. Quod Divinum Naturale Domini dicatur bonum Veri, est respective ad homines qui in fide et in amore in Dominum sunt; qui enim ab Ecclesia externa sunt, illi cogitationem non altius elevare possunt quam ad Divinum Naturale Domini; at qui ab Ecclesia interna sunt, elevant supra naturale ad Internum; nam unusquisque qui in fide in Dominum est, ideam de Ipso habet secundum facultatem elevandi cogitationes; qui enim sciunt quid Internum, illi ideam Interni habere possunt, qui autem non sciunt quid Internum, ideam Externi habent; inde est, quod Divinum Naturale Domini dicatur Bonum Veri, cum tamen totum Humanum Ipsius est Divinum Bonum Divini amoris.

6381. Ex his nunc quae de Jehudah dicta sunt, patet manifeste, quod sensus internus Verbi sit, et quod nisi sciatur quid sensus ille involvit, nullatenus sciri possit, quid significant quae ibi de illo, ut quid catulus leonis, quod a praeda ascenderit, curvaverit se, et cubuerit sicut leo, et sicut leo vetulus, quid significat legislator ab inter pedes ejus, quid Schiloh, quid alligare ad vitem asellum suum, et ad vitem praestantem filium asinae suae, quid lavare in vino vestimentum, et in sanguine uvarum velamen, quid ruber esse oculis a vino, et albus dentibus a lacte: haec omnia laterent prorsus abscondita, nisi retegerentur per sensum qui latet altius.

6382. Vers: 13. *Sebulun ad portum marium habitabit, et*

is ad portum navium, et latus ejus super ad Sidonem. Sebulun significat cohabitationem boni et veri: ad portum marium habitabit, significat vitam ubi conclusio veri [25] ex scientificis: et is ad portum navium, significat ubi doctrinalia ex Verbo: et latus ejus super ad Sidonem, significat extensionem ab una parte ad cognitiones boni et veri.

6383. Sebulun, quod significet cohabitationem boni et veri, constat ex repraesentatione Sebulonis, quod sit conjugium coeleste, de qua n: 3960. 3961, ita conjunctio boni et veri, nam conjunctio illa est conjugium coeleste; cohabitatio boni et veri dicitur, quia Sebulun in Lingua originali significat cohabitationem. Per Sebulonem hic agitur de illis in Ecclesia, qui concludunt de veris Spiritualibus ex scientificis, et sic firmant illa apud se: at sciendum, quod per Sebulonem non intelligantur illi, qui non credunt nisi scientifica et sensualia dictent, et qui prius in negativo sunt, illi nusquam credunt, causa est, quia negativum universaliter regnat, et cum id universaliter regnat, tunc influunt et colliguntur scientifica quae negant, non autem quae confirmant, quae confirmant, ad latus rejiciuntur, vel ad favorem scientificorum negantium explicantur, et sic firmatur negativum: sed per Sebulonem hic intelliguntur, qui credunt doctrinalibus ex Verbo, sic apud quos aliquod affirmativum universaliter regnat, et tamen fides non in veris sed in scientificis vitam habet, applicant enim scientifica ad doctrinalia, ac ita firmant affirmativum suum: qui itaque Sebulun sunt, non elevant se a scientificis, sed cum de aliquo vero fidei audiunt vel cogitant, illico cadunt in scientificum; tales sunt plures in mundo; etiam providet Dominus, ut scientifica et sensualia illis ad eum usum serviant.

6384. Ad portum marium habitabit, quod significet vitam ubi conclusio veri ex scientificis, constat a significatione portus, quod sit statio ubi scientifica terminantur et inchoant, hic statio ubi conclusio veri ex scientificis, nam per Sebulonem hic agitur de illis, apud quos vera fidei ibi sunt; ex significatione marium, quod sint scientifica in complexu, de qua n: 28; et ex significatione habitare, quod sit vita, de qua n: 1293. 3384. 3613. 4451. 6051; inde patet, quod per ad portum marium habitabit, significetur vita ubi conclusio veri ex

scientificis. Quod vitam illam attinet, videantur quae mox supra n: 6383, dicta sunt, de qua vita porro sciendum, quod ea sit in externo seu naturali homine, et apud quosdam in infimo naturali seu in sensuali, nam vera fidei alligata scientificis [se] habent ita, ut elevari nequeant; inde quoque prae reliquis in Ecclesia spirituali in obscuro sunt; ex intellectuali enim parum lucis habent, nam id immersum est scientificis et sensualibus: aliter se habet apud illos, qui in affirmativo fuerunt, et vera fidei per scientifica firmarunt, sed tamen ita, ut a scientificis, hoc est, a naturali ubi scientifica, elevari possint; horum intellectuale illustratum est, et sic in quadam perceptione veri spiritualis, cui serviunt scientifica, quae infra sunt, sicut pro speculo, in quo, sicut affectiones in facie, vera quae fidei et charitatis apparent et agnoscuntur.

6385. Et is ad portum navium, quod significet ubi doctrinalia ex Verbo, constat ex significatione portus, quod sit statio, ut mox supra, n: 6384, ita ubi illa; et ex significatione navium, quod sint doctrinalia ex Verbo: quod naves illa significent, est quia per maria et fluvios transeunt, et portant utilia vitae; per maria enim et fluvios significantur scientifica et cognitiones, utilia vitae quae portant, sunt doctrinalia ut et ipsa vera ex Verbo; quae quod per naves significentur, patet ab his locis; apud Esaiam „Mihi insulae confident, et *Naves Tharschisch* in principio, ad adducendum filios tuos e longinquo, argentum eorum et aurum eorum cum illis" LX: 9, naves Tharschisch pro doctrinalibus et veris ex Verbo, quare dicitur, quod adducerent filios, argentum et aurum eorum, per filios enim significantur qui in veris, per argentum ipsum verum, et per aurum bonum; quisque videre potest, quod ibi naves Tharschisch non intelligantur, nec quod filii, argentum et aurum. Apud Ezechielem „In corde maris termini tui, *architecti tui* perfecerunt pulchritudinem tuam: ex abietibus de Senire aedificarunt tibi *omnes tabulas*, cedrum de Libano sumserunt *ad faciendum malum pro te:* e quercubus de Baschane *fecerunt remos, asserem tuum* fecerunt ex ebore; *filiam gressus* ex insulis Kitthim: byssus in acupictura ex Aegypto fuit *expansio tua*, ut esset tibi in signum: hyacinthinum et purpura ex insulis Elischah fuit *tegumentum tuum:* habitatores Sidonis et Arvadi *fue-*

runt remiges tibi: sapientes tui, Tyre, qui fuerunt in te, *fuerunt naucleri tui:* seniores Gebalis et sapientes ejus fuerunt in te *confirmantes fissuram tuam: Omnes Naves maris*, et *nautae earum* fuerunt in te, ad negotiandum negotiationem tuam" XXVII: 4 ad 9, ibi de Tyro agitur, per quam significantur cognitiones boni et veri, n: 1201, quae cognitiones describuntur per talia, quae sunt Navis, nempe per Tabulas, Malum, Remos, Asserem, Expansionem, Tegumentum, Remiges, Naucleros, Nautas; quod illa omnia non intelligenda sint secundum literam, quis non videre potest; at cum cognitiones veri et boni, quae sunt Tyrus, una cum doctrinalibus ex Verbo, per Naves intelliguntur, tunc omnia se pulchre applicant. Apud Davidem „Quam multa sunt opera tua, Jehovah, omnia in sapientia fecisti: hoc mare magnum et latum spatiis, *ibi Naves eunt*, Cetus quem formasti ad ludendum in eo" Psalm: CIV: 24. 26. 26. [26] Apud Eundem „Sacrificent sacrificia confessionis, et annuntient opera Jehovae in jubilo, *qui descendunt in mare cum Navibus*, facientes opus in aquis multis; illi viderunt opera Jehovae, et mirabilia Ipsius in profundo" Psalm: CVII: 22. 23. 24; ibi etiam Naves pro cognitionibus et doctrinalibus, Cetus pro communibus scientificorum, n: 42; et quia Naves sunt cognitiones et doctrinalia, ideo dicitur, qui descendunt in mare cum Navibus, illi viderunt opera Jehovae, et mirabilia Ipsius in profundo, illa enim vident qui in cognitionibus et doctrinalibus ex Verbo. Apud Johannem „Secundus Angelus clanxit, et quasi mons magnus igne ardens projectus est in mare; et facta est tertia pars maris sanguis; unde mortua est tertia pars creaturarum, quae in mari, habentium animas; et *tertia pars Navium corrupta est*" Apoc: VIII: 9; Mons magnus igne ardens pro amore sui, n: 1691; mare pro naturali ubi scientifica, n: 28; sanguis pro violentia illata charitati, n: 374. 1005; creaturae in mari habentes animas, pro veris scientificis cum bonis; tertia pars pro aliquid nondum completum, n: 2788 f: quod mortua sint pro quod non illis vita spiritualis, n: 6119; inde tertia pars navium corrupta, pro quod vera et bona doctrinalium ex Verbo falsificata sint; ex his sciri potest, quid significatur per hoc propheticum. Naves autem in opposito sensu significant cognitiones et doctrinalia falsi et mali; ut apud

Danielem „In tempore finis collidetur cum eo rex meridiei, ideo quasi procella irruet in eum rex septentrionis, cum curru, et cum equitibus, et *cum navibus multis*, et veniet in terras, et inundabit et penetrabit" XI: 40, rex meridiei pro veris ex bono, rex septentrionis pro falsis ex malo, currus cum equitibus et cum navibus pro doctrinalibus falsi; terrae pro Ecclesiis, quas quod inundatura et penetratura falsa ex malis in tempore finis, praedicitur. [27] Apud Johannem „Omnis *gubernator*, et omnis qui *super navibus* versatur, et *nautae*, et omnes qui *in mari negotiantur*, e longinquo steterunt, et clamabant, videntes fumum combustionis Babylonis, dicentes, quae similis urbi magnae: vae, vae, urbs magna, in qua divites facti sunt omnes, *qui habent Naves in mari*, ex pretiositate ejus" Apoc: XVIII: 17. 18. 19, quod hic naves sint cognitiones et doctrinalia falsi et mali, constare potest, quoniam Babylon est cultus qui exterius apparet sanctus, et interius est prophanus; quod etiam per naves aliud quam naves ibi intelligatur, nemo non videre potest. Apud Esaiam „Sic dicit Jehovah Redemptor vester, Sanctus [28] Israëlis; propter vos misi Babelem, ut dejiciam vectes omnes, et Chaldaeos, *quorum in Navibus clamor*" XLIII: 14, similiter. Praeterea etiam falsa ex malo per Naves significantur apud Esaiam, Cap: II: 11. 16. Cap: XXIII: 1. 14. Psalm: XLVIII: 8.

6386. Et latus ejus ad Sidonem, quod significet extensionem ab una parte ad cognitiones boni et veri, constat ex significatione lateris, quod sit extensio ab una parte; et ex significatione Sidonis, quod sint cognitiones boni et veri exteriores, de qua n: 1201. Hic, ubi de Sebulone agitur, memorantur Cognitiones, Doctrinalia, et Scientifica, et dicitur quod extensio ab una parte sit ad cognitiones boni et veri, tum quod conclusio veri ex scientificis sit ubi doctrinalia ex Verbo, ideo dicendum quae distinctio hic sit inter illa; Doctrinalia sunt quae ex Verbo, Cognitiones sunt quae ex doctrinalibus illis ab una parte, et a scientificis ab altera, Scientifica autem sunt quae sunt experientiae a se et ab aliis.

6387. Vers: 14. *Jisaschar asinus osseus, cubans inter sarcinas. Et videbit quietem quod bona, et terram quod amoena; et inclinabit humerum suum ad bajulandum; et erit tribu-*

to serviens. Jisaschar, significat remunerationem ex operibus: asinus osseus, significat servitium infimum: cubans inter sarcinas, significat vitam inter opera: et videbit quietem quod bona, significat opera boni absque remuneratione quod plena felicitate: et terram quod amoena, significat quod in illa qui in Regno Domini: et inclinabit [29] humerum ad bajulandum, significat quod usque omni opera laboret: et erit tributo serviens, significat ut mereatur.

6388. Jisaschar, quod significet remunerationem ex operibus, constat ex repraesentatione Jisascharis, quod sit amor mutuus qui merces seu remuneratio, de qua n: 3956. 3957; hic remuneratio ex operibus, ut patet a singulis in sensu interno, quae in hoc prophetico de Jisaschare dicuntur; Jisaschar etiam in Lingua originali significat mercedem. Quod Jisaschar significet hic remunerationem ex operibus, ac prius amorem mutuum, est quia per Jisascharem hic intelliguntur illi qui in quadam specie et apparentia amoris mutui, hoc est, charitatis erga proximum sunt, et propter bona quae faciunt, remunerari volunt; ac ita amorem genuinum mutuum seu charitatem non modo inquinant, sed etiam pervertunt; qui enim in genuino illo amore sunt, in suo jucundo et beato sunt, cum benefaciunt proximo, nam nihil potius desiderant; id jucundum et id beatum est, quod per mercedem in Verbo intelligitur, nam ipsum jucundum seu beatum est merces, et id in altera vita fit gaudium et felicitas quae in coelo, ita fit illis coelum; nam qui ibi in amore illo sunt, cum usus praestant, et bona aliis faciunt, in tali gaudio et felicitate sunt, ut videantur sibi tunc primum esse in coelo; hoc datur illis a Domino, cuique secundum usus: sed felicitas illa evanescit, ut primum de remuneratione cogitant, nam cogitatio de remuneratione cum tamen in ipsa remuneratione sunt, amorem illum impurum reddit et pervertit; causa est, quia tunc de se cogitant, et non de proximo, nempe ut semet felices reddant, non autem alios, nisi quantum se; ita amorem erga proximum vertunt in amorem erga se; et quantum hoc faciunt, tantum illis non communicari potest gaudium et felicitas ex coelo, concentrant enim influxum felicis e coelo in se, nec illum transmittunt ad alios, suntque similes objectis, quae radios lucis non remittunt sed absorbent, illa ob-

jecta apparent in luce, ac rutilant, haec autem in opaco sunt et prorsus non rutilant; quapropter illi, qui tales sunt, separantur e societate angelica, sicut qui nihil commune cum coelo habent: hi sunt qui hic describuntur per Jisascharem.

6389. Asinus osseus, quod significet servitium infimum, constat ex significatione asini, quod sit servitium, de qua n: 5958. 5959; et ex significatione ossis, quod sit id quod parum vitae spiritualis habet, de qua n: 5560. 5561; ita asinus osseus est servitium infimum; qui enim bonum faciunt remunerationis causa, quidem usus praestant, ac inserviunt, sed usque sunt inter illos in Regno Domini, qui in infimo loco sunt, nam non dispensant bonum, quod illis communicatur, quam erga illos qui retribuere possunt, reliquos, qui opis maxime indigent, praetereunt; et si his bonum faciunt, fit ex fine remunerationis a Domino, tunc id quod faciunt, ut meritum spectant, ac ita Misericordiam Domini ut debitum; sic recedunt ab humiliatione, et quantum ab hac, tantum a statu receptionis beati et felicis per coelum a Domino. Ex his constare potest, quod in altera vita quidem adhibeantur ad usus, sed ut servitia infima.

6390. Cubans inter sarcinas, quod significet vitam inter opera, constat a significatione cubare, quod sit vita, sed vita obscura; et ex significatione sarcinarum, quod sint opera; quod sarcinae sint talia opera, est quia non ex affectione amoris erga proximum bona faciunt, sed ex affectione amoris erga se; opera quae ex hujus amoris affectione fluunt, sunt sicut sarcinae, quas viliores asini portant, nam sunt servitia inter vilissima: omne enim servum, est ex affectione amoris sui et mundi, ac omne liberum ex affectione amoris in Dominum, et erga proximum; causa est, quia illius amoris affectio influit ab inferno, quod violenter imperat; at hujus amoris affectio a Domino, Qui non imperat sed ducit: inde iterum patet, quod qui bonum faciunt remunerationis causa, sint servitia infima, et illorum opera sarcinae. Per sarcinas simile significatur in Libro Judicum „*Principes in Jisaschar* cum Debora, *et Jisaschar* sic cum Baraco, in valle mittetur sub pedibus ejus, in classibus Rubenis magni statuta cordis: *quare sederes inter sarcinas*, ad audiendum exsibilationes gregum“ V: 15. 16; Jisaschar hic quoque pro illis qui pro operibus remunerari volunt, in valle mitti sub pedibus

pro servire in infimis; classes Reubenis pro illis qui in cognitionibus veri fidei, inter quos sunt, sed in loco infra illos; audire exsibilationes gregum, pro contemtu ab illis qui in bono charitatis sunt, qui sunt greges; sedere inter sarcinas pro inter opera meritoria.

6391. Et videbit quietem quod bona, quod significet opera boni absque remuneratione quod plena felicitate, constat ex significatione quietis, quod sint illa quae sunt coeli, ac ita quae in charitatis bono seu in operibus boni absque remuneratione, de qua sequitur; et ex significatione quod bona, quod sit quod plena sint felicitate. Quod quies sint opera boni absque remuneratione, est quia quies seu pax significat in supremo sensu Dominum, in respectivo coelum, ac ita bonum quod est a Domino, videatur n: 3780. 4681. 5662; et quia non alii in his, quae significantur per quietem seu pacem, [30] sunt, quam qui sunt in charitatis bono, ita in operibus boni absque remuneratione, inde per quietem haec significantur; sunt enim haec consequentia ex serie rerum in sensu interno. Quod ipsam rem attinet, qui bona faciunt non nisi quam ex fine remunerationis, nequicquam scire possunt, quod in faciendis bonis absque remuneratione felicitas tanta sit, adeo ut id sit felicitas coelestis; causa est, quia percipiunt felix in jucundo amoris sui; et quantum homo in hoc amore jucundum percipit, tantum non percipit jucundum in amore coelesti, nam opposita sunt; illud enim jucundum, quod fluit ex amore sui, prorsus exstinguit jucundum quod est ex amore coelesti, usque adeo ut plane nesciatur quid jucundum coeleste sit, et si dicitur quale est, ut non credatur, imo negetur: hoc scire datum est ex spiritibus malis in altera vita, qui cum vixerunt, nihil boni fecerunt aliis vel patriae suae, nisi propter se, illi non credunt, quod aliquod jucundum dari queat in faciendis bonis absque fine remunerationis, putant enim, si finis remunerationis non sit, quod omne jucundum cesset; et si illis adhuc dicitur, quod, cum id jucundum cessat, tunc jucundum coeleste incipiat; cum hoc audiunt, obstupescunt; et adhuc magis, cum audiunt quod jucundum illud coeleste influat per intimum hominis, et afficiat interiora ejus felicitate ineffabili; ad hoc plus obstupescunt, et dicunt se id non comprehendere posse; imo se id nec velle, nam credunt, si amittunt jucundum

amoris sui, quod miserrimi sint, quia tunc absque omni gaudio vitae, et quoque vocant illos qui in alio statu sunt, simplices. Illis non absimiles sunt, qui opera faciunt ex fine remunerationis, nam opera bona pro se et non pro aliis faciunt, nam se in illis, non proximum, nec patriam, nec coelum, nec Dominum, spectant, nisi sicut illos qui in debito sunt, ut sibi benefaciant. Talia sunt, quae in hoc Versu, in quo de Jisaschare, in sensu interno describuntur.

6392. Et terram quod amoena, quod significet quod in illa, nempe felicitate sint, qui in Regno Domini, constat a significatione terrae, quod sit Ecclesia, ac ita quoque Regnum Domini, de qua n: 662. 1066. 1067. 1413. 1607. 1733. 1850. 2117. 2118. 4447; quod terra id sit, est quia terra Canaan, quae per terram intelligitur in Verbo, repraesentaverit Regnum Domini, et hoc quia Ecclesia ibi fuerat ab antiquissimo tempore, n: 3038. 3481. 3705. 3686. 4447. 4454. 4516. 4517. 5136; et ex significatione quod amoena, quod significet felicitatem, quae operibus boni absque remuneratione. Quod dicatur, quod videbit *quietem* quod *bona*, et *terram* quod *amoena*, et per utrumque significetur felicitas quae in Regno Domini, est quia videre *quietem* quod *bona*, se referat ad coeleste seu bonum, et videre *terram* quod *amoena* se referat ad spirituale seu verum, et hoc ob conjugium boni et veri, de quo n: 6343. Quod felicitatem in operibus boni absque remuneratione ulterius concernit, sciendum, quod paucissimi hodie sciant, quod in faciendis bonis absque fine remunerationis, sit felicitas coelestis; non enim sciunt quod alia felicitas sit quam evehi ad honores, serviri ab aliis, divitiis abundare, in voluptatibus vivere; quod supra illa sit felicitas, quae afficit interiora hominis, alte ignorant, ita quod sit felicitas coelestis, et quod haec felicitas sit felicitas genuinae charitatis; quaere sapientes hodie, num sciant quod id sit felicitas coelestis; inde quoque est, quod plures rejiciant bona opera, credentes quod non dari queant apud aliquem, absque fine merendi per illa; nam non sciunt, quod qui ducuntur a Domino, nihil potius velint quam bona opera facere, et quod nihil minus cogitent quam de merito per illa; novae enim voluntati, quae a Domino donatur illis qui regenerantur, hoc inest, nam illa voluntas est Domini apud hominem.

6393. Et inclinabit humerum ad bajulandum, quod significet quod usque omni opera laboret, constat ex significatione humeri, quod sit omnis potentia seu omnis opera, de qua n: 1085. 4931 ad 4937; et ex significatione bajulare, quod sit facere opera merendi causa; inde per inclinare humerum ad bajulandum, significatur omni opera laborare opera facere merendi causa: quod id dicatur bajulare, est, quia non bonum faciunt ex affectione boni, ita non ex libero, sed ex affectione sui, quod est servum, n: 6390. Quod adhuc illos attinet, qui mercedem volunt pro operibus quae praestant, sciendum quod nusquam contenti sint, sed quod indignentur si non illis merces prae reliquis, sique vident alios se beatiores, dolent et incusant; beatitudinem nec ponunt in beatitudine interna, sed in externa, nempe ut emineant, utque dominentur, ac serviantur ab angelis, ita ut supra angelos sint, proinde principes et magnates in coelo; cum tamen beatitudo coelestis sit, non velle dominari, nec serviri ab aliis, sed aliis velle servire, ac minimos esse, ut docet Dominus: „*Accesserunt Jacobus et Johannes, filii Zebedaei, dicentes, da nobis ut unus a dextris tuis, et alter a sinistris tuis, sedeamus in gloria tua: Jesus dixit illis, non scitis quid petitis, sedere a dextris meis, et a sinistris meis, non est meum dare, sed quibus paratum est: scitis quod qui censentur, imperare gentibus, dominentur eis, et magnates potestatem habeant in eas; non sic erit inter vos; sed quisquis voluerit esse magnus inter vos, erit minister vester, et quicunque voluerit vestrum esse primus, erit omnium servus: nam Filius hominis non venit ut ministretur illi, sed ut ministret*" Marc: X: 35 ad 45. [31] Et quod illis coelum sit, qui absque fine remunerationis bonum faciunt, apud Lucam „*Omnis qui exaltaverit seipsum, humiliabitur, sed qui humiliaverit seipsum, exaltabitur.* Quando feceris prandium aut coenam, ne voca amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos tuos, neque vicinos divites, ne forte etiam illi te vicissim vocent, *fiatque tibi retributio;* sed quando feceris convivium, voca pauperes, mancos, claudos, caecos, *tunc beatus eris, quia non habent ad retribuendum tibi, retribuetur tibi in resurrectione* [32] *justorum*" XIV: 11. 12. 13. 14: retributio in resurrectione justorum, est felicitas interna ex benefaciendo absque remuneratione,

quam a Domino accipiunt, cum usus praestant; et qui servire amant absque retributione, quo plus id amant, eo nobilioribus usibus praeficiuntur, et actualiter magni et potentes sunt prae aliis. Qui bona opera faciunt retributionis causa, etiam dicunt, quia sciunt ex Verbo, quod minimi velint in coelo esse, sed tunc cogitant, ut per ita dicere, magni fiant, ita usque inest idem finis; qui autem absque retributione bonum faciunt, actualiter non cogitant de eminentia, sed solum de inserviendo. Videantur quae prius de merito ex operibus dicta et ostensa sunt; ut, quales illi in altera vita, quod appareant secare ligna et serrare gramen, n: 1110. 1111. 4943; quomodo repraesentantur, n: 1774. 2027; qui bonum egerunt sui et amoris mundi causa, quod nihil retributionis pro bono illo accipiant in altera vita, n: 1835: qui meritum ponunt in operibus, quod interpretentur Verbum secundum literam in sui favorem, et quod interiora ejus subsannent, n: 1774. 1877; quod vera charitas sit absque omni meritorio, n: 2340. 2373. 2400. 3816: qui separant fidem a charitate, quod faciant opera, quae fecerunt, meritoria, n: 2373 f: qui intrant in coelum, quod exuant proprium et meritum, a se, n: 4007 f: credere quod bonum faciant ex se, et quod per bonum illud mereantur, quod sit apud plerosque in principio reformationis, sed quod id exuant, sicut regenerantur, n: 4174. [33]

6394. Et erit tributo serviens, quod significet ut mereatur, [est] quod significet esse tributo serviens, quod sit subjectum esse et servire; et quia de illis, qui mereri volunt per opera, dicitur, quod sint asini ossei, cubantes inter sarcinas, et quod inclinet humerum ad bajulandum, [34] per tributo servientem etiam significantur qui per opera mereri volunt, nam quod illi sint servitia infima, videatur supra n: 6389. Quod tributo servire, sit subjectus esse et servire, constat apud Mosen „Quando accedis ad urbem ad oppugnandum eam, invitabis eos ad pacem: fiat autem si pro pace responderit tibi, et aperuerit tibi, et fiet ut omnis populus qui invenitur in ea, *fiet tibi in tributum*, et *servient tibi*" Deut: XX: 10. 11. Apud Jeremiam „Quomodo habitavit solitaria urbs magna populo, facta est sicut vidua, magna inter gentes, *quae dominata est in provincias*, *facta est in tributariam*" Thren: I: 1, ibi quod per fieri in tributum, et

per tributariam, significetur servire, patet. Apud Matthaeum „Jesus dixit, quid tibi videtur Simon, reges terrae *a quibus accipiunt tributa aut censum*, a filiis suis an ab alienis; dicit Ipsi Petrus, ab alienis; ait ei Jesus, ergo liberi sunt filii: verum ne simus iis offendiculo, proficiscens ad mare mitte hamum, et ascendentem primo piscem tolle, aperias os ejus, invenies staterem, accipiens da eum pro Me et te" XVII: 25. 26. 27, hic quoque per dare tributa aut censum, intelliguntur qui serviunt, quare dicitur quod alieni darent, et filii liberi essent, alienigenae enim erant servi, n: 1097; quod Petrus e mari tolleret piscem, et in ore ejus inveniret staterem, quem daret, repraesentabat quod infimum naturale quod servitium, hoc faceret; pisces enim id naturale significant.

6395. Vers: 16. 17. 18. *Dan judicabit populum suum, sicut una tribuum Israëlis. Erit Dan serpens super via, serpens jaculus super semita mordens calcaneos equi, et cadet eques ejus retrorsum. Salutem tuam exspecto Jehovah.* Dan significat illos qui in vero et nondum in bono: judicabit populum suum sicut una tribuum Israëlis, significat quod unum sit ex veris in communi quae repraesentant tribus Israëlis: erit Dan serpens super via, significat ratiocinationem eorum de vero, quia non adhuc bonum ducit: serpens jaculus super semita, significat ex vero de bono: mordens calcaneos equi, significat fallacias ex infima natura: et cadet eques ejus retrorsum, significat quod inde recessio: salutem tuam exspecto Jehovah, significat nisi Dominus opem ferat.

6396. Dan, quod significet illos qui in vero et nondum in bono, constat a repraesentatione Danis, quod sit bonum vitae, de qua n: 3921. [35] 3923, hic autem illi, qui in aliquo bono vitae sunt ex vero, sed nondum ex bono; cum homine enim, qui regeneratur a Domino, ita se habet: ille primum est in vero et non in aliquo bono vitae ex vero, dein est in bono vitae ex vero sed nondum ex bono, postea, cum regeneratus est, in bono vitae est ex bono, et tunc verum, ex bono appercipit et apud se multiplicat; hi sunt gradus regenerationis: per Danem intelliguntur illi, qui in bono vitae sunt ex vero sed nondum ex bono; bonum apud illos latet in vero alte adhuc reconditum, et dat illis affectionem veri, et agit illos ad vivendum secundum verum:

qui tales sunt, in Regno Domini sunt, at quia non ex bono agunt bonum sed ex vero, hoc est, non ex novo aliquo voluntario sed ex intellectuali, ac ita non ex amore, sed ex obedientia quia ita mandatum est, idcirco inter illos in Regno Domini sunt qui in primo seu ultimo coelo: hi sunt qui per Danem repraesentantur, nam in hoc Prophetico Israëlis in sensu interno per duodecim filios ejus describuntur in genere quoad quale omnes qui in Regno Domini sunt. Quod illi qui per Danem significantur, sint in ultimo coelo seu in ultimo Regni Domini, quia in vero et nondum in bono, repraesentatum est per quod sors pro Dane ultimo ceciderit, cum distribueretur terra Canaan in haereditatem inter Tribus, Jos: XIX: 40 ad 48; et quod illis tunc obtigerit haereditas in extremitate terrae illius, Jud: XVIII; sors enim coram Jehovah jacta est, Jos: XVIII: 6, quapropter obtigit cuique secundum repraesentationem ejus; quod terra Canaan repraesentaret Regnum Domini, videatur n: 1607. 3038. 3481. 3705. 3686. 4447. 4454; ac inde omnes termini ibi erant repraesentativi, n: 1607. 1866, 4116; ita ultima illius terrae repraesentabant ultima in Regno Domini, n: 4240; quapropter Dan repraesentabat illos qui in ultimis ibi; nam verum antequam conjunctum est cum bono, in ultimo est; si autem verum prorsus separatum est a bono, tunc non est in aliquo termino Regni Domini, sed est extra illud; quod Danis haereditas esset ultimum terrae Canaanis, constat ex eo, cum tota extensio terrae illius describeretur, quod diceretur, „*a Beerschebah usque ad Danem*" II Sam: III: 10. Cap: XVII: 11. Cap: XXIV: 2. 15. I Reg: V: 5, [36] per Beerschebam ibi significatur intimum terrae, ex causa quia ibi Abraham et Jischak habitarunt, hoc antequam Hierosolyma et Zion intima terrae facta sunt. Qui in vero sunt, et nondum in bono, quales sunt, etiam repraesentatum est per Danitas, qui explorarent terram ubi habitarent, Judic: Cap: XVIII: quod e domo Michae abduxerint Levitam, et abstulerint ephodum, theraphim, sculptile, per quae significatur cultus illorum, qui in vero sunt et nondum in bono, externa enim adorant, et interna non curant; interna nemo appercipit nisi qui in bono est; quod id per Danitas ibi repraesentatum sit, constare potest ex eo, quod omnia Historica Verbi, tam quae in Libris Mosis, quam quae in Libris

Josuae, Judicum, Samuelis et Regum, sint repraesentativa coelestium et spiritualium Regni Domini; ita quoque hoc Historicum in Libro Judicum de Danitis. Quod porro illos concernit, qui in Vero sunt et nondum in bono, illi quales sunt, in nunc sequentibus de Dane in sensu interno describuntur.

6397. Judicabit populum suum sicut una tribuum Israëlis, quod significet quod unum sit ex veris in Communi quae repraesentant Tribus Israëlis, constat ex significatione judicare, quod sit verum in suo officio, de qua sequitur; ex significatione populi, quod sint illi qui in vero sunt, de qua n: 1259. 1260. 2928. 3295. 3581. 4619; hic illi qui in vero sunt et nondum in bono, nam sunt illi Dan seu populus Danis, n: 6396; ex repraesentatione Tribuum Israëlis, quod sint omnia vera et bona fidei in communi, de qua n: 3858. 3926. 3939. 4060. 6335, inde per judicabit populum sicut una tribuum Israëlis, significatur quod verum hoc, quod per Danem repraesentatur, sit etiam inter vera communia, quae repraesentant tribus Israëlis. Quod judicare populum suum, sit verum in suo officio, est quia per Tribus Israëlis repraesentantur omnia vera in communi, ut ex locis supra citatis constare potest, et vera sunt quae judicant, ita per judicare populum suum, significatur Verum in suo officio. In Verbo legitur, quod viginti quatuor Seniores sessuri sint super thronis, et judicaturi gentes et populos; et quod duodecim Apostoli similiter sessuri sint super thronis, et judicaturi duodecim Tribus Israëlis; qui non sensum internum Verbi novit, credet quod ita fiet; at quomodo id intelligendum, constare potest cum ex sensu interno scitur, quid significant viginti quatuor seniores, et quid duodecim Apostoli, tum quid throni, quod nempe omnia vera in suo complexu, secundum quae judicium: similiter intelligitur hic per judicare populum sicut una tribuum Israëlis, non quod illi, aut aliqui seniores illorum judicaturi sint, sed quod ipsa vera, quae per illos significantur, proinde Dominus solus, nam ab Ipso omne verum procedit. De viginti quatuor senioribus, quod sessuri super thronis et judicaturi, ita apud Johannem „Circa Thronum *erant throni viginti et quatuor*, et *super thronis vidi viginti et quatuor seniores sedentes*, indutos vestimentis albis; qui habebant super capitibus suis coronas aureas" Apocal: IV: 4. Cap: XI: 16; et apud

Eundem „*Vidi thronos*, et *consederunt*, et *judicium datum est illis*" Apoc: XX: 4. De duodecim Apostolis apud Matthaeum „Jesus dixit, vos qui sequuti estis Me in Regeneratione, quando sedebit Filius hominis super throno gloriae suae, *sedebitis etiam vos super duodecim thronis judicantes duodecim Tribus Israëlis*" XIX: 28: et apud Lucam „Ego dispono vobis, sicut disposuit Pater Mihi regnum, ut comedatis et bibatis super mensa mea in Regno meo; *et sedeatis super thronis judicantes duodecim Tribus Israëlis*" XXII: 30: quod hic non viginti quatuor seniores, nec duodecim Apostoli intelligantur, sed omnia vera et bona in communi, constare potest ex eo, quod nullus homo, ne quidem aliquis angelus, possit aliquem judicare; interiora enim, qualia sunt, et qualia erunt, et hoc in aeternum, nemo scire potest quam Solus Dominus: quod per duodecim Apostolos, similia ac per duodecim Tribus, significata sint, nempe omnia vera et bona in complexu, videatur n: 2129. 2553. 3488. 3858 f. Ex his nunc patet, quod per Dan judicabit populum suum sicut una tribuum Israëlis, significetur quod verum, quod repraesentatur per Danem, sit unum inter vera communia, per quae judicium.

6398. Erit [37] Dan serpens super via, quod significet ratiocinationem eorum de vero quia non adhuc bonum ducit, constat ex repraesentatione Danis, quod sint qui in Vero et nondum in bono, de qua supra n: 6396; ex significatione serpentis, quod sit ratiocinatio ex sensuali, de qua sequitur; et ex significatione viae, quod sit verum, de qua n: 627. 2333; ita per Dan serpens super via, significatur ratiocinatio eorum de vero, quia non adhuc bonum ducit: qualis illa ratiocinatio sit, et quale inde verum, in sequentibus dicetur. Quod serpens sit ratiocinatio ex sensuali, est quia interiora hominis repraesentantur in coelo per animalia varii generis, ac inde in Verbo similia per eadem significantur; sensualia hominis repraesentata fuerunt per serpentes, ex causa quia sensualia sunt infima apud hominem, et sicut terrestria respective, ac quasi repunt, ut quoque constare potest ex formis, per quas fluunt sensualia, de quibus ex Divina Domini Misericordia, alibi; inde sensualia illa repraesentata sunt per serpentes, usque adeo, ut Divinum sensuale Domini repraesentatum sit per serpentem aeneum in deserto, n: 4211 f:

ac ipsa prudentia et circumspectio, quae existit in externis, significata sit per serpentes, apud Matthaeum „ Estote *prudentes sicut serpentes*, et simplices sicut columbae " X: 16; cum autem homo est in sensuali, remotus ab interno, ut sunt illi qui in vero et nondum in bono, et ex sensuali loquitur, tunc per serpentem significatur ratiocinatio; hic itaque, ubi de Dane agitur, ratiocinatio de vero quia non adhuc bonum ducit: alioquin etiam malitia, astutia, et dolus, significantur per serpentes, sed per serpentes venenatos, ut per viperas, et similes, horum ratiocinatio est venenum. Quod serpens sit ratiocinatio ex sensuali, videatur n: 195. 196. 197; et quod serpens sit omne malum in genere, et quod mala per serpentum genera distinguantur, n: 251. 254. 257.

6399. Serpens jaculus super semita, quod significet ratiocinationem ex vero de bono, constat ex significatione serpentis jaculi, quod sit ratiocinatio de bono, de qua sequitur; et ex significatione semitae, quod sit verum, de qua n: 627. 2333. 3477. Quod serpens jaculus super semita, sit ratiocinatio ex vero de bono, est quia per serpentem significatur ratiocinatio, ita per serpentem jaculum ratiocinatio quae se projicit, nempe ex vero ad bonum, nam verum apud illos, qui repraesentantur per Danem, est infra, et bonum est supra.

6400. Mordens calcaneos equi, quod significet fallacias ex infima natura, constat ex significatione mordere, quod sit adhaerere et sic damnum inferre; ex significatione calcaneorum equi, quod sint fallaciae ex infima natura; calcaneus enim est infimum naturale et corporeum, n: 259. 4938 ad 4952, et equus est intellectuale, n: 2761. 2762. 3217. 5321. 6125, hic equus sunt fallaciae, quia est intellectuale infimi naturalis seu sensualis: quod illi qui in vero sunt et nondum in bono, in fallaciis sint ex infima natura, constare potest ex eo, quod verum non sit in aliqua luce, nisi apud illud aut in illo sit bonum, bonum enim est instar flammae, quae lucem a se emittit, et ubi tunc bonum aliquod verum offendit, hoc non modo illuminat, sed id etiam in suam lucem ad se introducit; qui itaque in vero sunt et nondum in bono, in umbroso sunt et tenebroso, quia verum nihil lucis a se habet, et lux quae illis ex bono, est languida sicut lux quae evanescit; quare illi cum cogitant et ratio-

cinantur de vero, et ex vero de bono, sunt similes illis qui in tenebris phantasmata vident, et credunt corpora realia esse; aut qui in umbra vident in pariete stricturas, et per phantasiam faciunt ex illis aliquam imaginem, sive hominis, sive animalis, et tamen cum oritur lux, apparet quod solum stricturae nullius imaginis sint, similiter se habet cum veris apud illos, vident enim sicut vera, illa quae non sunt vera, quae potius assimilanda sunt phantasmatis, ac stricturis in pariete: ex talibus etiam, qui in aliquo vero fuerunt ex Verbo, sed non in bono, omnes haereses intra Ecclesiam exstiterunt, nam haereticum apparuit illis prorsus ut Verum; similiter falsa intra Ecclesiam, qui illa promulgarunt, quod non in bono fuerint, constare potest ex eo, quod bonum charitatis rejecerint longe post verum fidei, et quod [38] talia quoad partem finxerint, quae cum bono charitatis nullatenus concordant. Dicitur quod illi qui in vero, et nondum in bono sunt, de vero et de bono ratiocinentur a fallaciis ex infima natura, ideo dicendum quid fallaciae; sit pro exemplo, vita hominis post mortem, qui in fallaciis sunt ex infima natura, sicut sunt illi qui in vero et nondum in bono, non credunt quod aliud apud hominem vivat, quam corpus ejus, et cum homo moritur, nisi is iterum recipiat corpus suum, quod neutiquam resurgere possit; si dicitur illis, quod interior homo sit, qui vivit in corpore, et qui resuscitatur a Domino cum corpus moritur, et quod ille homo habeat corpus quale habent spiritus aut angeli, et quod ille sicut homo in mundo videat, audiat, loquatur, cum aliis in consortio sit, ac appareat sibi prorsus ut homo, haec non possunt capere; fallaciae ex infima natura faciunt, ut credant non dari posse talia; maxime ob causam quia oculis sui corporis non vident illa; tales etiam, cum cogitant de spiritu seu anima, de illa prorsus nullam possunt habere ideam, nisi qualem de inconspicuis in natura, unde faciant illam vel sicut respiratorium, vel sicut aëreum, vel sicut aethereum, sicut flammeum, quidam sicut cogitativum purum, cui vix aliquid vitale, priusquam iterum conjungitur corpori; haec cogitant, quia omnia interiora illis umbrae et tenebrae sunt, et externa solum in luce; inde patet quam facile tales possunt labi in errorem; nam si modo cogitant de corpore quomodo iterum coalescet, de interitu mundi, quod intra tot saecula frustra ex-

spectatus, de animalibus brutis quod vitam habeant non absimilem vitae hominis, quod non mortui aliqui appareant, et annuntient statum vitae suae, cum haec et talia cogitant, facile recedunt a fide de resurrectione, ita in pluribus aliis; causa est, quia non in bono sunt, et per bonum in luce: quia talis est status eorum, etiam dicitur „Et cadet eques ejus retrorsum; salutem tuam exspecto Jehovah" per quae significatur, quod inde recessio, nisi Dominus opem ferat.

6401. Et cadit eques ejus retrorsum, quod significet quod inde recessio, constat a significatione cadere retrorsum, quod sit recedere, nempe a vero; et a significatione equitis, quod sit qui in fallaciis ex infima natura; quod per equum fallaciae illae significentur, videatur mox supra n: 6400, quare per equitem significantur illi qui in fallaciis sunt, haec quomodo se habent, mox supra dictum est. Quia per Danem significantur illi intra Ecclesiam, qui tales sunt sicut descripti mox supra n: 6402, et qui sic inter ultimos sunt in Regno Domini, idcirco per Danem etiam significantur, qui falsa ex fallaciis excludunt et circumspargunt; horum falsa quoque vocantur equi et ratiocinationes de vero et bono serpentes, apud Jeremiam „*A Dane auditus fremitus equorum ejus, a voce hinnituum fortium ejus,* contremuit omnis terra, et venerunt et consumserunt terram et plenitudinem ejus, urbem et habitantes in ea; quia ecce Ego mitto in vos *serpentes regulos*, quibus non incantatio, et mordebunt vos" VIII: 16. 17. [39]

6402. Salutem tuam exspecto Jehovah, quod significet nisi Dominus opem ferat, constat ex significatione salutem exspectare, quod hic sit opem ferre; quod Jehovah sit Dominus, videatur n: 1343. 1736. 2156. 2329. 2447. [40] 2921. 3023. 3035. 5663. 6303. Quod opem attinet, quam Dominus fert, quando qui in vero sunt, et non adhuc bonum ducit, recedunt, quae significantur per cadet eques retrorsum, salutem tuam exspecto Jehovah, sciendum quod illi spectent deorsum seu extrorsum, nam nondum in bono sunt, qui autem in bono sunt, ut sunt regenerati, spectant sursum seu introrsum, nam cum regeneratur homo, vertitur ita ordo. Quia illi qui in Vero sunt, et nondum in bono, spectant deorsum seu extrorsum, ideo etiam inter illos sunt qui ad provinciam cutis externae in Maximo homine pertinent,

nam cutis externa ab interioribus corporis vertitur extrorsum, et ab illis quae extra sunt sensum tactus sui capit, non autem sensibiliter ab illis quae intra; inde patet, quod in Regno Domini sint, quia etiam in Maximo homine, sed in ultimis ejus: de illis qui cutem constituunt, videatur n: 5552 ad 5559.

6403. Vers: 19. *Gad, turma depopulabitur illum, et is depopulabitur calcaneum.* Gad significat opera ex vero et nondum bono: turma [41] depopulabitur illum, significat opera absque judicio, quod a vero deturbabunt: et is depopulabitur calcaneum, significat inordinationem inde in naturali.

6404. Gad, quod significet opera ex vero et nondum bono, constat ex repraesentatione Gadis, quod sint opera, de qua n: 3934. 3935, hic opera ex vero, et nondum ex bono, ut patet a descriptione ejus in sensu interno; hoc etiam sequitur in ordine, nam per Danem mox supra repraesentantur illi qui in vero sunt et nondum in bono, n: 6396, hic nunc per Gadem ii qui in operibus ex vero et nondum ex bono: qualia illa opera sunt, in nunc sequentibus dicetur.

6405. Turma depopulabitur illum, quod significet opera absque judicio quod a vero deturbabunt, constat a significatione turmae, quod sint opera, de qua n: 3934, hic opera absque judicio, nam qui ex vero et nondum ex bono opera faciunt, habent intellectum obscuratum, qui autem ex bono, habent intellectum illustratum, nam bonum illustrat; lux enim veri a Domino influit in intellectuale per bonum, ac ita in verum, non autem in verum immediate; se habet hoc sicut lux solis, haec in subjecta regni vegetabilis, ut in arbores, plantas, flores, influit per calorem, et facit ut crescant et floreant, non autem immediate, nam cum lux influit absque calore, nihil crescit et floret, ut tempore hyemis; et ex significatione depopulari illum, quod sit a vero deturbare. Quinam autem illi sunt, qui hic per Gadem significantur, dicendum; sunt qui hallucinantur de vero, et ex eo tamen opera faciunt, ita opera non veri, minus opera boni; per opera inde deturbantur a vero, nam ut primum homo qui in vero est et nondum in bono, ex religioso aliquid in actum mittit, id postea defendit, sicut foret ipsissimum verum, et manet in illo, nec admittit,

nisi quantum in bonum venit, emendationem, per actum enim imbuit illud, et amat illud; ita opera deturbant illum a vero; praeter quod illa credat vera esse, quae non vera sunt, nam ex sensuali etiam hi, sicut qui per Danem significantur, judicant, ita absque judicio: sint exempla illustrationi; qui pro proximo unumquemvis aequaliter habet, et sic benefacit aequaliter malis ac bonis, et per id, quod benefaciat malis, malefacit aliis; is postquam hoc aliquoties in actum miserat, postea defendit, dicendo, quod unusquisque proximus sit, et quod sibi non curae sit, qualis sit, modo benefaciat, ita opera absque judicio facit, et quoque contra ipsum verum, nam ipsum verum est, quod omnes sint proximus, sed in dissimili gradu, et quod proximus prae aliis sint qui in bono, n: 2417. 3419. 3820. 5025. Per Gadem etiam significantur, qui in solis operibus ponunt omne salutis, sicut Pharisaeus, de quo Dominus in parabola „ Pharisaeus stans apud seipsum haec orabat; Deus, gratias ago Tibi, quod non sim sicut reliqui homines, rapaces, injusti, moechi; aut etiam sicut hic Publicanus; jejuno bis in septimana, decimas do omnium quae possideo " Luc: XVIII: 11. 12; ita externa pro ipsissimis veris habuit; qui tales sunt, etiam in Regno Domini sunt, verum in limine; quapropter dicit Dominus „ dico vobis, descendit Publicanus justificatus in domum suam, quam Pharisaeus " ibid: Vers: 14, ita quod Pharisaeus etiam justificatus descenderit, quia opera ex mandato fecerat. Verbo, per Gadem repraesentantur illi, qui verum dicunt quod non verum est, et ex illo non vero faciunt opera, inde opera illorum sunt sicut vera, nam opera non sunt nisi quam voluntas et intellectus in actu; quod illos salvat, est intentio bonum faciendi, et aliquid innocentiae in ignorantia. Qui in externis operibus sunt ex non vero quod credunt esse verum, per Gadem significantur etiam apud Esaiam „ Vos qui deseritis Jehovam, qui obliviscimini montis sanctitatis meae, *qui disponitis* Gadi mensam, et qui impletis Menio libamen " LXV: 11, disponere Gadi mensam, pro in solis operibus esse. Et apud Jeremiam „ Contra filios Ammonis, sic dixit Jehovah Israëli, num haeres non illi, *quare haereditat rex ejus Gadem*, et *populus ejus in urbibus illius habitat* " XLIX: 1, haereditare Gadem pro in operibus ex non veris vivere; filii Ammonis sunt, qui falsificant vera, et

secundum illa falsificata vivunt, n: 2468, quibus apud prophetam applicantur haec de Gade.

6406. Is depopulabitur calcaneum, quod significet inordinationem inde in naturali, constat ex significatione depopulari, quod sit deturbare a vero, ut mox supra n: 6405, ita perturbare ordinem, seu inordinationem causari; et ex significatione calcanei, quod sit infimum naturale, de qua n: 259. 4938 ad 4952; [42] inde patet, quod per is depopulabitur calcaneum, significetur inordinatio in naturali. Qui opera faciunt ex vero, et nondum ex bono, illi non possunt aliter quam inordinationem inducere naturali suo, nam opera naturale afficiunt; et consequenter non possunt non in tantum claudere sibi interiora, nam planum, in quo terminantur interiora, est naturale; quod si inordinatum est, etiam inordinata fiunt quae ab interioribus influunt; et quae inordinata sunt, tenebricosa sunt et opaca, quapropter non videre possunt quid verum, sed in opaco illo et tenebricoso arripiunt pro vero quod non verum est, et ex hoc non vero operantur opera. Praeterea opera maxime necessaria sunt, nam illa sunt charitas et fides in effectu et in vita, quod absque illis non sit charitas, quis non videre potest; opera non sunt aliud quam ipsum bonum et verum in forma externa; bonum enim quod est voluntatis, et verum quod est intellectus, cum in actum mittuntur, vocantur opera; inde patet, quod quale est bonum et verum, talia sint opera.

6407. [Vers: 20.] *Ab Aschere pinguis panis ejus, et ille dabit delitias regis.* Ab Aschere, significat beatum affectionum: pinguis panis ejus, significat jucundum ex bono: et ille dabit delitias regis, significat amoenum ex vero.

6408. Ab Aschere, quod significet beatum affectionum, nempe coelestium, quae sunt amoris in Dominum, et charitatis erga proximum, constat ex repraesentatione Ascheris, quod sit felicitas vitae aeternae, et beatum affectionum, de qua n: 3938. 3939; Ascher etiam a beatitudine dictus est. Quod Beatitudinem illam attinet, illa non facile describi potest, ex causa quia est interna, et raro apud aliquem in ipsum corpus se exserit, ita raro ad sensum; homo enim, dum in corpore vivit, distincte sentit illa quae existunt in corpore, sed obscurissime illa quae existunt in ejus spiritu, mundanae enim curae, cum

homo in corpore est, impediunt; usque in sensum corporis, ubi illae curae sunt, beatum affectionum non influere potest, nisi naturalia et sensualia ad concordantiam cum interioribus redacta fuerint, et usque nec tunc, nisi obscure, modo sicut tranquillum ex eo quod contentus animo sit, at post obitum se id manifestat, ac percipitur ut beatum et felix, et tunc afficit et interiora et exteriora: verbo, beatum affectionum coelestium est ipsius animae seu spiritus, influens per viam internam, et penetrans versus corpus, ubi recipitur quantum jucunda amorum naturalium et sensualium non obstant. Hoc beatum ne hilum datur apud illos qui in jucundo amoris sui et mundi sunt, nam hi amores prorsus oppositi sunt; quapropter etiam illi qui in his amoribus sunt, nequaquam comprehendere possunt, quod aliquid beatum detur, quam evehi ad dignitates, coli sicut numina, divitiis abundare, et possidere opes prae aliis; si illis dicitur, quod jucundum ex his amoribus externum sit, et cum corpore pereat, et quod inde remanet in animo, post obitum vertatur in triste et tetrum, quale illis in infernis; et quod jucundum internum detur, et quod hoc sit faustum et felix quod illis qui in coelo; haec prorsus non capiunt, ex causa, quia apud illos externum regnat, et internum clausum est. Ex his sciri potest, quid intelligitur per beatum affectionum, quod significatur per Ascherem.

6409. Pinguis panis ejus, quod significet jucundum ex bono, constat ex significatione pinguis, quod sit jucundum, per pinguedinem enim significatur coeleste seu bonum amoris, videatur n: 353. 5943, at cum pingue dicitur, et hoc adjungitur pani, qui significat bonum amoris, tunc per pingue significatur jucundum quod est illius amoris; quod panis significet bonum amoris, videatur n: 276. 680. 2165. 2177. 3464. 3478. 3735. 3813. 4211. 4217. 4735. 4976. 5915.

6410. Et ille dabit delitias regis, quod significet amoenum ex vero, constat ex significatione delitiarum, quod sit amoenum; et ex significatione regis, quod sit verum, de qua n: 1672. 1728. 2015. 2069. 3009. 4575. 4581. 4966. 5044. 6148; ita dare delitias regis, est amoenum ex vero: quod dicatur de utroque, nempe de jucundo ex bono et de amoeno ex vero, est ob conjugium coeleste in singulis Verbi, n: 6343.

gloriam" Psalm: XXIX: 9; quod sensus internus, qui spiritualis, sit in hoc „vox Jehovae parturire fecit cervas" constat manifeste ex eo, quod statim post dicatur „sed in templo Ipsius quivis dicit gloriam" quae cum illis quae de cervis et sylvis praecedunt, absque sensu spirituali non cohaererent.

6414. Dans sermones elegantiae, quod significet laetitiam mentis, constat ex significatione sermonum elegantiae, quod sit laetitia mentis, nam omnis sermo procedit a mente, et cum mens laeta et hilaris est, loquitur elegantia: quod post tentationes sit laetitia et jucunditas, videatur n: 1992. 3696. 4572. 5628.

6415. Ex illis quae in hoc Prophetico de Dane, Gade, Aschere, et Naphtali, ab Israële dicta sunt, patet manifeste quod sensus internus sit, et quod absque sensu Interno vix aliquid intelligi queat et sciri quid sit, sicut quod Dan serpens super via, serpens jaculus super semita, mordens calcaneos equi, cadet eques ejus retrorsum: quod turma depopulabitur Gadem, et is depopulabitur calcaneum: quod Ascheri pinguis erit panis, et is dabit delitias regis: et quod Naphtali Cerva dimissa, dans sermones elegantiae, quis illa scire potest, quid sint absque clave ex sensu interno: quod non de filiis Jacobi dicta sint, nec de tribubus, constare potest ex eo, quod nihil tale illis contigerit in postremitate dierum; cum tamen Israël dicit, quod indicaret quid illis tunc continget, Vers: 1; et quia non de illis, sequitur quod de talibus dicta sint, quae per illos repraesentantur; quae qualia sunt, in praecedentibus explicatum est.

6416. Vers: 22. 23. 24. 25. 26. *Filius foecundae Joseph, filius foecundae supra fontem, filiae, incedit supra murum. Exacerbant eum, et jaculantur, et odio habent eum sagittarii. Et sedebit in valido arcus sui, et roborantur brachia manuum ejus, a manibus potentis Jacobi, exinde pastor, lapis Israëlis. A Deo patris tui, et juvabit te, et cum Schaddai, et benedicet tibi, benedictionibus Coeli desuper, benedictionibus abyssi cubantis infra, benedictionibus uberum et uteri. Benedictiones patris tui praevalebunt super benedictionibus genitorum meorum, usque ad desiderium collium saeculi, erunt Capiti Josephi, et vertici naziraei fratrum ejus.* Filius foecundae Joseph, significat Ecclesiam spiritualem, in supremo sensu

Dominum quoad Divinum spirituale: filius foecundae supra fontem, significat fructificationem ex vero e Verbo: filiae, incedit supra murum, significat ad pugnandum contra falsa: et exacerbant eum, significat resistentiam a falsis: et jaculantur, significat quod ex illis pugnent: et odio habent eum sagittarii, significat omni hostilitate: et sedebit in valido arcus sui, significat quod tutus a vero pugnante doctrinae: et roborantur brachia manuum ejus, significat potentiam virium pugnandi: a manibus potentis Jacobi, significat ab omnipotentia Divini Humani Domini: exinde Pastor, Lapis Israëlis, significat quod inde omne bonum et verum spirituali Regno: a Deo patris tui, significat quod is Deus Antiquae Ecclesiae: et cum Schaddai, significat Dominum benefactorem post tentationes: et benedicet tibi benedictionibus coeli desuper, significat bono et vero ab interiori: benedictionibus abyssi cubantis infra, significat scientificis quae in naturali: benedictionibus uberum, significat affectionibus boni et veri: et uteri, significat conjunctionem illorum: benedictiones patris tui praevalebunt super benedictionibus genitorum meorum, significat quod Ecclesiae illi sit bonum spirituale e naturali, non e rationali: usque ad desiderium collium saeculi, significat ad amorem mutuum coelestem: erunt capiti Josephi, significat quod illa quoad interiora: et vertici naziraei fratrum ejus, significat quoad exteriora.

6417. Filius foecundae Joseph, quod significet Ecclesiam spiritualem, in supremo sensu Dominum quoad Divinum spirituale, constat ex repraesentatione Josephi, quod sit in supremo sensu Dominus quoad Divinum spirituale, in sensu interno Regnum spirituale et bonum fidei, et in externo fructificatio et multiplicatio, de qua n: 3969. 3971; et quia Josephus est fructificatio boni et multiplicatio veri, dicitur ille filius foecundae. Per Josephum hic agitur de spirituali Regno Domini, et supra per Jehudam de Coelesti Regno Ipsius, nam sunt duo Regna, quae Coelum constituunt, Coeleste et Spirituale, Regnum coeleste constituit intimum seu tertium coelum, Regnum spirituale medium seu secundum, Regno spirituali apparet Dominus ut Luna, Regno autem coelesti ut Sol, n: 1053. 1521. 1529. 1530. 1531. 4060. Dicitur, quod per Josephum in supremo sensu repraesentetur Dominus quoad Divinum spirituale, sed

cum hoc ita se habet, Dominus non est nisi quam Divinum Bonum; quód ex Divino Ipsius Bono procedit, ac influit in Coelum, in Coelesti Regno Ipsius vocatur Divinum Coeleste, et in spirituali Regno Ipsius Divinum spirituale; ita Divinum spirituale et Divinum coeleste dicitur respective ad receptiones.

6418. Filius foecundae supra fontem, quod significet fructificationem ex vero e Verbo, constat ex significatione filii, quod sit verum, de qua n: 489. 491. 533. 2623. 2803. 2813. 3373. 3704; ex significatione foecundae, quod sit fructificatio ex vero, nam foecunditas, sicut partus et nativitas, in sensu spirituali sunt veri et boni, n: 1145. 1255. 3860. 3868. 4070. 4668. 5598; et ex significatione fontis, quod sit Verbum, de qua n: 2702. 3424. 4861; inde patet, quod per filius foecundae supra fontem, significetur fructificatio ex vero e Verbo. Qui e spirituali Ecclesia Domini sunt, quae Ecclesia hic per Josephum repraesentatur, ex vero e Verbo discunt scire quid bonum, et sic per verum initiantur in bonum, inde tunc fructificatio, quae significatur per foecundam.

6419. Filiae, incedit supra murum, quod significet ad pugnandum contra falsum, constat a significatione filiae, quod sit Ecclesia, de qua n: 2362. 3963, hic Ecclesia spiritualis, quia de illa agitur; ex significatione incedere supra murum, quod sit ad pugnandum contra falsum, ut patet ab his quae mox sequuntur „Exacerbant eum, et jaculantur, et odio habent eum sagittarii, et sedebit in valido arcus sui," per quae significatur pugna falsi contra verum. Quod dicatur, incedit supra murum, est quia in sensu interno agitur de oppugnatione veri a falsis, et tutatione veri contra falsum, nam Ecclesia spiritualis, quae per Josephum repraesentatur, oppugnatur continue, sed Dominus illam tutatur continue; inde in Verbo illa quae sunt Ecclesiae illius comparantur urbi, cui Murus, Antemurale, Portae, Vectes; et per oppugnationes urbis illius describuntur oppugnationes veri a falsis; quapropter etiam urbs significat doctrinalia, n: 402. 2268. 2449. [46] 2712. 2943. 3216. 4492. 4493, ac murus vera fidei, quae defendunt, ac in opposito sensu falsa quae destruuntur; quod vera fidei quae defendunt, patet apud Esaiam „*Urbs valida nobis*, salutem *ponet muros et antemurale;* aperite portas, ut ingrediatur gens justa custo-

diens fidelitates" XXVI: 1: et apud Eundem „Vocabis salutem *muros tuos*, et portas tuas laudem" LX: 18. Apud Eundem „Ecce super manus insculpsi te, *muri tui ante me jugiter*" XLIX: 16; muri pro veris fidei. Apud Eundem „*Super muris tuis*, Hierosolyma, constitui custodes, tota die et nocte non tacebunt, commemorantes Jehovam" LXII: 6, similiter. Apud Jeremiam „Sic dixit Jehovah Zebaoth, Ego converto arma belli, quibus vos pugnantes cum Rege Babelis, *obsidentes vos extra murum*, pugnabo Ego Ipse cum vobis per manum extensam" XXI: 4. Apud Eundem „Cogitavit Jehovah *perdere murum filiae Zionis*, lugere fecit *promurale et murum*, simul languent; subsiderunt in terram *portae ejus*, perdidit et confregit *vectes ejus*" Thren: II: 8. 9. Apud Ezechielem „Filii Arvadi et exercitus tuus *super muris tuis circumcirca;* et Gammadaei in turribus tuis fuerunt, scuta sua suspenderunt *super muris tuis circumcirca*, et perfecerunt pulchritudinem tuam" XXVII, [11.] ubi de Tyro, per quam significantur cognitiones boni et veri. Quod talia per Urbem et muros significentur, constare potest manifeste ex descriptione Sanctae Hierosolymae descendentis e coelo, visae Johanni, per quam quod nova Ecclesia significetur, a singulis patet, et per murum ibi Divinum Verum procedens a Domino; de illa ita apud Johannem „Sancta Hierosolyma descendens de Coelo, *habens murum magnum et altum*, habens portas duodecim; *Murus urbis* habebat fundamenta duodecim, et in illis nomina duodecim Apostolorum Agni: qui mecum loquebatur, metiebatur urbem et portas ejus, et *Murum ejus; Murus ejus* erat centum quadraginta et quatuor cubitorum, quae est mensura hominis, hoc est, angeli: *erat structura muri jaspis*, et urbs aurum purum, similis vitro puro; *fundamenta muri urbis* omni lapide pretioso exornata" Apoc: XXI: 10. 11. [12.] 14. 15. 17. 18. 19; quod Murus sit Divinum Verum procedens a Domino, et inde verum fidei ex bono charitatis, patet a singulis quae de muro ibi dicuntur, ut quod murus haberet fundamenta duodecim, et in illis nomina duodecim Apostolorum Agni, per duodecim enim significantur omnia, n: 3272. 3858. 3913, per murum et ejus fundamenta vera fidei, similiter ac per duodecim Apostolos, n: 3488. 3858 f. 6397; tum quod murus esset 144 Cubitorum, per illum numerum enim simile

significatur quod per duodecim, nempe omnia, nam compositus est ex duodecim multiplicatis in duodecim, et quia numerus ille, cum dicitur de muro, significat omnia vera et bona fidei, additur, quod ille sit mensura hominis, hoc est, angeli; et quoque quod structura muri esset jaspis, et fundamenta ejus omni lapide pretioso exornata, per jaspidem enim et per lapides pretiosos significantur vera fidei, n: 114. Quod murus in opposito sensu significet falsa quae destruuntur, patet ab his locis, apud Esaiam „Dies tumultus in valle visionis; Dominus Jehovih Zebaoth *destruit murum*, ut vociferatio versus montem; nam Elam sustulit pharetram cum curru hominis, equitibus, equites ponendo posuerunt usque ad portam" XXII: 5. 6. 7. Apud Eundem „*Munimentum refugii murorum tuorum* deprimet, dejiciet, prosternet [47] in terram, usque in pulverem" XXV: 12. Apud Jeremiam „*Ascendite in muros ejus*, et dejicite" V: 10. Apud Eundem „Accendam *ignem in murum Damasci*, qui comedet palatia Benhadadi" XLIX: 27. Apud Eundem „*Contra muros Babelis* tollite signum, tenete custodiam, constituite custodes" LI: 12. Apud Ezechielem „*Evertent muros Tyri*, et destruent turres ejus, et detraham pulverem ejus ab illa, et dabo illam ariditatem petrae" XXVI: 4. 8. 9. 12.

6420. Et exacerbant eum, quod significet resistentiam a falsis, constat a significatione exacerbare, quod sit resistentia, quanta enim resistentia est, tanta est exacerbatio, quando pugna, de qua nunc agitur; quod resistentia a falsis, patet ab illis quae sequuntur.

6421. Et jaculantur, quod significet quod ex illis pugnent, constat ex significatione jaculari, quod sit pugnare ex falsis; arcus enim significat doctrinam, ac jacula seu tela illa quae sunt doctrinae, ita vera doctrinae apud illos qui in veris sunt, et falsa doctrinae, apud illos qui in falsis, videatur n: 2686. [48] 2709; [49] quod hic jaculari sit pugnare ex falsis, est quia de illis qui in falsis sunt, hic agitur.

6422. Et odio habent eum sagittarii, quod significet omni hostilitate, constat ex significatione odii, quod sit omnis hostilitas, nam qui aliquem odio habet, omni hostilitate, quantum potest, illum persequitur; et ex significatione sagittariorum, quod hic sint illi qui oppositi sunt illis qui a spirituali Ecclesia, nam jacu-

lator arcus seu sagittarius est spiritualis homo, ex eo quod arcus significet doctrinalia Ecclesiae spiritualis, n: 2686. [48] 2709, inde jaculator arcus seu sagittarius in opposito sensu est, qui ut hostis pugnat cum spirituali homine; quod jaculator arcus seu sagittarius sit spiritualis homo, videatur n: 2686. 2709; inde patet quod per odio habent eum sagittarii, significetur, quod illi qui in falsis sunt, omni hostilitate persequantur hominem Ecclesiae spiritualis.

6423. Et sedebit in valido arcus sui, quod significet quod tutus a vero pugnante doctrinae, constat a significatione sedere, quod sit tutus esse, qui enim sedet in valido arcus, is tutus est; ex significatione arcus, quod sit doctrina, de qua n: 2686. [50] 2709, validum doctrinae est verum, doctrina enim in quo non verum, nihil valet; quod vero sit potentia et valor, videatur n: 878 f. 3091. 6344. 4931. 4934. 4937; causa quod verum sit validum, est quia bonum agit per verum; bonum enim est tale, ut ad illud nihil mali et falsi accedere possit, ita nec aliquis ex turba infernali, haec ad multam distantiam aufugit cum approximat bonum, seu angelus qui in bono est; ut autem bonum pugnare possit cum turba illa quae ab inferno apud hominem, ac tutari illum omni modo, tum etiam tutari spiritus qui recentes ex mundo veniunt, ut et illos qui in terra inferiore sunt, agit bonum per verum, sic enim approximare potest. Quanta potentia insit vero, constare mihi potuit ab illis quae in altera vita videre datum est; quidam qui in Vero naturali fuit, quia cum vixit in mundo fuerat in justo, is plura inferna pertransivit, et inde mihi loquutus est ac illa descripsit, is in tali potentia et valore erat, ut spiritus infernales ne hilum possent illum infestare, sic ut tutus ab uno in alterum transiret; quod nequaquam possunt facere, qui non in vero sunt. Ex his patet, quod per sedebit in valido arcus, significetur quod tutus a vero doctrinae; quod sit a vero pugnante, sequitur ab illis quae praecedunt, quod jaculentur et odio habeant eum sagittarii.

6424. Et roborantur brachia manuum ejus, quod significet potentiam virium pugnandi, constat ex significatione brachiorum et manuum, quod sint potentiae, de qua n: 878. 3091. 3387. 4931 ad 4937. 5327. 5328. 5544; quod sit potentia virium pugnandi, liquet, quia de pugna agitur.

6425. A manibus potentis Jacobi, quod significet ab Omnipotentia Divini Humani Domini, constat a significatione manuum, quod sit potentia, de qua mox supra n: 6424, et in supremo sensu, in quo de Domino agitur, omnipotentia, n: 878. 3387. 4592. 4933 f; et ex significatione potentis Jacobi, quod sit Divinum Naturale Domini, ita Divinum Humanum Ipsius, n: 1893. 3305. 3576. 3599. 4286. 4538. 6098. 6185. 6276: quod Dominus sit Qui per Potentem Jacobum intelligitur, patet etiam apud Davidem „Qui juravit Jehovae, *vovit Potenti Jacobo*, si intravero intra tentorium domus meae, usque dum invenero locum Jehovae, *habitacula Potentis Jacobi*" Psalm: CXXXII: 2. 3. 5. Et apud Esaiam „Ut sciant omnis caro, quod Ego Jehovah Salvator tuus, et Redemptor tuus, *Potens Jacob*" XLIX: 26. Apud Eundem „Audi Jacob serve mi, et Israël quem elegi, effundam Spiritum meum super semen tuum, et benedictionem meam super natos tuos; Hic dicet Jehovae, Ego, *et Is vocabit Se nomine Jacobi*, et Ille scribet manu sua Jehovae, et *nomine Israëlis cognominabit Se*" XLIV: 1. 2. 5. Quod etiam Israël in supremo sensu sit Dominus, apud Hoscheam „Cum puer esset Israël, tunc amavi illum, et ex Aegypto vocavi filium meum" XI: 1; quod sit Dominus, Qui per Israëlem ibi intelligitur, constat apud Matthaeum „Joseph cum puero ivit in Aegyptum; ut impleretur quod dictum a Propheta, ex Aegypto vocavi filium meum" [, II: 14. 15].

6426. Exinde pastor, lapis Israëlis, quod significet quod inde omne bonum et verum spirituali Regno, constat a significatione pastoris, quod sit qui ducit ad bonum charitatis per verum fidei, de qua n: 343. 3795. 6044, hic in supremo sensu, quia de Domino, est ipsum bonum et verum; ex significatione lapidis, quod sit verum, de qua n: 1298. 3720. 3769. 3771. 3773. 3789. 3798; et ex repraesentatione Israëlis, quod sit Ecclesia spiritualis, de qua n: 3305. 4286, nam Israël est bonum spirituale seu bonum veri, n: 4286. 4598. 5801. 5803. 5806. 5812. 5817. 5819. 5826. 5833; et quia bonum veri est ipsum essentiale Ecclesiae spiritualis, idcirco per Israëlem Ecclesia spiritualis significatur, et in superiore sensu Regnum spirituale Domini: ex his patet, quod per exinde pastor, lapis Israëlis, significetur quod inde omne bonum et verum spirituali

Regno Domini. Quod Lapis Israëlis sit in supremo sensu Dominus quoad Verum quod Regno Ipsius spirituali, est quia per Lapidem in genere significatur Templum, et in specie fundamentum ejus, et per Templum significatur Divinum Humanum Domini, ut constat apud Johannem Cap: II: Vers: 19. 21; et quoque per fundamentum ejus, apud Matthaeum Cap: XXI: 42. 44; et apud Esaiam Cap: XXVIII: 16. Quod Lapis in supremo sensu sit Dominus quoad Divinum verum quod Regno Ipsius spirituali, patet apud Davidem „*Lapis quem rejecerunt architecti, factus est in caput anguli*, a cum Jehovah factum est hoc; ille est mirabilis in oculis nostris" Psalm: CXVIII: 22. 23, quod Lapis ibi sit Dominus, constat apud Lucam „Scriptum est, *quem Lapidem rejecerunt architecti, hic factus est in caput Anguli*, quicunque ceciderit super illum Lapidem, confringetur, super quem autem ceciderit, eum comminuet" XX: 17. 18, [51] haec Dominus de Se loquitur. Apud Esaiam „Ille timor vester, et Ille formido vestra, erit enim in Sanctuarium, licet *in Lapidem impulsus, et in petram offendiculi*, duabus domibus Israëlis; impingent inter eos multi, et cadent, et confringentur" VIII: 13. 14. 15, ubi de Domino. Apud Eundem „Dixit Dominus Jehovih, ecce Ego, *fundabit in Zione Lapidem, Lapidem probationis, Anguli pretii, fundationis fundatae;* qui crediderit, non festinabit" XXVIII: 16. Apud Sachariam „Visitabit Jehovah Zebaoth gregem suum, domum Jehudae, et ponet eos sicut equum gloriae in bello, ex illo *Angularis*, ex illo clavus, ex illo *arcus belli*" X: 3. 4. Apud Danielem „Videns fuisti, usque dum *excisus Lapis, qui non per manus*, et percussit statuam super pedes ejus, qui ferrum et argilla, et contrivit eos, *Lapis qui percussit statuam, factus est in petram magnam*, et implevit omnem terram. Surgere faciet Deus coelorum Regnum, quod in saecula non perdetur, et Regnum ejus populo alii non permittetur; conteret et consumet omnia illa Regna, ipsum autem stabit in saecula: propterea quod vidisti, *quod e petra excisus est lapis, qui non per manus*, et contrivit ferrum, aes, argillam, argentum et aurum" II: 34. 35. 44. 45; hic per Lapidem in supremo sensu intelligitur Dominus, et in sensu respectivo Regnum Ipsius spirituale; quod lapis excisus sit e petra, significat quod e vero fidei, nam id per petram in Verbo signifi-

catur, et quia verum fidei per lapidem et petram, est Regnum Domini spirituale quod etiam significatur, hoc enim in vero fidei, et inde in bono est. Per lapidem etiam, super quo dormivit Jacob, et quem dein posuit in statuam, simile significatur; de quo ita „Expergefactus Jacob e somno suo, et dixit, certe est Jehovah in loco hoc, et ego non scivi: et timuit et dixit, quam terribilis locus hic, *nihil hic nisi domus Dei,* et haec porta coeli: et mane surrexit Jacob in matutino, et *sumsit lapidem,* quem posuerat sub capitalia sua, et posuit illum statuam, et fudit oleum super caput ejus; dixit; *Lapis hic, quem posui statuam, erit domus Dei*" Genes: XXVIII: 16. 17. 18. [22.] Quod per Lapidem ab antiquis intellectus sit Dominus in supremo sensu, et Regnum Ipsius spirituale in sensu repraesentativo, etiam liquet apud Joschuam „*Erexit Joschua lapidem*, sub quercu quae in sanctuario Jehovae; et dixit Joschua ad universum populum, *ecce lapis hic* erit nobis in testem; audivit *enim Ille omnes sermones Jehovae*, quos loquutus est nobiscum; et erit in testem contra vos, [52] ne abnegetis Deum vestrum" XXIV: 26. 27.

6427. Quid in binis his versibus in sensu interno continetur, patet ab illis quae explicata sunt, sed usque haec [non] possunt non obscura esse, nisi sciatur quale Regnum spirituale est; hoc Regnum consistit ex illis qui in vero fidei sunt, sed qui hoc verum faciunt vitae, ac ita bonum, verum fidei cum vivitur secundum illud fit bonum, et vocatur bonum Veri, sed est in essentia sua Verum actu: Verum fidei in spirituali Ecclesia Domini est varium, nam in una Ecclesia dicitur id verum, quod in altera dicitur non verum, et hoc secundum doctrinam cujusvis; ita doctrinalia sunt quae vocantur vera; haec vera sunt quae conjunguntur bono, et faciunt bonum Ecclesiae spiritualis; inde tale fit bonum quale est verum, nam bonum quale suum habet a veris: inde constare potest, quod bonum Ecclesiae spiritualis sit impurum, et quia impurum, quod spirituales in coelum admitti nequeant, nisi per Divina media; ipsissimum Divinum medium fuit, quod Dominus in mundum venerit, et Humanum in Se Divinum fecerit; per id salvati sunt spirituales: sed quia bonum apud illos impurum est, non possunt non infestari a malis et falsis, et sic in pugna esse; sed Dominus

providet, ut [53] per pugnas illas impurum apud eos per gradus purificetur, nam Dominus pugnat pro illis; haec sunt quae significantur per quod „filia incedit super murum, et quod exacerbent eum, et jaculentur, et odio habeant eum sagittarii; et sedebit in valido arcus sui, et roborantur brachia manuum ejus a manibus potentis Jacobi, exinde pastor lapis Israëlis". Videantur quae de illis qui ab Ecclesia spirituali prius dicta sunt, quod nempe illis obscurum sit quoad Verum et inde bonum, n: 2708. 2715. 2718. 2831. 2935. 2937. 3241. 3246. 3833. 6289: quod hoc obscurum illuminetur a Divino Humano Domini, n: 2716: quod ante adventum Domini non Regnum spirituale fuerit quale post Ipsius adventum, n: 6372: quod Dominus venerit in mundum, ut salvaret spirituales; et quod salventur per Divinum Humanum Domini, n: 2661. 2716. 2833. 2834. 3969: inde quoque patet, quod per roborantur brachia manuum ejus a manibus potentis Jacobi, exinde pastor, lapis Israëlis, significetur potentia virium pugnandi ab omnipotentia Divini Humani Domini, unde omne bonum et verum spirituali Regno, n: 6424. 6425. 6426.

6428. A Deo patris tui, et juvabit te, quod significet quod is Deus Antiquae Ecclesiae, constat ex repraesentatione Jacobi, qui hic est pater, quod sit Antiqua Ecclesia, de qua n: 4439. 4514. 4680. 4772: haec Ecclesia fuit Ecclesia spiritualis, et in illa Dominus colebatur, qui hic per Deum Antiquae Ecclesiae, a quo [54] auxilium in pugnis, de quibus mox supra, intelligitur.

6429. Et cum Schaddai, quod significet Dominum Benefactorem post tentationes, constat ex significatione Schaddai, quod ita appellatus sit Dominus respective ad tentationes, et ad benefacta post tentationes, de qua n: 1992 3667. 4572. 5628.

6430. Et benedicet tibi benedictionibus coeli desuper, quod significet bono et vero ab interiori, constat a significatione benedictionum, quod sit multiplicatio veri et fructificatio boni, benedictio in spirituali sensu non aliud est; ex significatione coeli desuper, quod sit ab interiori, coelum enim hominis est in interioribus ejus, nam homo, qui in bono vitae est, quoad interiora sua est in societate cum Angelis, ita in coelo, et quoad exteriora sua in societate cum hominibus, ita in mundo; idcirco cum ho-

mo recipit bonum et verum, quae a Domino per coelum influunt ab interiori, tunc benedicitur benedictionibus coeli desuper.

6431. Benedictionibus abyssi cubantis infra, quod significet scientificis quae in naturali, constat a significatione benedici benedictionibus, quod sit donari [55] talibus quae sunt e mundo spirituali; et ex significatione abyssi cubantis infra, quod sint scientifica in naturali: naturale vocatur abyssus cubans infra respective ad interiora, quae sunt coelum, de quo mox supra n: 6430; [56] et quia naturale significatur per abyssum cubantem infra, etiam significantur scientifica, nam scientifica cum eorum jucundis sunt in naturali, et faciunt vitam ejus, imprimis apud spiritualem hominem, nam is introducitur per scientifica in vera, et per vera in bonum; exinde patet, quod per benedici benedictionibus abyssi cubantis infra, significetur donari scientificis, ita veris, in naturali. Per abyssum etiam significantur vera scientifica in naturali in benedictione Josephi, apud Mosen „Benedicta a Jehovah terra ejus, de pretiosis coeli, de rore, *de abysso etiam jacente infra*" Deuter: XXXIII: 13.

6432. Benedictionibus uberum, quod significet affectionibus boni et veri, constat ex significatione uberum, quod sint affectiones boni et veri; quod ubera affectiones illae sint, est quia communicant cum organis generationis, et per id etiam ad provinciam amoris conjugialis pertinent, de qua provincia videatur n: 5050 ad 5062, et amor conjugialis correspondet conjugio coelesti, quod est conjugium boni et veri, amor enim conjugialis ex eo conjugio descendit, n: 2618. 2728. 2729. 2803. 3132. 4434. 4835. [57] 6179, inde per ubera significantur affectiones boni et veri; et quoque ex eo, quod per ubera alantur infantes, et per affectionem hanc significent conjunctionem amoris conjugialis cum amore erga prolem. Affectiones illae etiam per ubera significantur, apud Esaiam „Suges lac gentium, et *ubera regum suges*, pro aere adducam aurum, et pro ferro argentum" LX: 16. 17; ubera regum sugere, pro bonum ex vero, per reges enim significantur vera, n: 1672. 2015. 2069. 3009. 3670. 4575. 4581. 4966. 5044. 5068. 6148; quod per lac gentium, et ubera regum, aliquod reconditum, quod spirituale, significetur, patet, nam aliter forent verba absque sensu, quod bonum et verum, liquet ab illis quae sequuntur „pro aere ad-

ducam aurum, et pro ferro argentum" aes enim est bonum naturale, n: 425. 1551, aurum bonum coeleste, n: 113. 1551. 1552. 5658; ferrum est verum naturale, n: 425. 426, et argentum verum spirituale, n: 1551. 2954. 5658. 6112. Apud Ezechielem „Quoad augmentum, sicut germen agri dedi te, unde crevisti et adolevisti, et venisti in decora decorum, *ubera solidata sunt*, et crinis tuus crevit" XVI: 7, ibi de Hierosolyma, per quam ibi significatur Ecclesia spiritualis Antiqua, ubera solidata pro affectionibus boni et veri interioribus, crinis tuus crevit pro exterioribus quae sunt naturalis, quod crinis sit naturale quoad verum, videatur n: 3301. 5247. 5569 ad 5573; quod in his sit sensus spiritualis, qui non apparet in litera, patet, nam absque eo sensu quid foret dicere de Hierosolyma, quod ubera ejus solidata, et crinis crevit. Apud Eundem „Duae mulieres filiae unius matris fuerunt, quae scortatae sunt in Aegypto, in adolescentia sua scortatae sunt, *ibi compressa sunt ubera earum*, et ibi contrectarunt mammas virginitatis earum" XXIII: 2. 3. 8. 21; quod duae mulieres sint Hierosolyma et Samaria, ibi dicitur, per quas in sensu interno significantur Ecclesiae; quod in adolescentia scortatae sint cum Aegypto, significat quod falsificaverint vera Ecclesiae per scientifica, quod scortari sit falsificare vera, videatur n: 2466. 4865, et quod Aegyptus sit scientificum, n: 1164. 1165. 1186. 1462. 5700. 5702; inde compressa sunt ubera earum, pro quod affectiones boni et veri per falsificationes perversae factae sint; quod per scortationem mulierum, et per compressionem uberum illarum talia significentur, constare potest eis [58] qui in sensum descriptionis illarum mulierum intuentur. Apud Hoscheam „Contendite cum matre vestra; removeat scortationes suas a faciebus suis, *et adulteria sua ab inter ubera sua*, ne forte exuam eam nudam, et ponam eam [59] sicut desertum, et disponam eam sicut terram siccitatis, et occidam eam per sitim" II: 2. 3, mater ibi pro Ecclesia, n: 289. 2691. 2717. 3703. 4257. 5581; [60] scortationes pro falsificationibus veri, n: 2466. 4865; adulteria pro adulterationibus boni, n: 2466. 2729. 3399; inde adulteria ab inter ubera, pro affectionibus boni et veri adulteratis, exuere nudam, pro deprivare omni vero, n: 1073. 4958. 5433; ponere eam sicut desertum, disponere sicut terram siccitatis, et occidere

per sitim pro omne verum exstinguere. Apud Eundem „Da illis vulvam abortientem, et *ubera arentia*" IX: 14, ubera arentia pro affectionibus non veri et boni. Apud Esaiam „Mulieres sècurae, consistite, audite vocem meam, filiae confidentes auribus percipite sermonem meum, exue et denuda te, et *accinge super lumbis, super ubera se pulsantes*, ob agros meri, et vitem frugiferam" XXXII: 9. 11. 12; [61] filiae pro affectionibus, n: 2362. 3024. 3963, denudari pro privari vero, n: 1073. 4958. 5433, accingere se super lumbis, pro in dolore esse propter amissum bonum; super ubera pulsantes, pro in dolore esse propter amissum bonum veri; quae quia significantur, dicitur ob agros meri, et vitem frugiferam, ager enim est Ecclesia quoad bonum, ita bonum Ecclesiae, n: 2971. 3196. 3310. 3766, et vitis Ecclesia spiritualis, proinde bonum veri, n: 5113. 6375. 6376. In Apocalypsi „Vidi septem Candelabra aurea, et in medio septem candelabrorum similem Filio hominis, indutum talari, *et circumcinctum ad ubera zona aurea*" 1: 12. 13, Candelabra aurea, sunt vera boni, Filius hominis Divinum verum, circumcincta ad ubera zona aurea, est bonum amoris; quae visa Johanni quod involvant talia quae sunt Regni Domini et Ecclesiae Ipsius, quisque ex sanctitate Verbi concludere potest, nam quid sancti foret praedicere de Regnis mundi; inde constare potest quod coelestia sint quae significantur per Candelabra, et per quod Filius hominis indutus sit talari, et circumcinctus ad ubera zona aurea. Apud Lucam „Sustulit quaedam mulier vocem suam ex populo, dixit de Jesu, beatus venter qui gestavit Te, *et ubera quae suxisti:* at Jesus dixit, veruntamen beati, qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud" XI: 27 [. 28], ex responso Domini patet, quid beatus venter, et quid ubera, significant, nempe quod illos qui audiunt Verbum Dei, et custodiunt illud, ita affectiones veri, quae sunt illis qui audiunt Verbum Dei, et affectiones boni quae sunt illis qui custodiunt seu faciunt illud.

6433. Et uteri, quod significet conjunctionem illorum, nempe boni et veri, constat ex significatione uteri, quod sit intimum amoris conjugialis; et quia amor conjugialis existit ex conjugio coelesti, quod est conjunctio boni et veri, idcirco per uterum haec conjunctio significatur: quod intimum amoris conjugialis per uterum significetur, videatur n: 4918; et quod

amor conjugialis existat ex conjugio coelesti, seu conjunctione boni et veri in coelo, n: 2618. 2728. 2729. 2803. 3132. 4434. 4835. [57] 6179.

6434. Benedictiones patris tui praevalebunt super benedictionibus genitorum meorum, quod significet quod Ecclesiae illi sit bonum spirituale e naturali, constat ex repraesentatione Josephi, quod sit Ecclesia spiritualis, de qua n: 6417; ex repraesentatione Israëlis, qui hic est pater, quod sit bonum spirituale e naturali, de qua n: 5801. 5803. 5806. 5812. 5817. 5819. 5826. 5833; ex repraesentatione Jischaki et Abrahami, qui hic sunt genitores, quod in supremo sensu sint Divinum internum Domini, Jischak Divinum Humanum Internum, seu Divinum Rationale Domini, n: 1893. 2066. 2072. 2083. [62] 2630. 3012. 3194. 3210; et Abraham ipsum Divinum Domini, n: 2011. 3251. 3439. 4615; in sensu autem respectivo sunt Abraham et Jischak Internum Regni et Ecclesiae Domini, n: 6098. 6185. 6276. Ex his aliquatenus videri potest, quid per benedictiones patris tui praevalebunt super benedictionibus genitorum meorum, significatur, quod nempe Ecclesiae spirituali erit bonum e naturali seu externo homine, non autem e rationali seu interno, nam bonum hominis Ecclesiae spiritualis est in naturali, non vadit ulterius, bonum autem Ecclesiae coelestis est in rationali. Quod hic sensus sit, nullatenus sciri potest, nisi sciatur quid Israël, et quid Jischak et Abraham, repraesentant, tum ubi et unde bonum Ecclesiae spiritualis.

6435. Usque ad desiderium collium saeculi, quod significet ad amorem mutuum coelestem, constat a significatione collium saeculi, quod sint quae sunt amoris mutui, de qua sequitur; ut Ecclesia spiritualis ad illum amorem veniat, significatur per usque ad desiderium collium saeculi. Antequam ex aliis locis Verbi demonstratur, quod per colles saeculi significetur amor mutuus, primum dicendum est, quid per amorem mutuum intelligitur, ad quem homo Ecclesiae spiritualis, quae per Josephum repraesentatur, pervenire sataget; ex illis quae saepius prius dicta et ostensa sunt, constare potest, quod bina Regna sint quae Coelum constituunt, nempe Regnum coeleste et Regnum spirituale; differentia inter illa bina Regna est, quod Bonum Regni Coelestis internum, sit Bonum amoris in Dominum,

[illegible] qui ab illo Re-
[illegible] quod voca-
[illegible] Deo, adeo ut se-
[illegible] in illo Regno
[illegible] 202. 203. 4448,
[illegible] amoris mutui: quod
[illegible] bonum cha-
[illegible] est verum fidei: ex his
[illegible] illa Regna, tum
[illegible] internum Regni Coelestis
[illegible] per medium quod vo-
[illegible] Regni coelestis, ut
[illegible] est internum Regni spi-
[illegible] seu bonum amoris
[illegible] erga proximum, est
[illegible] seu tametsi bonum
[illegible] Ecclesiae coelestis, est ute-
[illegible] proximum est externus, [illegible]
[illegible] per medium, ut mox dictum
[illegible] Regna. [illegible] distinguatur inter bo-
[illegible] ac inter bonum internum
[illegible] diu bonum vocare bo-
[illegible] bonum charitatis erga proximum;
[illegible] non observata est. Cum haec
[illegible] in desiderium col-
[illegible] Israelis de Ecclesia
[illegible] sit, ut Regnum spiri-
[illegible] amoris mu-
[illegible] illa Regna omnino con-
[illegible] significantur. In Ver-
[illegible] montes et colles, et
[illegible] bona amoris, per Montes
[illegible] internum Regni coelestis,
[illegible] quod est externum ejusdem
[illegible] per montes signi-
[illegible] quod est internum il-
[illegible] quod est externum ejus.
[illegible] sit Interna et Externa,

ita quoque utrumque Regnum Ipsius. Quod illa significentur per colles, constare potest ab his locis: apud Esaiam „In posteritate dierum erit *Mons Jehovae* in *Caput montium*, et elatus *prae Collibus*" II: 2. Mich: IV: 1. Mons Jehovae, qui est Zion, pro Regno Coelesti Domini, ita pro Bono illius Regni, quod est amoris in Dominum, ita in supremo sensu est Ipse Dominus, nam omnis Amor et omne Bonum in Regno coelesti est Domini: simile per montem Zionis alibi in Verbo significatur, et per collem ejus bonum amoris mutui; ut apud Esaiam „Descendet Jehovah Zebaoth ad militandum *super monte Zionis*, et *super Colle ejus*" XXXI: 4, ibi Collis pro bono amoris mutui; et quia per collem significatur bonum amoris mutui, et per montem bonum amoris coelestis, quod est amoris in Dominum, dicitur quod Jehovah descendat ad militandum super monte illo; Jehovah non super monte Zionis et colle ejus militat, sed ubi est bonum amoris, pro hoc, hoc est, pro illis qui in eo sunt, militat Dominus, Qui ibi est Jehovah; si pro Zione et pro Hierosolyma militaverit, est quia repraesentabant Ecclesiam Coelestem; ideo quoque mons Zionis sanctus vocabatur, et quoque Hierosolyma dicta sancta, cum tamen in se spurca esset, ut patet apud Prophetas ubi de abominationibus ejus agitur. Apud Davidem „Ferent *montes* pacem, et *colles* in justitia" Psalm: LXXII: 3. [63] Apud Eundem „*Laudate Jehovam Montes*, et *omnes colles*" Psalm: CXLVIII: 9. Apud Eundem „*Montes* saltarunt sicut arietes, *Colles* sicut filii gregis" Psalm: CXIV: 4. 6. Apud Eundem „*Mons Dei, mons Baschanis; mons Collium mons Baschanis*, quare subsilitis *Montes, colles montium*, desiderat Deus inhabitare *illum*, etiam Jehovah habitabit in perpetuum" Psalm: LXVIII: 16. 17; montes in illis locis pro amore coelesti, et colles pro amore spirituali; quod non montes sint, nec colles qui intelliguntur, nec illi qui super montibus et collibus erant, manifeste patet. Apud Esaiam „Erit *super omni Monte alto*, et *super omni Colle elato*, rivi, ductus aquarum" XXX: 25, ductus aquarum pro cognitionibus boni et veri, quae super omni monte alto, et colle elato dicuntur esse, quia cognitiones illae fluunt ex bonis amoris coelestis et spiritualis. Apud Habakuk „Jehovah stetit et mensus est terram, vidit et dissipavit gentes, quia dispersi sunt *montes aeternitatis*, et humilia-

runt se *colles saeculi* » III: 6; montes aeternitatis pro bono amoris quod fuit Ecclesiae Antiquissimae, quae Coelestis, colles saeculi pro bono amoris mutui, quod fuit illius Ecclesiae, illud Internum ejus, hoc Externum; cum illa Ecclesia in Verbo intelligitur, quia Antiquissima, adjicitur aliquoties aeternitas, ut hic, montes aeternitatis ac alibi dies aeternitatis, n: 6239, et quoque adjicitur saeculum, ut hic colles saeculi, ut quoque in Prophetico Israëlis „ ad desiderium collium saeculi; » inde constare potest, quod per colles saeculi significentur bona amoris mutui, quae Coelesti Ecclesiae, seu Coelesti Regno Domini. Similiter apud Mosen, in prophetico ejus de Josepho „ De Primitiis *Montium Orientis*, et de pretiosis *Collium aeternitatis*, veniant Capiti Josephi » Deut: XXXIII: 15. 16. Apud Esaiam „ *Montes* et *Colles* personabunt cantu, et omnes arbores agri complaudent vola » LV: 12. Apud Joëlem [64] „ In die illo stillabunt *Montes* mustum, et *Colles* fluent lacte, et omnes rivi Jehudae fluent aquis » IV: 18. Amos IX: 13. [65] Apud Ezechielem „ Errant oves meae *in omnibus montibus*, et super *omni colle alto*, et super omnes facies terrae dispersae sunt; dabo eos, *circuitus collis mei* benedictionem, et demittam pluviam in tempore suo » XXXIV: 6. 26. Apud Jeremiam „ *Super omnes colles in deserto* venerunt vastatores, quia gladius Jehovae devorans » XII: 12, in his locis significantur bona amoris coelestis per montes, et similiter per Colles sed in inferiori gradu. Quia montes et Colles talia significabant, etiam in Antiqua Ecclesia Cultus Divinus fuit super montibus, et super collibus; et postea gens Hebraea super montibus et collibus altaria ponebat, et ibi sacrificabat et suffiebat; et ubi non Colles erant, exstruebant Excelsa; qui Cultus quia factus idololatricus, per id quod ipsos montes et colles haberent sanctos, et prorsus nihil cogitarent de sanctis quae significabant; idcirco prohibitus est ille cultus populo Israëlitico et Judaico, quia populus ille ad cultum idololatricum prae aliis pronissimus fuit; ut tamen repraesentativum hoc, quod fuerat antiquis temporibus, retineretur, mons Zionis electus est, et per illum in supremo sensu repraesentatum est Divinum Bonum Divini Amoris Domini, ac in sensu respectivo Divinum Coeleste ac Divinum spirituale in Regno Ipsius. Quia talia significabantur, jussus est Abraham sacrificare filium suum super

uno montium in terra Moriah, tum quoque Dominus super monte visus est Mosi, et super e monte promulgata est Lex, visus enim est Mosi super Monte Chorebo, et Lex promulgata super Monte Sinai; et quoque Templum Hierosolymae aedificatum est super monte. Quod ex vetusto ritu cultum sanctum haberent super montibus et collibus, et postmodum gentes, et quoque Israëlitae et Judaei idololatrae super illis sacrificarent et suffirent, patet apud Jeremiam „Adulteria tua, et hinnitus tui, scelus scortationis tuae, *super collibus in agro*, vidi abominationes tuas" XIII: 27. ibi de Hierosolyma. Apud Ezechielem „Cum fuerint confossi eorum in medio idolorum eorum, circa altaria eorum, *super omni Colle alto, in omnibus Capitibus montium*, et sub omni arbore viridi, subque omni quercu implexa" VI: 13. Apud Jeremiam „*Super omni Colle alto*, et sub omni arbore viridi, tu praevaricans meretrix" II: 20. Cap: III: 6; et praeterea I Reg: XIV: 23. II Reg: XVI: 4. Cap: XVII: 10. [66] Quia cultus idololatricus super montibus et collibus fiebat, per illos in opposito sensu significantur mala quae sunt amoris sui; ut apud Jeremiam „*Montes* et ecce commoventur, et *omnes Colles* evertuntur; vidi cum ecce non homo, et omnis avis coeli avolarunt" IV: 24. 25. Apud Esaiam „Omnis vallis extolletur, et *omnis Mons et Collis* humiliabitur" XL: 4. Apud Eundem „Ecce posui te in tribulam tribulae recentis, praeditae aculeis, *tritures montes*, et Colles sicut glumam ponas" XLI: 15. Apud Eundem „Vastabo montes et colles, et omnem herbam eorum arefaciam" XLII: 15. Apud Micham „Audite quaeso quod Jehovah loquens, surge, contende *cum montibus*, et *audiant Colles vocem tuam*" VI: 1. Apud Jeremiam „Oves perditae fuerunt populus meus, pastores ejus seduxerunt eos, *Montes refractarii, de monte super collem iverunt*, obliti sunt cubilis sui" L: 6. ac praeterea alibi, ut Jerem: XVI: 16. Nahum I: 5. 6. Quod montes et colles significarent bona amoris coelestis et spiritualis, erat quia eminebant supra terram, et per eminentia et alta significabantur illa quae erant coeli, et in supremo sensu quae erant Domini; terra enim Canaanis significabat Regnum coeleste Domini, n: 1607. 3038. 3481. 3705 4240. 4447, inde omnia quae ibi significativa erant, montes et colles talium quae alta sunt; Antiquissimi enim, qui fuerunt ab Ecclesia Coe-

lesti, cum ascendebant montem, obveniebat illis altitudo, et ex altitudine sanctum, ex eo quod Jehovah seu Dominus dicebatur in Altissimis habitare, et quia Altitudo in sensu spirituali erat bonum amoris, n: 650.

6486. Erunt capiti Josephi, quod significet quod illa quoad interiora, constat ex significatione Capitis, quod sint interiora, quia ibi in principiis suis sunt omnia quae apud hominem; quod interiora sint quae per caput significantur, etiam ex correspondentia est, inde collum significat intermedium, corpus exteriora, et pedes cum plantis extima: correspondentia haec est ex eo, quod Coelum referat Maximum Hominem, Coelum intimum, ubi Regnum coeleste Domini, refert ibi Caput, Coelum medium seu secundum, ubi Regnum spirituale, Corpus, et Coelum ultimum seu primum, Pedes, videatur n: 4938. 4939. 5328. 6292.

6487. Et vertici Naziraei fratrum ejus, quod significet quoad exteriora, constat ex significatione verticis Naziraei, quod sint exteriora, de qua sequitur; et ex repraesentatione filiorum Israëlis, quod sint vera spiritualia in Naturali, de qua n: 5414. 5879. 5951, quae etiam sunt exteriora respective, nam homo Ecclesiae spiritualis est in bono veri, et hoc bonum est interius, quia in interiori naturali. Quod Naziraeus significet exteriora, est quia Naziraei repraesentabant Dominum quoad Divinum Naturale, quod est Divinum Humanum Externum; quod Naziraei id repraesentaverint, constat ex eo quod Naziraeatus sit Crinis, et quod sanctitas ejus in Crine consisteret; quod in eo consisteret, erat dictae repraesentationis causa, nam Crinis correspondet naturali, ac inde significat naturale, videatur n: 3301. 5247. 5569 ad 5573: hoc quoque patet ab illis qui votum Naziraeatus fecerunt, quibus tunc vetitum fuit radere crines suos, Num: VI: 5, et postea, cum absolverunt dies Naziraeatus, raderent caput ad ostium tentorii, et crines mitterent in ignem sub sacrificio eucharistico, Num: VI: 13. 18. Hoc quoque adhuc patet a Simsone, qui Naziraeus fuit, quod robur ejus consisteret in crinibus, Jud: XIII: 3. 5. Cap: XVI: 1 ad f. videatur n: 3301: inde apud Jeremiam „*Abscinde crines tui Naziraeatus*, et abjice, et tolle super collibus lamentum" VII: 29. Ex his constat, quod per verticem Naziraei significentur exteriora, vertex Na-

ziraei enim est, ubi crinis illius. Hoc arcanum est, quod per Naziraeos in Verbo significatur.

6438. Ex his, quae Israël de Josepho praedixit, etiam constare potest, quod in singulis internus sensus sit, et quod absque illo sensu vix aliquid intelligitur: qui sensum literae modo spectat, credat quod haec quae de Josepho dicta sunt, posteris ejus ex Menasche et Ephraimo contingerent, Vers: 1: sed ex Historicis de illis in Libris Mosis, Joschuae, Judicum, Samuelis et Regum, [67] non aliquid tale invenitur; non enim illis benedictio fuit prae reliquis; et quoque illi, sicut reliqui, in captivitatem abducti sunt, ac dispersi inter gentes; ex quibus patet, quod non id significetur quod in sensu literae exstat, sed quod aliud quod in sensu interno. Tum quoque absque sensu interno neutiquam sciri potest, quid omnia illa de Josepho involvunt, sicut, quod „ filius foecundae Joseph, foecundae supra fontem, filiae quae incedit supra murum, quod exacerbent eum, jaculentur, odio habeant sagittarii, quod sedebit in valido arcus sui, et roborabuntur brachia manuum ejus a manibus potentis Jacobi, exinde Pastor Lapis Israëlis; quod benedictiones patris ejus praevalebunt super benedictionibus genitorum suorum, usque ad desiderium collium saeculi, et quod illa erunt Capiti Josephi, et vertici Naziraei fratrum ejus;" haec omnia et singula talia sunt, ut nusquam aliquis scire queat quid sunt, nisi ex sensu interno.

6439. Vers: 27. *Benjamin lupus, rapiet in mane, comedet spolium, et ad vesperam dividet praedam.* Benjamin significat verum boni Ecclesiae spiritualis, quod Josephus: lupus, significat aviditatem eripiendi et liberandi bonos: rapiet in mane, comedet spolium, significat cum Dominus praesens quod tunc fiat: et ad vesperam dividet praedam, significat possessionem eorum in Regno Domini, cum adhuc sunt in obscuro.

6440. Benjamin, quod significet verum boni Ecclesiae spiritualis, quae Josephus, constat ex repraesentatione Benjaminis, quod sit spirituale coelestis, de qua n: 4592, spirituale coelestis est verum boni, hic verum illius boni, quod est Ecclesiae spiritualis, quae per Josephum in hoc Israëlis Prophetico repraesentatur; per Josephum enim quia repraesentatur Ecclesia spiritualis, n: 6417, per illum etiam repraesentatur bonum

quod est illius Ecclesiae, nam Ecclesia est Ecclesia ex bono; hujus boni verum est Benjamin.

6441. Lupus, quod significet aviditatem eripiendi et liberandi bonos, constat ex significatione lupi, quod sit is qui rapit et dispergit; et quia bestiae in Verbo significant cupiditates, lupus significat aviditatem rapiendi, ut quoque constat a locis in Verbo, ubi lupus nominatur, sicut apud Matthaeum „Cavete vobis a pseudoprophetis, qui veniunt ad vos in indumentis ovium, intrinsecus autem sunt *lupi rapaces*" VII: 15. Apud Johannem „Mercenarius qui non est pastor, cujus oves non sunt propriae, *videt lupum venientem*, et deserit oves, fugitque, et *lupus rapit eos*, et *dispergit oves*" X: 12. Similiter alibi, ut Luc: X: 3. Jerem: V: 6. Ezech: XXII: 27. Zephan: III [: 3]; inde patet, quod per lupum significentur illi qui rapiunt, hic autem qui eripit ab inferno illos qui rapti sunt. Similiter se habet cum significatione lupi, ut cum significatione leonis, qui quoque est animal rapax, de quo etiam dicitur quod rapiat rapinam, colligat spolium, et praedetur praedam, sicut hic de lupo, et tamen Leo in bono sensu significat Verum in potentia a bono, videatur n: 6367; similiter etiam de aliis bestiis rapacibus, sicut de pardis, de aquilis.

6442. Rapiet in mane, comedet spolium, quod significet cum Dominus praesens quod tunc fiat, constat ex significatione mane, quod in supremo sensu sit Dominus, de qua n: 2405. 2780, inde rapiet in mane est, quod cum Dominus praesens, tunc ereptio et liberatio bonorum; et ex significatione comedere spolium, quod sit appropriare sibi illos quos eripuit et liberavit, quod comedere sit appropriare et sibi conjungere, videatur n: 3168. 3513 f. 3596. 5643, quod spolium sint illi, qui erepti et liberati sunt, patet. Quod de Domino in Verbo, ex eo quod eripiat et liberet bonos, etiam praedicetur rapere, rapina, spolium, praeda, constat ab illis, quae de Jehuda supra Vers: 9 dicta sunt „Catulus leonis Jehudah, *a praeda*, fili mi, ascendisti" per quod significatur, quod a Domino per Coeleste liberatio ab inferno, videatur n: 6368: tum ab aliis locis in Verbo, ut apud Esaiam „Rugitus Jehovae sicut leonis, rugit sicut leones juvenes, et fremit, et *apprehendit praedam, ut non sit eripiens*" V: 29. Apud Eundem „Quemadmodum rugit leo, et

juvenis leo *super rapina sua*, sic descendet Jehovah ad militandum super monte Zionis" XXXI: 4. Apud Jeremiam „Te *eripiam* in die illo, *eripiendo eripiam te*, sed sit tibi anima tua *in spolium*, ideo quod confisus es in Me" XXXIX: 18. Apud Zephaniam „Exspectate Me, dictum Jehovae, *usque ad diem surgere Me ad praedam*" III: 8. Apud Esaiam, „Dividam Ipsi inter multos, *ut cum fortibus dividat spolium*" LIII: 12, ibi de Domino in toto Capite. Quod comedere rapinam seu spolium, sit sibi appropriare bona, quae a malis rapta sunt, constat ex prophetico Bileami, apud Mosen „En populus sicut vetus leo surget, et sicut leo juvenis efferet se, non requiescet *donec comederit rapinam*" Num: XXIII: 23. 24; ex his patet, quod rapina, spolium, praeda, sit ereptio et liberatio bonorum a Domino. Hoc praedicatur de Vero, quod repraesentatur per Benjaminem, quia Vero tribuitur potentia, n: 3091. 4931, sed quae est ei a bono, n: 6344. 6423. [68]

6443. Et ad vesperam dividet praedam, quod significet possessionem eorum in Regno Domini dum adhuc sunt in obscuro, constat a significatione vesperae, quod sit obscurum, de qua n: 3056. [69] 3833; et ex significatione dividere praedam, quod sit possessionem dare in regno coelesti; per praedam enim significantur illi qui erepti et liberati sunt a Domino, inde per dividere praedam significatur distributio, nempe inter illos qui in coelo sunt, quod idem est cum possessione eorum in Regno Domini. Quod dicatur hoc fieri in vespera, est quia illi qui elevantur in coelum, primum in obscuro sunt, nam ad clarum non venire possunt, priusquam in coelo fuerunt, et a Domino per angelos, in quorum societatem mittuntur, instructi sunt de veris; spatio temporis enim opus est, ut obscurum a falsis inductum dissipetur.

6444. Haec sunt quae significantur per Benjaminem; sed quis dicere potest absque sensu interno, quid involvunt ea quae de illo dicuntur, sicut quod sit lupus, quod rapiet in mane, quod comedet spolium, et quod ad vesperam dividet praedam; haec prorsus abscondita forent, nisi sensus internus revelaret: talia sunt permulta apud Prophetas, quae si spectantur ex litera, pauca intelliguntur, sed si ex sensu interno omnia. Ex his nunc manifeste constare potest, quod per filios Jacobi, et per Tribus

ab illis nominatas, significentur talia quae sunt Ecclesiae et Regni Domini.

6445. Vers: 28. *Omnes hae tribus Israëlis duodecim; et hoc quod loquutus est illis pater illorum, et benedixit illis, cuique quod secundum benedictionem ejus, benedixit illis.* Omnes hae Tribus Israëlis duodecim, significat omnia vera et bona in complexu: et hoc quod loquutus est illis pater illorum, significat communicationem per influxum a bono spirituali: et benedixit illis, cuique quod secundum benedictionem ejus benedixit illis, significat praedictiones de vita spirituali quid eveniet cuique cum in tali statu.

6446. Omnes hae Tribus Israëlis duodecim, quod significet omnia vera et bona in complexu, constat ex significatione Tribuum Israëlis duodecim, quod sint omnia vera et bona in complexu, de qua n: 3858. 3926. 3939. 4060. 6335. 6397: quod haec per Tribus significata sint, patet non modo ab illis quae de Tribubus in locis citatis dicta sunt, sed etiam ab iis quae de illis in hoc Capite.

6447. Et hoc quod loquutus illis pater illorum, quod significet communicationem per influxum a bono spirituali, constat a significatione loqui, quod sit influere, de qua n: 2951. 5481. 5743. 5797, hic communicatio per influxum; et a repraesentatione Israëlis, qui hic est pater illorum, quod sit bonum spirituale, de qua n: 4598. 5801. 5803. 5806. 5812. 5817. 5819. 5826. 5833.

6448. Et benedixit illis, cuique quod secundum benedictionem ejus benedixit illis, quod significet praedictiones de vita spirituali quid eveniret cuique cum in tali statu, constat ex significatione benedicere, quod sit praedictio, de qua n: 6230. 6254; et ex significatione cuique quod secundum benedictionem ejus benedixit illis, quod sit quid eveniret cuique; [quod] sit de vita spirituali quae cuivis in tali statu, patet ab omnibus illis quae de filiis Israëlis seu tribubus ab illis nominatis in hoc Capite dicta sunt; describuntur enim per illos omnes status Ecclesiae quoad bona et vera, ita quoad vitam spiritualem cujusvis intra Ecclesiam.

6449. Vers: 29. 30. 31. 32. 33. *Et praecepit illis, et dixit ad illos, ego colligor ad populum meum, sepelite me ad pa-*

tres meos, ad speluncam quae in agro Ephronis Chittaei. In spelunca, quae in agro Machpelah, quae super facies Mamre in terra Canaan, quam emit Abraham cum agro ex Ephrone Chittaeo ad possessionem sepulchri. Ibi sepeliverunt Abrahamum et Saram uxorem ejus, ibi sepeliverunt Jischakum et Rebeccam uxorem ejus, et ibi sepelivi Leam. Emtio agri et speluncae, quae in illo, ex filiis Chethi. Et absolvit Jacob ad praecipiendum filiis suis, et collegit pedes suos ad lectum, et exspiravit, et collectus ad populos suos. Et praecepit illis, et dixit ad illos, significat insinuationem: ego colligor ad populum meum, significat quod erit in bonis et veris naturalis quae ab illo: sepelite me ad patres meos, significat quod ibi quoque interiora et intimum: ad speluncam, significat ubi obscurum: quae in agro Ephronis Chittaei, significat quod tamen clarum fieri potest: in spelunca quae in agro Machpelah, significat in obscuro illo: quae super facies Mamre, significat quantum et [70] quale ejus: in terra Canaan, significat ubi Ecclesia: quam emit Abraham cum agro ex Ephrone Chittaeo, significat redemtionem: ad possessionem sepulchri, significat regenerationem: ibi sepeliverunt Abrahamum et Saram uxorem ejus, ibi sepeliverunt Jischakum et Rebeccam uxorem ejus, et ibi sepelivi Leam, significat quod omnia interiora ordine in bono et vero in naturali: emtio agri et speluncae quae in illo ex filiis Chethi, significat redemtionem illorum qui recipiunt verum, et per verum bonum: et absolvit Jacob ad praecipiendum filiis suis, significat insinuationis effectum; et collegit pedes suos ad lectum, significat quoad inferiora sua in quibus interiora, ad bonum et verum naturalis inferioris: et exspiravit, significat novam vitam ibi: et collectus ad populos suos, significat quod esset in bonis et veris naturalis quae a se.

6450. Et praecepit illis, et dixit ad illos, quod significet insinuationem, constat ex illis quae sequuntur, ubi Israël de sepeliendo se in spelunca agri Machpelah, ubi Abraham et Jischak sepulti, ad filios suos loquitur, per quae significatur vita in veris et bonis naturalis ubi interiora et intimum; et quia de his in nunc sequentibus agitur, ideo per praecipere filiis et dicere ad illos significatur insinuatio in illa; quod per praecipere significetur influxus, videatur n: 5486. 5732, ita insinuatio.

6451. Ego colligor ad populum meum, quod significet quod erit in bonis et veris naturalis quae ab illo, constat ex repraesentatione filiorum Israëlis ac Tribuum ab illis nominatarum, quae hic sunt populus ejus, quod sint bona et vera in naturali, de qua n: 3858. 3926. 3939. 5414. 5879. 5951. 6335. 6337, quae quod sint ab illo, patet; et ex significatione *colligi* ad illum populum, quod sit esse in illis. Quia hic et in sequentibus agitur de Collectione seu existentia boni spiritualis, quod Israël, in bonis et veris naturalis, quae sunt filii ejus seu Tribus ab illis nominatae, dicendum quomodo hoc intelligendum; est intimum, sunt interiora sub intimo, et sunt exteriora in homine; omnia illa inter se exactissime distincta sunt, succedunt ordine, ita ab intimo usque ad extimum; secundum ordinem, in quo succedunt, etiam influunt; inde est, quod vita influat per intimum in interiora, et per interiora in exteriora, ita secundum ordinem in quo succedunt, et quod non quiescat quam in ultimo ordinis, ubi sistitur; et quia interiora influunt secundum ordinem usque ad ultimum, et ibi sistuntur, patet quod interiora in ultimo simul sint, sed in hoc ordine, intimum, quod influxit, ibi centrum tenet, interiora quae sub intimo, circumnt centrum, et exteriora faciunt peripherias, et hoc non modo in communi, sed etiam in singularibus; prior ordo vocatur ordo successivus, hic autem simultaneus, et oritur hic ab illo, nam omne simultaneum oritur a successivo, et cum ortus est, existit talis. Quia interiora omnia in ultimo etiam simul sunt, idcirco est apparentia, sicut vita sit in ultimo, hoc est, in corpore, cum tamen est in interioribus, et nec ibi, sed in supremo, hoc est, in Domino, a Quo omne vitae. Exinde quoque est, quod vita in exterioribus sit obscura respective ad vitam in interioribus, nam in exterioribus est vita communis, existens ex influxu plurium, imo innumerabilium ab interioribus, quae simul apparent et communiter. Ex his nunc aliquatenus patet, quomodo intelligendum, quod bonum spirituale, quod est Israël, erit in bonis et veris naturalis, quae sunt filii ejus seu tribus; bonum enim spirituale, quod Israël, est in interiori naturalis, ac bona et vera, quae filii ejus, sunt in exteriori ejus; quod in his erit bonum spirituale, significatur per ego colligor ad populum meum.

6452. Sepelite me ad patres meos, quod significet quod ibi quoque interiora et intimum, constat a repraesentatione Abrahami et Jischaki, qui hic sunt patres ejus, quod sint interiora ac intimum, Abraham intimum, et Jischak interius quod sub intimo, de qua n: 3245. 6098. 6185. 6276. 6434. Quod etiam intimum et interiora simul in exterioribus sint, ita in bonis et veris in naturali, quae sunt filii et tribus Israëlis, videatur mox supra n: 6451.

6453. Ad speluncam, quod significet ubi obscurum, constat a significatione speluncae, quod sit obscurum, de qua n: 2935; quod etiam in exteriore naturali, ubi vera et bona, quae repraesentantur per filios et tribus Israëlis, sit obscurum, quia ibi commune, videatur mox supra n: 6451 ad fin:

6454. Quae in agro Ephronis Chittaei, quod significet quod tamen clarum fieri potest, constat ex significatione agri, quod sit Ecclesia, de qua n: 2971. 3766; et a repraesentatione Ephronis Chittaei, quod sint apud quos verum et bonum recipi potest, de qua n: 2933. [71] 2940. 2969, ita apud quos obscurum fidei potest clarum fieri. Cum hoc ita se habet; quicquid in naturali est, et magis quod in exteriori Naturali, obscurum est respective ad illa quae sunt in interiori naturali, et magis respective ad illa quae in rationali, n: 6451. 6453; sed obscurum hoc fit clarum duplici modo, *primo*, si exteriora ad obsequium interiorum, ac ita ad correspondentiam, rediguntur; altero, si homo elevari potest ab exterioribus ad interiora, ac sic ab interiori videre exteriora; hoc datur apud illos qui in Interno Ecclesiae sunt, illud autem apud illos qui in Externo ejus sunt: sed unum aut alterum non obtinetur nisi per regenerationem a Domino. Ex his patet, quid intelligitur per quod obscurum fieri clarum possit.

6455. In spelunca quae in agro Machpelah, quod significet in obscuro illo, constat ex significatione speluncae, tum quoque Machpelae, quod sint obscurum; quod spelunca sit obscurum, videatur n: 2935. 6453, quod Machpelah, n: 2935, sed Machpelah significat quale obscuri.

6456. Quae super facies Mamre, quod significet quantum et quale ejus, constat a significatione Mamre, quod sit quantum et quale ejus cui adjungitur, de qua n: 2970. 4613.

6457. In terra Canaan, quod significet ubi Ecclesia, constat ex significatione terrae Canaanis, quod sit Ecclesia, de qua n: 3705. 3686. 4447 5136.

6458. Quam emit Abraham cum agro ex Ephrone Chittaeo, quod significet redemptionem, constat ex significatione emere, quod sit appropiare, de qua n: 5374. 5397. 5410. 5426, ita quoque est redimere, quod enim redimitur, hoc appropriatur; ex repraesentatione Abrahami, quod in supremo sensu sit Dominus, de qua n: 1965. 1989. 2011. 3245. 3251. 3305. 3703. 4615. 6098. 6185. 6276; ex significatione agri, quod sit Ecclesiae, de qua n: 2971. 3766; et a repraesentatione Ephronis Chittaei, quod sint illi apud quos bonum et verum recipi possunt, de qua n: 2933. 2940. 2969; inde patet, quis sensus horum verborum est, quod nempe sit redemptio a Domino illorum in Ecclesia apud quos bonum et verum recipi potest.

6459. Ad possessionem sepulchri, quod significet regenerationem, constat ex significatione sepulchri, quod sit regeneratio, de qua n: 2916. 2917. 5551.

6460. Ibi sepeliverunt Abrahamum et Saram uxorem ejus, ibi sepeliverunt Jischakum et Rebeccam uxorem ejus, et ibi sepelivi Leam, quod significet quod omnia interiora ordine in bono et vero in naturali, constat ex illis quae supra n: 6451. 6452, [72] explicata sunt.

6461. Emtio agri [et] speluncae quae in illo ex filiis Chethi, quod significet redemptionem illorum qui recipiunt verum, et per verum bonum, constat ex significatione emtionis, quod sit redemtio, de qua supra n: 6458; ex significatione agri, quod sit Ecclesia, de qua n: 2971. 3766, ita homo Ecclesiae, nam is est Ecclesia; ex significatione speluncae, quod sit obscurum, de qua n: 2935. 6453; et ex repraesentatione filiorum Chethi, quod sint Ecclesia spiritualis quae ab antiqua, de qua n: 2913. 2986, et quia filii Chethi sunt Ecclesia spiritualis ab antiqua, sunt illi qui recipiunt verum et per verum bonum, nam inde Ecclesia spiritualis. Ex his patet, quod per Emtionem agri et speluncae quae in illo ex filiis Chethi, significetur redemtio illorum qui in Ecclesia et adhuc in obscuro, recipiunt verum et per verum bonum.

6462. Et absolvit Jacob ad praecipiendum filiis suis, quod

significet insinuationis effectum, constat ex significatione praecipere filiis et dicere ad illos, quod sit insinuatio, de qua supra n: 6450, ita absolvere ad praecipiendum illis, est insinuationis effectus.

6463. Et collegit pedes suos ad lectum, quod significet quoad inferiora sua in quibus interiora, ad bonum et verum naturalis inferioris, constat ex significatione colligere pedes, quod sit se recipere ad inferiora, quod colligere sit se recipere, cum pedes sunt inferiora, patet, quod pedes sint illa quae sunt naturalis, videatur n: 2162. 3147. 3761. 3986. 4280. 4938 ad 4952, ita quae sunt inferiora, n: 6436; quod sint inferiora in quibus interiora, patet ab illis quae supra n: 6451 dicta sunt; et a significatione lecti, quod sit naturale, de qua n: 6188. 6226, ita bonum et verum naturalis, nam illa faciunt naturale apud hominem; quod sint bonum et verum naturalis inferioris, est ex eo, quod hoc naturale sit ad quod interiora se recipiunt, secundum illa quae n: 6451. 6452, explicata sunt; quod naturale sit inferius et [73] superius, seu interius et exterius, videatur n: 3293. 3294. 5118. 5126. 5497. 5649. Quia per Israëlem repraesentatur bonum spirituale *e naturali*, et per Jacobum verum spirituale *in naturali*, et per filios illius bona et vera *in naturali* distincta in genera, idcirco memoratur *Lectus*, quia per illum *naturale* significatur, n: 6188. 6226, prout hic „cum absolvit loqui ad filios suos, *quod collegerit pedes suos ad lectum*;" tum quoque cum Joseph venit ad illum, dicitur quod „confirmaverit se Israël, *et sederit super lecto*" n: 6226; [74] ut et postquam loquutus est cum Josepho de sepeliendo se in sepulchro patrum suorum, dicitur, quod „*incurvaverit* [75] *se Israël super caput lecti*" n: 6188: [76] inde etiam, quod memorabile, cum cogitatur de Jacobo, apparet in mundo spirituum *Lectus* in quo vir cubat; hoc apparet ad distantiam supra caput versus anteriora dextrorsum; apparentia illa est inde, quia idea cogitationis de Jacobo vertitur in Coelo in ideam cogitationis de Naturali, nam in coelo non percipitur quid Jacob, sed id quod per illum repraesentatur, nempe Naturale, quod etiam per lectum significatur.

6464. Et exspiravit, quod significet vitam novam ibi, nempe in bonis et veris naturalis inferioris, quae repraesentantur

per filios ejus et tribus, constat ex significatione exspirare seu mori, quod sit vita nova, de qua n: 3498. 5305. 4618. 4621. 6036.

6465. Et collectus ad populos suos, quod significet quod esset in bonis et veris naturalis quae a se, constat ab illis supra n: 6451, ubi similia verba; videantur quae ibi allata sunt de existentia et vita boni spiritualis, quod Israël, in bonis et veris naturalis inferioris, quae sunt filii ejus et duodecim tribus. De existentia interiorum in exterioribus porro sciendum, quod omnia non solum apud hominem, sed etiam in universa natura, existant per formationes successivas, ita posteriora per formationes a prioribus; inde est, quod unaquaevis formatio existat separata ab altera, sed usque quod posterior dependeat a priori, adeo ut non subsistere queat absque priori, nam posterior in suo nexu et in sua forma tenetur a priori; exinde etiam patet, quod in posteriori sint omnia priora in suo ordine; similiter se habet cum modis et viribus, quae ab illis ut substantiis procedunt; ita se habet cum interioribus et exterioribus apud hominem, et quoque cum illis quae sunt vitae apud illum. Qui non concipit interiora et exteriora in homine secundum tales formationes, neutiquam potest ideam habere de homine externo et interno, deque influxu unius in alterum; minus de existentia et vita interioris hominis seu spiritus et de ejus quali, cum externum, quod corporeum, per mortem separatur; qui concipit exteriora et interiora sicut continue puriora, et sic per continuum cohaerentia, ita absque distinctione per formationes posteriorum a prioribus, is non potest aliter capere, quam cum moritur externum moriatur etiam internum, nam cogitat quod cohaereant, et propter cohaerentiam et continuitatem, moriente uno moriatur alterum, quia unum trahit alterum secum. Haec dicta sunt, ut sciatur quod Internum et Externum inter se distincta sint; et quod Interiora et Exteriora ordine succedant; et quoque quod omnia Interiora etiam simul sint in Exterioribus, seu quod idem, omnia priora in posterioribus, de qua re in his Versibus in sensu interno actum est.

Continuatio De Influxu et de commercio Animae, et Corporis.

6466. *Ad finem Capitum praecedentium ostensum est, quod utraque vita apud hominem, nempe vita cogitationis et vita voluntatis ejus, influat e coelo, et hoc per angelos et spiritus qui apud illum; sed quod influat e coelo, intelligendum est, quod per Coelum a Domino, nam omne vitae apud Angelos est a Domino, quod ipsi unanimiter confitentur, sunt etiam in perceptione quod ita sit; et quia omne vitae apud Angelos est a Domino, est etiam omne vitae apud hominem a Domino, nam regitur homo per angelos et spiritus in particulari; et per coelum in communi a Domino.*

6467. *Exinde patet, quod nusquam aliquis homo vitam habeat a se, ita nec a se cogitare et velle possit, nam vita hominis consistit in cogitare et velle; unica enim est vita, nempe Domini, quae influit in omnes, sed varie recipitur, et quidem secundum quale quod homo induxit animae suae per vitam in mundo; inde apud malos bona et vera vertuntur in mala et falsa, at apud bonos recipiuntur bona ut bona et vera ut vera: hoc comparari potest luci quae a sole influit in objecta, illa in his modificatur et variegatur diversimode secundum formam partium, et inde vertitur in colores vel tristes vel laetos, ita secundum quale; similiter homo, dum vivit in mundo, inducit substantiis purissimis, quae sunt interiorum ejus, qualitatem, secundum quam vita Domini recipitur. Sciendum, quod vita a Domino sit vita amoris erga universum genus humanum.*

6468. *Spiritus recentes e mundo, antequam instructi sunt per angelos, non aliter credunt, quam quod omne vitae sit in ipso homine, et quod nihil influat, causa est quia nihil in particulari sciunt de coelo, ita nec de influxu inde; spiritus non boni nec volunt instrui in his, nam volunt vivere a se; et dixerunt quod nullam vitam haberem, quia audiverunt me dicentem, quod ex me non viverem, et quod id per continuam experientiam scirem, sed ad hoc non voluerunt attendere; porro dicere datum est, quod quisque vitam habeat secundum formam interiorum, quam sibi acquisiverat per velle et agere, cogitare et*

loqui. Dein cum bonis spiritibus loquutus sum de Influxu vitae a Domino, quod haec influat in omnes; et quod hoc pateat a Coelo, quod hoc referat hominem, ac ideo vocatur Maximus Homo, de quo et de correspondentia omnium apud hominem cum illo, ad finem plurium Capitum actum est; et quod hoc nequaquam fieri posset, nisi vita a Domino influeret in Coelum in communi, et in singulos ibi in particulari: et quoque quod pateat ex eo, quod universum Coelum se referat ad Dominum, et quod Dominus sit ibi centrum intuitionum omnium, et qui in coelo sunt, sursum spectant ad Illum. et qui in inferno deorsum ab Illo; apparet enim Dominus illis qui in coelis ut Sol, ibi sursum est. Porro dictum, quod pateat omne vitae esse a Domino, etiam ex eo, quod anima hominis, in utero tam mirabiliter formare possit corpus, et ejus multiplicia membra et organa in tali serie, ac interiora ejus ad imaginem coeli; hoc nusquam fieri posset, nisi omnis vita a Domino, et nisi coelum tale foret.

6469. *Percipere etiam mihi datum est, per influxum, dulcedinem Angelorum, quam percipiunt inde, quod non cogitent et velint a semet, sed a Domino; inde illis tranquillitas, pax et felicitas. Cumque Angeli influxerunt ad meam perceptionem, tunc praesentia Domini manifeste appercepta est, indicium quod in vita Domini sint; hoc a multa experientia scire datum est. Semel etiam cum cogitarem de influxu vitae a Domino, et aliqua dubia volverem, influebat e coelo, quod non attendendum sit ad millia objectionum et ratiocinationum ex fallaciis.*

6470. *Quod omnis vita a Domino, etiam ex eo scire datum est, quod non aliquis spiritus cogitet et loquatur ex se, sed ab aliis, et quod hi alii ab aliis, et sic porro; hoc saepius ostensum est illis, qui credebant quod vita inesset, et non influeret; et exinde concludere datum est, quod, quia nullus a se sed ab aliis cogitat et loquitur, tandem omnes ab uno, ita a Domino; et nisi omnes ab Uno, quod nusquam potuisset aliquis ordo vitarum existere in coelo, in quo tamen ille ordo est, ut distinctissimum sit in societates secundum quale boni: aliter prorsus foret, si quisque ageret ex sua vita.*

6471. *Quidam spiritus non ex malis, sed ab illis qui cognitiones fidei prae aliis se habere putarunt, et qui plures alios*

instruxerunt, etiam in eo quod omne bonum et verum a Domino, et quod homo non cogitare nec velle bonum possit a se; is perductus est in eum statum, ut ex se non cogitaret et vellet, nam in tales status in altera vita perduci possunt; in eo statu cum esset, dicebat, quod sic vivere non posset, [77] *sed quod vita ei gravis sit; ei dictum est tunc, quod sic non amaverit vivere in veritate quam docuerat, et quod Angeli in eo statu sint, et tunc in felicitate cum percipiunt non vivere ex se; sed hoc nihil valebat; inde constabat, quam difficile sit vivere vitam fidei, nisi vivatur in bono charitatis.*

6472. *Quomodo se habet cum influxu utriusque vitae, nempe vitae cogitationis et vitae voluntatis a Domino, hoc scire datum est per revelationem, quod nempe Dominus influat duplici modo, nempe per coelum mediate, et ex se immediate, et quod ex se influat tam in rationalia hominis, quae sunt interiora ejus, quam in naturalia ejus quae sunt exteriora: quod influit a Domino est bonum amoris et verum fidei, nam quod procedit a Domino, est Divinum Verum in quo Divinum Bonum; sed haec varie recipiuntur apud hominem, nempe secundum quale ejus; Dominus non cogit hominem ad recipiendum quod a Se influit, sed ducit in libero, et quantum sinit homo per liberum ducit ad bonum; ita Dominus ducit hominem secundum ejus jucunda, tum quoque secundum fallacias et inde capta principia, sed sensim inde educit; et hoc apparet homini sicut a se: ita Dominus non frangit illa, nam hoc foret violare liberum, quod tamen necessario erit, ut homo reformari possit,* n: 1937. 1947. 2875. 2876. 2881. 3145. 3146. 3158. 4031 *Quod Dominus ita influat apud hominem, nempe non solum mediate per coelum, sed etiam immediate ex Se tam in interiora quam in exteriora apud hominem, est arcanum hactenus ignotum.*

6473. *Quod Dominus regat ultima hominis aeque ac ejus prima, constare potest ex eo, quod Ordo a Domino sit, qui est successivus a primis ad ultima, ac in ipso Ordine non est nisi quam Divinum, et quia ita, necessum est ut praesentia Domini sit in ultimis aeque ac in primis, nam sequitur unum ab altero secundum tenorem ordinis.*

6474. *Per horarii temporis experientiam mihi ostensum*

est, quomodo a Domino omnes cogitationes reguntur; erat influxus instar lenissimi et paene imperceptibilis fluminis, cujus vena non apparet, sed usque ducit et trahit; id quod a Domino influebat, ita ducebat cogitationum mearum omnes series in consequentia, et tametsi leniter usque fortiter, adeo ut nequaquam in alias cogitationes possem evagari, quod etiam licuit tentare, sed fuit incassum.

6475. *Audivi dictum ad quosdam spiritus malos, qui in mundo spirituum erant, et qui continue contra Dominum cogitabant,* (*quales sunt spiritus qui ab inferno, cum in mundo spirituum, videatur n:* 5852) *ut producerent aliquem ex veritate dicentem de aliquo angelo coeli, aut si possent ostenderent unum in coelo, qui non agnoscit Dominum, et quod sit vita omnium, quodque sua ab Ipso habeant; sed tacuerunt quia non potuerunt: quidam ex malis spiritibus, qui crediderunt quod etiam coeli darentur ubi non agnosceretur Dominus, circumvagati sunt, et inquisiverunt, sed irrito conatu redierunt. Porro ad illos dictum, quod omnes in inferno cogitent contra Dominum; nec Illi tribuant quicquam quod supra humanum; et tamen quod plerique dicant se agnoscere Ens supremum, per quod intelligunt Patrem, et nihilominus in odiis et vindictis vivunt, et se continue efferre volunt super alios, et pro diis coli, ac ita infernum sibi faciunt. Aliter prorsus cum illis est, qui Dominum agnoscunt, et ex corde in Ipsum credunt. Inde quoque constat, quod Dominus influat in omnes, tam communiter per coelum, quam singulariter ut et universaliter a Se; et quod ubi bonum charitatis est, ibi sit, at ubi contrarium ibi quoque sit, sed non aliter quam ut det illis vitam, et quantum fieri potest, illos abducat a malo.*

6476. *Quoties legi orationem Domini, toties percepi manifeste elevationem versus Dominum, quae erat instar attractionis, et tunc ideae apertae erant, et inde facta est communicatio cum aliquibus Societatibus in Coelo; et appercipiebam, quod influxus a Domino esset in singula Orationis, ita in singulas ideas cogitationis meae, quae a sensu rerum in oratione erant: influxus fiebat cum varietate ineffabili, nempe non una vice similiter ac altera; inde quoque constabat, quam infinita singulis inessent; et quod Dominus in singulis praesens esset.*

6477. *Per plures annos observavi sphaeram communem Influxuum circum me, constabat illa ex perpetuo conatu malum faciendi ab infernis ab una parte, et ex continuo conatu bonum faciendi a Domino ab altera; per hos conatus sibi oppositos jugiter detentus fueram in aequilibrio: tales conatus, et inde aequilibrium, sunt apud unumquemvis, inde illis liberum, ut vertere se possint quo lubet; sed variatur aequilibrium secundum malum aut bonum apud hominem regnans. Ex eo quoque constare potuit, quod Dominus universaliter influat, et cum universaliter, etiam singulariter: et informatus sum, quod oppositus conatus qui ab inferno, non aliud sit quam boni a Domino procedentis perversio in malum.*

6478. *Cum angelus alicui bonum facit, communicat etiam ei suum bonum, faustum, et beatum, et hoc eo animo ut dare velit alteri omne, ac nihil retinere; cum in tali communicatione est, tunc influit bonum cum fausto et beato ad illum multo plus quam dat, et hoc continue cum augmentis. Ast ut primum obvenit cogitatio, quod communicare velit suum ob finem ut obtineat influxum illum fausti et beati in se, dissipatur influxus; et adhuc magis, si aliquid cogitationis incidit de remuneratione ab illo, cui bonum suum communicat: hoc a pluri experientia scire datum est. Inde quoque constare potest, quod Dominus sit in singulis, nam Dominus talis est, ut Se dare velit omnibus, inde augetur faustum et beatum apud illos, qui imagines ac similitudines Ipsius sunt.*

6479. *Spiritus non ita probi, qui apud me aliquamdiu erant, continue injecerunt dubia ex fallaciis sensuum contra id quod omnia influere possint ab uno fonte, et sic a Domino; sed dictum est illis, quod tot dubia non possent removeri intra breve tempus propter fallacias sensuum, quae prius discutiendae, et propter ignota quae innumera sunt, et prius scienda; imo quod apud illos qui in negativo sunt, hoc est, apud quos negativum universaliter regnat, dubia nequaquam removeri possint, nam apud illos unus scrupulus plus valet, quam mille confirmantia; est enim unus scrupulus, sicut arenae scrupulus prope ante pupillam oculi positus, qui tametsi unicus et exiguus, usque tamen omnem visum adimit: at vero qui in affirmativo sunt, hoc est, apud quos affirmativum universaliter regnat, re-*

jiciunt scrupulos ex fallaciis qui sunt contra veritates, et si aliqua sunt quae non capiunt, haec ad latera rejiciunt, et dicunt se nondum ea intelligere, et usque manent in fide veritatis. Sed spiritus illi parum ad haec attendebant, quia in negativo erant.

6480. *Hic quia agitur de Influxu Domini mediate per Coelum, et immediate a Se Ipso, et hoc aptius dicitur Providentia, nam Dominus non influit solum in voluntatem et cogitationem hominis, sed etiam simul in plura quae contingunt illi, ideo in nunc sequentibus Providentiam licet dicere.*

6481. *Spiritus qui in alteram vitam veniunt, secum ferunt opinionem, quod Providentia Divina sit universalis, non autem in singularibus; causa illius opinionis fuerat, quod viderint malos ad honores evehi et divites fieri, et illis succedere, quod adscribunt Prudentiae propriae; non scientes, quod Providentia Divina pro fine habeat salutem hominis aeternam, ita non faustitatem ejus in mundo, nempe opulentiam et eminentiam, in quibus plerique, dum vivunt in corpore, ipsam felicitatem ponunt; cum tamen non ita est, nam utplurimum eminentia parit amorem sui, et opulentia amorem mundi, ita quae contraria sunt amori in Deum, et charitati erga proximum; quapropter dantur talia malis, et quoque bonis si non disconveniunt et a coelo abducunt; et praeterea Dominus per malos aeque ac per bonos providet fines suos; nam Dominus malos ad bonum faciendum proximo, patriae, et Ecclesiae, per ipsos suos amores agit; mali enim volunt eminere, volunt lucrari, et volunt ideo videri probi et Zelotes, et ex cupidine illa, sicut ex igne, ad talia facienda fortius excitantur, quam probi. Malis etiam permittitur credere, quod omnia prudentiae propriae sint, et quod Providentia Divina non sit, vel modo sit universalis: quia aliud non volunt percipere; utque exequantur talia quae conducunt rei publicae, etiam dantur illis secundum cogitata successus, quos quia sibi adscribunt, se excitant magis.*

6482. *Loquutus sum cum spiritibus de Regimine Domini universali, quod universale nusquam dabile sit absque singularibus, et quod universale alioquin nihil sit, nam quod universale dicatur, est quia singularia simul ita appellantur, sicut particularia simul sumta vocantur commune; idcirco dicere*

Providentiam in universali et non in singularibus, est nihil dicere. Si quis per Providentiam in universali intelligit conservationem totius secundum ordinem universae naturae in prima creatione impressum, ille non considerat quod nihil subsistere possit nisi perpetuo existat, nam sicut notum est in orbe erudito, subsistentia est perpetua existentia, ita est conservatio perpetua creatio; consequenter est Providentia jugiter in singulis. Confirmant se quidam in eo quod universale detur absque particulari ex Rege, qui universaliter regit non autem singulariter; sed illi non cogitant, quod Regium non sit modo apud ipsum Regem, sed etiam apud ejus ministros, qui vice ejus funguntur in talibus in quibus ipse non valet nec potest; ita universale quod est Regis, est in singularibus. Sed hoc non opus est apud Dominum; nam quicquid in Ipso est, Infinitum est, quia Divinum: quod Angeli Ipsius ministeria sint, est ut in vita activa sint, ac inde in felicitate; sed usque ministeria quae agunt, non sunt ex illis, sed ex Influxu a Domino, quod quoque Angeli unanimiter fatentur.

6483. *Ex illis quae nunc dicta sunt, etiam constare potest, quod Universale se prorsus habeat secundum singularia; si haec sunt minus singularia, etiam universale est minus elevatum, si autem sunt magis singularia, inde universale est magis elevatum, nam singularia faciunt ut universale sit et dicatur universale: inde sciri potest, quale est Divinum universale, quod nempe sit in omnium singularissimis, nam est elevatissimum super omnia quia Divinum et Infinitum.*

6484. *Quidam erat qui se confirmaverat in eo, quod nihil Providentiae Divinae esset, sed quod omnia et singula essent ex Prudentia, tum a fortuna et casu; fortunam statuebat, sed nesciebat quid esset; erat ille inter spiritus malos subtiles, quia cogitationi plus indulserat quam sermoni et conversationi: cum in alteram vitam venit, continuabat ibi vitam priorem, ut solent omnes; inquisivit et quoque hausit omnia, quae ei inservire posse putabat, per quae sibi ipsi consuleret, ut ex se faustus esset, etiam artificia magica. Loquutus sum cum illo, et dicebat quod in suo coelo esset cum ita, et quod aliud coelum non posset dari quam quod ipse sibi faceret; sed respondere datum est, quod ejus coelum vertatur in infernum, ut primum ipsum coelum in*

illud influit: erat tunc in mundo spirituum, et [spiritus] *cum ibi, sunt in jucundis amorum in quibus fuerant in mundo, n:* 5852: *at tunc factum, quod coelum influeret in ejus jucundum, ac subito tunc sensit infernum, ac horrescens dicebat, quod hoc nunquam crediderit: dictum mihi a spiritibus bonis, quod is pejor reliquis esset, quia ab illo influxus subtilior quam ab aliis. Postea idem redactus est in statum infantiae suae, et a Domino ostensum Angelis qualis tunc fuerat, et quoque tunc qualis ejus vita futura quae praevisa, et quod singula ejus vitae ducta fuerint a Domino, et quod alioquin se praecipitavisset in atrocissimum infernum, si vel minimum a Domini Providentia continua cessavisset; hoc potest angelis sisti videndum. Interrogatus etiam fuit, num usquam cogitaverit de vita aeterna, dicebat quod non crediderit, et quod rejecerit omnia illa, ex causa quia videret tam multa confusa, justum pati, et impium gloriari, et similia; tum quod videret bruta animalia habere similes sensus, similem vitam, et quoque animadvertentiam et prudentiam, sic credens se moriturum sicut illa; et quod in maximum stuporem venerit, cum apperciperet se post mortem vivere.*

6485. *Cum spiritibus bonis loquutus sum de Providentia Divina, et de propria prudentia hominis, et ostendebant per repraesentativum familiare apud illos de hac re, per grumum sparsum et rarum in atmosphaera, dicentes quod prudentia propria ad Providentiam Divinam se habeat sicut ad universam atmosphaeram grumus ille qui nihil est respective, et quoque decidit: addebant, quod qui prudentiae propriae tribuunt omnia, sint velut illi qui in opacis sylvis errant, nec sciunt exitum, et si illum inveniunt, quod tribuant id vel suae prudentiae, vel fortunae. Porro dicebant, quod omnia Contingentia sint Providentiae, et quod Providentia agat tacite et occulte, ob plures causas; si aperte quod homo nusquam reformari posset.*

6486. *Audivi Angelos inter se loquentes de Providentia Domini, sed quae loquuti sunt quidem intellexi, sed pauca describi possunt, quia loquela eorum continue juncta est repraesentativis coelestibus, quae non exprimi, nisi quoad exiguam partem, possunt: illi sapienter loquuti sunt, dicentes quod Providentia Domini sit in omnium singularissimis, sed non secundum talem ordinem, qualem homo sibi proponit, quia et praevi-*

dentur et providentur quae ventura sunt; et quod se habeat, sicut qui palatium struit, primum coacervat materiale omnis generis, et illa in cumulos conjicit, ubi in nullo ordine jacent, et solum in intellectu architecti est, quale inde palatium.

6487. *Cum loquutus sum cum Angelis de Providentia Divina Domini, aderant etiam spiritus, qui aliquid de fato seu necessitate absoluta sibi impresserunt; putabant Dominum ex illa agere, quia non potest aliter procedere quam secundum essentialissima, ita secundum illa quae sunt perfectissimi ordinis; sed illis ostensum est, quod homini liberum sit, et si ei liberum quod non sit ex necessitate; hoc illustratum est per domos quae aedificandae, quod lateres, argillae, arenae, lapides inservientes stylobatis et columnis, tum asseres et tigna, et talia plura, comportentur non in eo ordine quo construenda domus, sed secundum libitum, et quod solus Dominus noverit, qualis inde domus exstrui possit; illa omnia quae a Domino, sunt essentialissima, sed non sequuntur in ordine ex necessitate, verum applicate ad liberum hominis.*

6488. *Sermo fuit de Praedestinatione, et multi ex spiritibus ex principiis in mundo fuerunt in ea opinione quod quidam praedestinati sint ad coelum, et quidam ad infernum; sed responsum audivi e coelo, quod nusquam aliquis praedestinatus sit ad infernum, sed quod omnes ad vitam aeternam.*

6489. *Ita se habet cum Providentia Domini, quod conjuncta sit cum Praevidentia, et quod una non detur absque altera; mala enim praevidentur et bona providentur; et mala, quae praevidentur, per dispositionem providam Domini continue flectuntur versus bonum, nam finis Divinus ad bonum universaliter regnat; inde nec quicquam permittitur, nisi ob finem ut inde aliquid bonum eveniat; sed quia liberum homini est, ut reformari possit, flectitur ille a malo ad bonum, quantum in libero se flecti patitur, et continue ab atrocissimo inferno, in quod se praecipitare omni conatu laborat, in mitius, si non duci possit ad coelum.*

6490. *Nisi Providentia Domini in singularissimis esset, nequaquam salvari potuisset homo, ne quidem vivere, nam vita est a Domino, et omnia momenta vitae habent seriem conse-*

quentium in aeternum. Quondam datum erat percipere manifeste sphaeram finium, quae est Providentiae a Domino.

6491. *Quod Domini Providentia sit infinita, et spectet aeternum, constare potest ex formatione embryonum in utero, projiciuntur ibi continue lineamenta ad illa quae futura, ita ut unum semper sit planum ad alterum, et hoc absque omni errore, usque dum embryo fit; postmodum etiam cum natus est, praeparatur unum successive ad alterum et pro altero, ut homo perfectus existat, et tandem talis ut recipere possit coelum: si ita singula providentur cum homo concipitur, nascitur et adolescit, quid non quoad spiritualem vitam.*

6492. *In somnio apparebat mihi pater meus, et loquebar cum illo, dicens, quod filius non agnoscere debeat patrem suum pro patre, sicut prius, postquam sui juris factus est; nam quod agnoscendus cum educatur, est quia tunc loco Domini est, nec nisi quam ex manuductione patris novit tunc quid aget: at cum sui juris et suae cogitationis fit, et se ex semet manuducere posse sibi videtur, quod tunc Dominus Pater ejus erit, cujus vicem naturalis ejus pater prius obiverat. Haec loquutus sum in somnio; cum evigilatus, videbatur descendere e coelo volumen longum applicatum baculis, et colligatum per pulcherrimas contexturas coloratas candido caeruleo, pulchritudo non describi potest; dictum est, quod talia dona angelis sint inter se.*

6493. *Saepe loquutus sum cum Spiritibus de Fortuna, quae in mundo apparet sicut casus fortuitus, quia non sciunt unde; et quia hoc non sciunt, quidam negant quod sit. Cum mihi accideret tale quod appareret sicut fortuitum, dictum est ab angelis, quod accideret quia tales spiritus aderant, et cum fortuitum malum, quod sphaera talium spirituum praevaleret: etiam mali spiritus per artes suas invenerunt producere sphaeram, ex qua infortunata, quae apparebant plane sicut ex casu: et porro dictum, quod omnia, imo omnium minima, ad minimorum minima, dirigantur a Providentia Domini, usque quoad ipsos gressus; cumque tale praevalet quod contrarium illi est, accidunt infortunata: et confirmatum ab illis est, quod non detur aliquis casus; et quod fortuitum apparens seu fortuna, sit Providentia in ultimo ordinis, in quo omnia inconstanter se respective habent.*

6494. *Per plures annos sedulo observavi, num fortuna esset aliquid, et compertus sum quod esset, et quod prudentia tunc nihil faceret; omnes etiam qui diu super id reflexerunt, hoc sciunt et fatentur, sed non sciunt unde id; quod sit e spirituali mundo vix aliquis novit, cum tamen inde est. Quondam cum ludi ludum familiarem aleae cum talis in conversatione, spiritus, qui apud me, loquebantur mecum de fortuna in ludis, et dicebant quod fortunatum illis repraesentaretur per nubem candidam, et quod infortunatum per nubem fuscam; et cum apud me appareret nubes fusca, quod nequaquam vincere possem; et quoque ex illo indicio praedicebant mihi fortunae vices in illo ludo; inde scire datum, quod id quod tribuitur fortunae, etiam in ludis, sit ex spirituali mundo; magis id quod homini contingit quoad vices in ejus vitae cursu; et quod id quod fortuna vocatur sit ex influxu Providentiae in ultimis ordinis, ubi ita existit: ita quod Providentia sit in omnium singularissimis, secundum Domini verba, quod ne quidem capillus decidat de capite absque voluntate Dei.*

6495. *Ex his quae hactenus allata sunt, constare potest, quod Influxus a Domino sit immediatus, et quoque per coelum mediatus; sed Influxus qui a Domino, est bonum amoris coelestis, ita amoris erga proximum, in hoc amore est Dominus praesens, nam amat universum genus humanum, et singulos vult salvare in aeternum; et quia bonum illius amoris est ab Ipso, est Ipse in Illo, ita apud hominem praesens qui in illius amoris bono est. At cum homo in illum statum se mittit, ut recipiat influxum ab inferno, tunc vitam amoris sui et mundi sentit jucundam, et vitam amoris proximi, nisi sit pro se, injucundam. Et quia homo, qui in hoc statu est, non cupit nisi quam mala, et cogitat non nisi quam falsa de vita spirituali, ne itaque similiter agat sicut cupit, et loquatur sicut cogitat, tenetur in vinculis per ipsos suos amores, quorum privationem timet, ita per timores jacturae honoris, lucri, famae,* [78] *vitae; in haec vincula, quae faciunt planum ultimum, influit tunc Dominus, et per illa regit eum; inde actualiter moratus et civilis apparet, quandoque sicut angelus, nec societati ac proximo damnum infert; et si inferret, sunt leges civiles quae puniunt. Sed hoc planum nihil est in altera vita, homo ibi est in*

spirituali mundo, proinde in sphaera interiorum suorum, nempe qualis intus fuerat, talis ibi est, non qualis apparuit in externis; externa enim ei auferuntur, quibus ablatis patet, qualis vel diabolus, vel qualis angelus fuerat in mundo.

6496. *Continuatio ad finem Capitis sequentis.*



GENESEOS

CAPUT QUINQUAGESIMUM.

1. Et cecidit Joseph super facies patris sui, et flevit super illo, et osculatus illum.

2. Et praecepit Joseph servis suis medicis ad condiendum patrem suum, et condierunt medici Israëlem.

3. Et impleti ei quadraginta dies, quia ita implentur dies conditorum; et fleverunt illum Aegyptii septuaginta dies.

4. Et transiverunt dies fletus ejus, et loquutus Joseph ad domum Pharaonis, dicendo, si quaeso inveni gratiam in oculis vestris, loquimini quaeso in auribus Pharaonis, dicendo.

5. Pater meus adjuravit me, dicendo, ecce ego morior, in sepulchro meo, quod fodi mihi in terra Canaan, ibi sepelias me; et nunc ascendam quaeso, et sepeliam patrem meum, et revertar.

6. Et dixit Pharao, ascende et sepeli patrem tuum, quemadmodum adjuravit te.

7. Et ascendit Joseph ad sepeliendum patrem suum, et ascenderunt cum eo omnes servi Pharaonis seniores domus ejus, et omnes seniores terrae Aegypti.

8. Et tota domus Josephi, et fratres ejus, et domus patris sui; tantum infantes suos, et greges suos, et armenta sua, reliquerunt in terra Goschen.

9. Et ascendit cum eo etiam currus, etiam equites, et erat exercitus gravis valde.

10. Et venerunt ad aream Atad, quae in transitu Jordanis, et planxerunt ibi planctum magnum et gravem valde, et fecit patri suo luctum septem dies.

11. Et vidit habitator terrae Cananaeus luctum in area

Atad, et dixerunt, Ictus gravis hic Aegyptiis, propterea vocavit nomen ejus Avel Mizraim qui in transitu Jordanis.

12. Et fecerunt filii ejus ita, quemadmodum praeceperat illis.

13. Et tulerunt illum filii ejus terram Canaanem, et sepeliverunt illum in spelunca agri Machpelah, quam emerat Abraham cum agro ad possessionem sepulchri ex Ephrone Chittaeo, super facies Mamre.

14. Et reversus Joseph Aegyptum, is et fratres ejus, et omnes ascendentes cum eo ad sepeliendum patrem ejus, postquam sepelire eum patrem suum.

15. Et viderunt fratres Josephi, quod mortuus pater illorum, et dixerunt, fortassis odio habebit nos Joseph, et reducendo reducet nobis omne malum, quod retribuimus illi.

16. Et praeceperunt ad Josephum, dicendo, pater tuus praecepit ante mori eum dicendo.

17. Ita dicatis ad Josephum, quaeso remitte quaeso praevaricationem fratrum tuorum, et peccatum illorum, quia malum retribuerunt tibi; et nunc remitte quaeso praevaricationem servorum [1] Dei patris tui; et flevit Joseph in loqui illos ad eum.

18. Et iverunt etiam fratres ejus, et ceciderunt coram eo, et dixerunt, ecce nos tibi ad servos.

19. Et dixit ad illos Joseph, ne timeatis, quia num pro Deo ego.

20. Et vos cogitastis super me malum, Deus cogitavit id ad bonum propter facere secundum diem hunc, ad vivificandum populum magnum.

21. Et nunc ne timeatis, ego sustentabo vos, et infantes vestros; et consolatus illos, et loquutus super cor illorum.

22. Et habitavit Joseph in Aegypto, is et domus patris ejus; et vixit Joseph centum et decem annos.

23. Et vidit Joseph Ephraimo filios tertianorum; etiam filii Machir filii Menaschis nati super genubus Josephi.

24. Et dixit Joseph ad fratres suos, ego morior, et Deus visitando visitabit vos, et ascendere faciet vos e terra hac, ad terram quam juravit Abrahamo, Jischako, et Jacobo.

25. Et adjuravit Joseph filios Israëlis, dicendo, visitando visitabit Deus vos, et ascendere facietis ossa mea exhinc.

26. Et moriebatur Joseph filius centum et decem annorum; et condierunt eum; et ponebatur in arca in Aegypto.

CONTENTA.

6497. Postquam actum est de Abrahamo, Jischako, et Jacobo, per quos in supremo sensu repraesentatur Dominus, agitur nunc in ultimo hoc Capite in sensu interno de Ecclesia, quod postquam Coelestis Ecclesia periit, Ecclesia spiritualis a Domino instituta sit; initium ejus et progressus in sensu interno describitur; et ad finem Capitis, Ecclesiae illius finis; et quod loco ejus solum Ecclesiae repraesentativum apud posteros Jacobi institutum sit.

SENSUS INTERNUS.

6498. Vers: 1. 2. 3. *Et cecidit Joseph super facies patris sui, et flevit super illo, et osculatus illum. Et praecepit Joseph servis suis medicis ad condiendum patrem suum; et condierunt medici Israëlem. Et impleti ei quadraginta dies, quia ita implentur dies conditorum; et fleverunt illum Aegyptii septuaginta dies.* Et cecidit Joseph super facies patris sui, significat influxum Interni in affectionem boni: et flevit super illo, significat maestitiam: et osculatus illum, significat conjunctionem primam: et praecepit Joseph servis suis Medicis, significat praeservationem a malis quae impedirent: ad condiendum patrem suum, significat ne inficiatur aliquo contagio: et condierunt medici Israëlem, significat effectum ad praeservandum bonum quod ex vero: et impleti ei quadraginta dies, significat status praeparationis per tentationes: quia ita implentur dies conditorum, significat quod illi status praeservationis sint: et fleverunt illum Aegyptii, significat tristitiam scientificorum Ecclesiae: septuaginta dies, significat statum plenum.

6499. Et cecidit Joseph super facies patris sui, quod significet influxum Interni in affectionem boni, constat ex significatione cadere super facies alicujus, quod sit influxus; ex reprae-

sentatione Josephi, quod sit Internum, de qua n: 5805. 5826. 5827. 5869. 5877. 6177. 6224; ex significatione faciei, quod sit affectio, de qua n: 4796. 4797. 5102; et ex repraesentatione Israëlis, qui hic est pater, quod sit bonum spirituale seu bonum veri, de qua n: 3654. 4598. 5801. 5803. 5806. 5812. 5817. 5819. 5826. 5833; inde patet, quod per cecidit Joseph super facies patris sui, significetur influxus Interni in affectionem boni spiritualis. Quod influxus Interni in affectionem boni spiritualis significetur, est quia in sensu interno hic agitur de Ecclesia spirituali quod instituta a Domino, per Israëlem enim bonum veri seu bonum spirituale significatur, et id bonum facit Ecclesiam spiritualem, ideo etiam per Israëlem illa Ecclesia significatur, n: 4286. 6426: ut existat id bonum, erit influxus a coelesti Interno, quod repraesentatur per Josephum, nam absque influxu inde bonum illud non est bonum, quia nullius affectionis. In sequentibus in sensu interno etiam continuatur de institutione illius Ecclesiae, n: 6497. Quod Ecclesia illa per Israëlem nunc mortuum et mox sepeliendum describatur, est quia in sensu interno per mortem non significatur mors, nec per sepulturam sepultura, sed per mortem nova vita, n: 3498. 3505. 4618. 4621. 6036, et per sepulturam regeneratio, n. 2916. 2917. 5551.

6500. Et flevit super illo, quod significet maestitiam, constat absque explicatione. Per maestitiam, quae hic significatur per flere, non intelligitur maestitia propter mortem in sensu interno sicut in externo, sed propter bonum Ecclesiae spiritualis, quod non possit elevari supra naturale; Dominus enim influens per Internum continue vult perficere illud bonum, et adducere versus se, sed usque non potest ad primum gradum boni, quod est Ecclesiae Coelestis, elevari, n: 3833, nam homo Ecclesiae spiritualis in obscuro est respective, et ratiocinatur de veris num vera sint, aut confirmat illa quae doctrina dicta, et hoc absque perceptione num verum sit vel non verum quod confirmat, et cum confirmaverat illud apud se, credit prorsus quod verum sit, tametsi foret falsum, nam nihil non confirmari potest, hoc enim ingenii opus est, non intelligentiae, minus sapientiae, et falsum confirmari potest prae vero, quia favet cupiditatibus, et congruit fallaciis sensuum. Quia homo Ecclesiae spiritualis est talis,

nequaquam elevari potest supra naturale; inde nunc maestitia quae per flevit Josephus super illo, significatur.

6501. Et osculatus illum, quod significet conjunctionem primam, constat a significatione osculari, quod sit conjunctio ex affectione, de qua n: 3573. 3574. 4215. 4353. 5929. 6260; hic conjunctio prima, quia in sequentibus de arctiore conjunctione agitur.

6502. Et praecepit Joseph servis suis medicis, quod significet praeservationem a malis quae impedirent, nempe conjunctionem, constat ex significatione praecipere, quod sit influere, de qua n: 5732; a repraesentatione Josephi, quod sit Internum, de qua mox supra n: 6499; [2] et ex significatione medicorum, quod sint praeservatio a malis; quod sit a malis quae impedirent conjunctionem, de qua mox supra n: 6501, ex serie apparet: inde patet, quod per praecepit Joseph servis suis medicis, significetur influxus ab Interno de praeservatione a malis quae impedirent conjunctionem. Quod medici significent praeservationem a malis, est quia in spirituali mundo morbi sunt mala et falsa, morbi spirituales non aliud sunt, nam mala et falsa sanitatem interno homini auferunt, et inducunt aegritudines menti, et tandem dolores; nec aliud per morbos in Verbo significatur. Quod Medici, Medicina, ac medicamenta in Verbo significent praeservationes a malis et falsis, constat a locis ubi nominantur, ut apud Mosen „ Si audiendo audias vocem Dei tui, et bonum in oculis Illius facias, et aures des praeceptis Ipsius, et custodias omnia statuta Ipsius, *omnem morbum* quem posui super Aegyptios, non ponam super te, *quia Ego Jehovah sum Medicus tuus* " Exod: XV: 26; Jehovah Medicus pro praeservatore a malis, nam haec per morbos super Aegyptiis significantur; quod morbi super Aegyptiis significent mala et falsa oriunda ex ratiociniis a scientificis et fallaciis de Arcanis fidei, ex Divina Domini Misericordia ostendetur, ubi de illis; quod spiritualia significentur, patet ex eo, quod dicatur, si audirent vocem Dei, bonum facerent, aures darent praeceptis, et custodirent statuta, quod non tunc super illis morbi illi. In eodem sensu etiam Dominus se vocat Medicum apud Lucam „ *Non opus habent sani Medico*, sed male habentes, non veni ad vocandum justos, sed peccatores ad poenitentiam " V: 31. 32; hic

quoque Medicus pro praeservatore a malis, nam per sanos intelliguntur justi, et per male habentes peccatores. Apud Jeremiam „Num *balsamum* non est in Gileade, *num Medicus non ibi*, quare enim non ascendit *sanitas* filiae populi mei" VIII: 22, medicus pro praeservatione a falsis in Ecclesia, sanitas enim filiae populi mei, est verum doctrinae ibi. Quod sanationes, medelae, remedia et medicamenta, non in naturali sed in spirituali sensu in Verbo dicantur, patet apud Jeremiam „Quare percussisti nos, *ut non remedium nobis;* exspectare [3] pacem, sed non bonum; *tempus sanationis*, sed ecce terror" XIV: 19. Cap: VIII: 15. Apud Eundem „Ego ascendere ei faciam *sanitatem et medelam*, et *sanabo* eos, et revelabo illis coronam pacis et veritatem" XXXIII: 6. Apud Eundem „Non judicans judicium tuum *ad sanitatem*, *medicamenta restitutionis* non tibi" XXX: 13. Apud Eundem „Ascende Gilead, et sume *balsamum* virgo filia Aegypti, in vanum multiplicasti *medicamenta, sanatio* non tibi" XLVI: 11. Apud Ezechielem „Juxta fluvium ascendit super ripa ejus hinc et illinc omnis arbor cibi, [4] cujus non decidit folium, neque consumitur fructus ejus, in menses suos renascitur, quia aquae ejus e sanctuario sunt exeuntes; unde fructus ejus est in cibum, *et folium ejus in medicamentum*" XLVII: 12, [5] agitur ibi apud Prophetam de nova domo Dei, seu de novo Templo, per quod significatur nova Ecclesia, ac in interiori sensu Regnum spirituale Domini, quare *Fluvius*, super cujus ripa ascendit omnis arbor cibi, significat illa quae sunt intelligentiae et sapientiae, n: 108. 109. 2702. 3051: *Arbores*, perceptiones et conjunctiones boni et veri, n: 103. 2163. 2682. 2722. 2972. 4552; *Cibus*, ipsa bona et vera, n: 680. 4459. 5147. 5293. 5576. 5915; *Aquae*, exeuntes e sanctuario, vera quae intelligentiam faciunt, n: 2702. 3058. 3424. 4976. 5668; *Sanctuarium*, amorem coelestem, in sensu supremo Divinum Humanum Domini, a Quo ille amor; *Fructus*, qui sunt in cibum, significant bona amoris, n: 913. 983. 2846. 2847. 3146; *Folium*, quod in medicamentum, significat verum fidei, n: 885; inde patet quid *medicamentum*, quod nempe sit id quod praeservat a falsis et a malis; verum enim fidei, cum ducit ad bonum vitae, quia abducit a malo, praeservat.

6503. Ad condiendum patrem suum, quod significet ne in-

ficiatur aliquo contagio, constat a significatione condire, quod sit medium praeservationis a contagio; et a repraesentatione Israëlis, quod sit bonum quod est Ecclesiae spiritualis, de qua supra n: 6499; inde patet, quod per ad condiendum patrem suum, significetur medium praeservationis, ne bonum, quod est Ecclesiae spiritualis, inficiatur aliquo contagio: quod condire significet medium praeservationis a contagio, est quia conditurae fiebant ut corpus praeservaretur a putredine. De medio praeservationis boni spiritualis a contagio, etiam in mox sequentibus agitur.

6504. Et condierunt medici Israëlem, quod significet effectum ad praeservandum bonum quod ex vero, constat ex significatione condire, quod sit medium praeservationis a contagio, de qua mox supra n: 6503, hic effectus praeservationis, quia dicitur condierunt; ex significatione medicorum, quod sint praeservatio a malis, de qua supra n: 6502; et ex repraesentatione Israëlis, quod sit bonum spirituale, quod idem est ac bonum quod ex vero, de qua etiam supra n: 6499.

6505. Et impleti ei quadraginta dies, quod significet status praeparationis per tentationes, constat ex significatione numeri quadraginta, quod sint tentationes, de qua n: 730. [6] 862. 2272. 2273; et ex significatione dierum, quod sint status, de qua n: 23. 487. 488. 493. 893. 2788. 3462. 3785. 4850; quod sint status praeparationis, significatur per quod impleti ei illi dies, nam per impletionem dierum illorum fiebat praeparatio ut praeservarentur corpora a putredine, in sensu spirituali ut animae a contagio mali. Quod per Tentationes removeantur mala et falsa, et quod homo per illas praeparetur ad recipiendum vera et bona, videatur n: 863. 1692. 1717. 1740. 2272. 3318. 4341. 4572. 5036. 5356. 6144.

6506. Quia ita implentur dies conditorum, quod significet quod illi status praeservationis sint, constat ex significatione dierum, quod sint status, de qua mox supra n: 6505; et a significatione condiri, quod sit medium praeservationis, de qua etiam supra n: 6503.

6507. Et fleverunt illum Aegyptii, quod significet tristitiam scientificorum Ecclesiae, constat ex significatione flere, quod sit summum tristitiae, et repraesentativum luctus interni, de qua

n: 3801. 4786; et ex repraesentatione Aegyptiorum, quod sint scientifica Ecclesiae, de qua n. 4749. 4964. 4966. Tristitia scientificorum Ecclesiae, quae per fleverunt Israëlem Aegyptii, non significat tristitiam propter mortem ejus, hic enim sensus est sensus literae; sed tristitia hic significat tristitiam propter quod bonum Ecclesiae, quod per Israëlem repraesentatur, reliquerit scientifica, quae sunt externa Ecclesiae, cum ab illis ascenderit ad Ecclesiae internum, quod est bonum veri, tunc enim non spectat scientifica apud se, ut prius, sed infra se; nam cum verum Ecclesiae spiritualis fit bonum, tunc fit versura, et tunc non amplius spectat vera ex veris, sed vera ex bono, de qua versura prius aliquoties actum est; inde tristitia; et quoque inde, quod tunc fiat alius ordo inter scientifica, quod nec fit absque dolore.

6508. Septuaginta dies, quod significet statum plenum, constat ex significatione septuaginta; numerus enim hic simile involvit cum septem, et septem significant integram periodum a principio ad finem, ita statum plenum, n: 728. 2044. 3845; quod numeri in Verbo significent res, videatur n: 1963. 1988. 2075. 2252. 3252. 4264. 4495. 4670. 5265. 6175; et quod numeri multiplicati significent simile cum simplicibus, a quibus compositi, n: 5291. 5335. 5708, ita septuaginta simile cum septem. Quod septuaginta sint integra periodus, ita status plenus, [7] patet quoque ab his locis; apud Esaiam „Fiet in die illo, oblivioni tradetur Tyrus *Septuaginta annis*, juxta dies regis unius: *a fine septuaginta annorum* erit Tyro canticum meretricis; fiet namque *a fine septuaginta annorum* visitabit Jehovah Tyrum" XXIII: 15. 17; Tyrus pro cognitionibus boni et veri quae Ecclesiae, n: 1201, quae oblivioni dabuntur; septuaginta anni pro integra periodo a principio ad finem; juxta dies regis unius pro statu veri intra Ecclesiam, dies enim sunt status, n: 6505, et Rex verum, n: 1672. 2015. 2069. 3009. 5044. 5068. 6148; quisque, qui perpendit, videre potest, quod hic per Tyrum non Tyrus intelligatur, et quod absque sensu interno non capi possit, quid sit quod oblivioni tradetur Tyrus septuaginta annis, et quid sit quod hoc sit juxta dies regis unius, et quid reliqua. Apud Jeremiam „Erit tota terra in desolationem, in devastationem, et servient gentes hae Regi Babelis

Septuaginta annis, et fiet, cum impleti fuerint *Septuaginta anni*, visitabo super Regem Babelis, et super gentem hanc iniquitatem eorum" XXV: 11. 12. Cap: XXIX: 10; septuaginta anni pro pleno statu desolationis et devastationis; id significabat septuaginta annorum captivitas, quae populo Judaico. Apud Danielem „*Septimanae septuaginta* decisae sunt super populum tuum, et super urbem sanctitatis tuam, ad consummandum praevaricationem, et ad obsignandum peccata, et ad expiandum iniquitatem, et ad adducendum justitiam saeculorum, et ad obsignandum visionem et prophetam, et ad ungendum Sanctum sanctorum" IX: 24, Septuaginta manifeste pro statu pleno; sic pro integra periodo, antequam Dominus venturus, inde de Ipso dicitur quod in plenitudine temporis venerit; quod septimanae septuaginta sint status plenus, patet a singulis in illo Versu, quod nempe tot decisae sint ad consummandum praevaricationem, tum ad expiandum iniquitatem, et ad adducendum justitiam saeculorum, ad obsignandum visionem et prophetam, ad ungendum Sanctum sanctorum; singula haec involvunt plenitudinem: similiter etiam mox sequentia ibi „Scito ergo et percipito, ab exitu Verbi ad usque restituendum et aedificandum Hierosolymam usque ad Messiam Principem *Septimanae septem*" Vers: 25, ibi septem pro pleno statu, quod septem aeque ac septuaginta significent plenum statum, videatur mox supra; Hierosolyma hic manifeste pro Ecclesia nova, nam non tunc aedificata est Hierosolyma, sed destructa.

6509. Vers: 4. 5. 6. *Et transiverunt dies fletus ejus; et loquutus Joseph ad domum Pharaonis, dicendo, si quaeso inveni gratiam in oculis vestris, loquimini quaeso in auribus Pharaonis, dicendo. Pater meus adjuravit me, dicendo, ecce ego morior, in sepulchro meo, quod fodi mihi in terra Canaan, ibi sepelias me; et nunc ascendam quaeso, et sepeliam patrem meum, et revertar. Et dixit Pharao, ascende et sepeli patrem tuum, quemadmodum adjuravit te.* Et transiverunt dies fletus ejus, significat quod status maestitiae transacti sint: et loquutus Joseph ad domum Pharaonis, significat influxum Interni in mentem naturalem: dicendo, si quaeso inveni gratiam in oculis vestris, significat ut bene recipiatur: loquimini quaeso in auribus Pharaonis, dicendo, significat sollicitationem ut consentiat: pa-

Uu

ter meus adjuravit me, significat quod Ecclesia cordi sit: dicendo, ecce ego morior, significat quod desiit esse: in sepulchro meo, quod fodi mihi in terra Canaan, ibi sepelias me, significat quod resuscitanda ubi prior fuerat: et nunc ascendam quaeso, et sepeliam patrem meum, significat resuscitationem Ecclesiae ibi ab Interno: et revertar, significat praesentiam in mente naturali: et dixit Pharao, ascende et sepeli patrem tuum, significat affirmationem ut resuscitetur Ecclesia: quemadmodum adjuravit te, significat quia illa cordi.

6510. Et transiverunt dies fletus ejus, quod significet quod status maestitiae transacti sint, constat ex significatione transiverunt, quod sit transactum; ex significatione dierum fletus, quod sint status maestitiae, de qua supra n: 6500; quod dies sint status, n: 6505.

6511. Et loquutus Joseph ad domum Pharaonis, quod significet influxum Interni in mentem naturalem, constat ex significatione loqui, quod sit influxus; de qua n: 2951. 5481. 5743. 5797; ex repraesentatione Josephi, quod sit Internum, de qua supra n: 6499; ex significatione domus, quod sit mens, de qua n: 4973. 5023; et ex repraesentatione Pharaonis, quod sit naturale, de qua n: 5160. [8] 5799. 6015; inde patet, quod per loquutus Joseph ad domum Pharaonis, significetur influxus Interni in mentem naturalem.

6512. Dicendo, si quaeso inveni gratiam in oculis vestris, quod significet ut bene recipiatur, constat ex significatione invenire gratiam in oculis, quod sit formula insinuationis, ita ut bene recipiatur, videatur n: 4975. 6178.

6513. Loquimini quaeso in auribus Pharaonis, dicendo, quod significet sollicitationem ut consentiat, constat ex significatione loquimini quaeso, quod sit sollicitatio; et ex significatione aurium, quod sint obedientia, de qua n: 2542. 3869. 4551. 4652 ad 4660, hic consensus, quia est ad Regem; obedientia etiam est consensus, sed obedientia dicitur cum de vilioribus, at consensus cum de eminentioribus.

6514. Pater meus adjuravit me, quod significet quod Ecclesia cordi sit, constat ex repraesentatione Israëlis, qui hic est pater, quod sit Ecclesia spiritualis, de qua n: 4286. 6426; ex significatione adjurare, quod sit interius obligare, hic cordi

esse, nam qui interius et sic per conscientiam obligat, is facit id quia ei cordi est; inde hoc per adjurare hic significatur.

6515. Dicendo, ecce ego morior, quod significet quod desiit esse, nempe Ecclesia, constat ex significatione mori, quod sit non amplius esse, de qua n: 494, et quod sit ultimum tempus Ecclesiae cum exspirat, n: 2908. 2917. 2928.

6516. In sepulchro meo, quod fodi mihi in terra Canaan, ibi sepelias me, quod significet quod resuscitanda, nempe Ecclesia, ubi prior fuerat, constat ex significatione sepulchri et sepeliri, quod sit resuscitatio, de qua n: 5551, et ex significatione terrae Canaanis, quod sit Regnum Domini et Ecclesia, de qua n: 1413. 1437. 1607. 1866. 3038. 3481. 3705. 4240. 4447. Causa quod Jacob in terra Canaane, ubi Abraham et Jischak, et non alibi, sepeliri voluerit, erat, quia posteri ejus illam possessuri essent, et sic inter suos cubaret; at in sensu interno non id sed aliud significabatur, nempe regeneratio et resurrectio, quia ibi Ecclesia, nam per sepulturam in sensu interno significatur regeneratio et resurrectio, n: 2916. 2917. 4621. 5551, et per terram Canaanem Ecclesia, ut patet ex locis hic supra citatis; perque Abrahamum, Jischakum, et Jacobum, Dominus quoad Ipsum Divinum ac Divinum Humanum, ac in sensu respectivo Regnum Domini quoad internum et externum ejus, n: 1965. 1989. 2011. 3245. [?] 3305 f. 4615. 6098. 6185. 6276; hoc nunc in sensu interno per sepulturam illorum ibi significatur; inde apud Judaeos, qui resurrectionem credunt, adhuc manet opinio, quod tametsi alibi sepulti, usque ibi resurrecturi sint. Quod dicatur, quod Ecclesia resuscitanda *ubi prior fuerat*, est quia Ecclesia Domini ab Antiquissimis temporibus ibi fuerat, videatur n: 3686. 4447. 4454. 4516. 4517. 5136; inde quoque erat quod Abraham illuc ire jussus sit, tum quoque quod posteri Jacobi illuc introducti sint, et hoc non ob causam quia terra illa sanctior esset reliquis, sed quia ab antiquissimis temporibus omnia loca ibi, tam provinciae, quam urbes, tum quoque montes et fluvii, repraesentativa erant talium quae sunt Regni Domini, ac ipsa nomina, quae illis indita, involvebant talia; nam unumquodvis nomen, quod alicui loco, et quoque personae, e coelo datur, involvit coeleste et spirituale; et cum datum est e coelo, tunc percipitur ibi; et Antiquissima Ecclesia,

quae coelestis et communicationem habuit cum coelo, fuit, quae nomina indiderat: causa ergo, quod ibi iterum Ecclesia, erat, quia Verbum daretur, in quo omnia et singula repraesentativa et significativa essent spiritualium et coelestium, et sic Verbum in Coelo intelligeretur aeque ac in terra; quod nequaquam fieri potuit, nisi nomina locorum et personarum etiam significarent; inde est, quod illuc introducti fuerint posteri Jacobi, et inde ibi exsuscitati prophetae per quos Verbum scriptum, et quoque ideo apud posteros Jacobi repraesentativum Ecclesiae institutum est; inde patet, cur dictum sit, quod resuscitanda Ecclesia ubi prior fuerat. Quod Nomina, quae in Verbo, significent res, videatur n: 1224. 1264. 1876. 1888. 4442. 5225, praeter perpluries, ubi explicatum est, quid significant; at quod Nomina, quae in Verbo, percipiantur in coelo quid significant, et hoc absque instructione, est arcanum quod adhuc nemo scit, quare dicendum: cum legitur Verbum, tunc Dominus influit et docet; sunt quoque, quod mirabile, in mundo spirituali scripturae, quas aliquoties vidi, et quas legere potui, sed non intelligere, verum a spiritibus bonis et angelis intelliguntur clare, quia concordant cum lingua eorum universali; et scire datum est, quod singulae voces ibi, usque ad singulas syllabas, involvant talia, quae mundi illius sunt, ita spiritualia, et quod ibi percipiantur ex aspiratione, et ex affectione resultante ex enuntiatione earum, ita ex mitiori et asperiori emodificatione; sed hoc fortassis vix aliquis crediturus est: hoc detectum est, ut sciatur, quod nomina in Verbo, quia inscripta sunt in coelo, percipiantur illico ibi quid significant.

6517. Et nunc ascendam, et sepeliam patrem meum, quod significet resuscitationem Ecclesiae ibi ab Interno, constat ex significatione sepeliri, quod sit resuscitatio, de qua mox supra n: 6516; [10] ex repraesentatione Israëlis, qui hic est pater; quod sit Ecclesia, de qua etiam supra n: 6514; et ex repraesentatione Josephi, qui de se hoc dicit, quod sit Internum, de qua n: 6499.

6518. Et revertar, quod significet praesentiam in mente naturali, constat ex significatione reverti, quod sit praesentia, nam in sensu interno proficisci et ire significant vivere, n: 3335. 4882. 5493. 5605, [11] inde redire seu reverti, est vitae

praesentia ibi unde profectus, nam mens ibi usque praesens est; quod praesentia sit in mente naturali, est quia per terram Aegypti ad quam reversurus, significetur mens naturalis, n: 5276. 5278. 5280. 5288. 5301.

6519. Et dixit Pharao, ascende et sepeli patrem tuum, quod significet affirmationem ut resuscitetur Ecclesia, constat ex illis quae mox supra n: 6517, dicta sunt, ubi similia verba; quod affirmatio sit, patet.

6520. Quemadmodum adjuravit te, quod significet quia illa cordi, constat ex significatione adjurare, quod sit cordi esse, de qua supra n: 6514.

6521. Vers: 7. 8. 9. *Et ascendit Joseph ad sepeliendum patrem suum; et ascenderunt cum eo omnes servi Pharaonis seniores domus ejus, et omnes seniores terrae Aegypti. Et tota domus Josephi, et fratres ejus, et domus patris sui, tantum infantes suos, et greges suos, et armenta sua, reliquerunt in terra Goschen. Et ascendit cum eo etiam currus, etiam equites, et erat exercitus gravis valde.* Et ascendit Joseph ad sepeliendum patrem suum, significat Internum ad instaurationem Ecclesiae: et ascenderunt cum eo omnes servi Pharaonis, significat quod adjunxerit sibi scientifica naturalis: seniores domus ejus, significat quae concordarent cum bono: et omnes seniores terrae Aegypti, significat quod concordarent cum vero: et tota domus Josephi, significat coelestia spiritualis: et fratres ejus, significat vera inde: et domus patris sui, significat bonum spirituale: tantum infantes suos, significat innocentiam: et greges suos, significat [charitatem: et armenta sua, significat] exercitia charitatis: reliquerunt in terra Goschen, significat quod illa in scientificorum Ecclesiae intimo: et ascendit cum eo etiam currus, significat doctrinalia: etiam equites, significat intellectualia: et erat exercitus gravis valde, significat vera et bona conjuncta.

6522. Et ascendit Joseph ad sepeliendum patrem suum, quod significet Internum ad instaurationem Ecclesiae, constat ex repraesentatione Josephi, quod sit Internum, de qua supra n: 6499; ex significatione sepeliri, quod sit resuscitatio, de qua n: 6516, ita instauratio, quia praedicatur de Ecclesia;

et ex repraesentatione Israëlis, qui hic est pater, quod sit Ecclesia, de qua n: 4286. 6426.

6523. Et ascenderunt cum eo omnes servi Pharonis, quod significet quod adjunxerit sibi scientifica naturalis, constat ex significatione ascendere cum eo, quod sit sibi adjungere; nam quia ex mandato factum quod ascenderent, is sibi eos adjunxit; et ex significatione servorum Pharaonis, quod sint scientifica naturalis, per Pharaonem enim repraesentatur naturale in communi, n: 5160. [12] 5799. 6015 f; et quia in naturali sunt scientifica, sunt haec quae per servos ejus significantur, ut quoque per Aegyptios, n: 1164. 1165. 1186. 1462. 4749. 4964. 4966. 6004. [13] 5700. 5702.

6524. Seniores domus ejus, quod significet quae concordarent cum bono, constat ex significatione seniorum, quod sint praecipua sapientiae, ita concordantia cum bono, de qua sequitur; et ex significatione domus, quod sit bonum, de qua n: 2559. 3652. 3720. 4982. Quod seniores sint praecipua sapientiae, est quia senes in Verbo significant sapientes, ac in sensu a persona abstracto sapientiam; quoniam duodecim Tribus Israëlis significabant omnia vera et bona in complexu, super illos positi sunt Principes, et quoque Seniores, et per Principes significabantur primaria vera, quae sunt intelligentiae, et per Seniores praecipua sapientiae, ita quae sunt boni; quod Principes significent primaria vera quae sunt intelligentiae, videatur n: 1482. 2089. 5044; quod autem seniores significarent praecipua sapientiae, et Senes sapientiam, patet ab his locis; apud Davidem „Extollent Jehovam in congregatione populi, et *in consessu Senum* laudabunt ipsum" Psalm: CVII: 32, [14] congregatio populi pro illis qui sunt in veris quae sunt intelligentiae, nam congregatio praedicatur de veris, n: 6355, et quoque populus, n: 1259. [15] 1260. 2928. 3295. 3581; consessus senum pro illis qui sunt in bono, quod est sapientiae; sapientia enim est vitae, ita boni, intelligentia autem est cognitionum, ita veri, n: 1555. Apud Eundem „*Prae senibus sapiens sum*, quia mandata tua custodivi" Psalm: CXIX: 100, senes manifeste pro sapiente. Pariter apud Hiobum „*In senibus est sapientia, in longitudine dierum intelligentia*", XII: 12. Apud Mosen „*Coram canitie surges, et honorabis facies Senis*" Levit: XIX:

32, hoc mandatum est, quia Senes repraesentabant Sapientiam. Apud Johannem „Super thronis vidi *Viginti quatuor seniores sedentes*, indutos vestimentis albis, qui habebant super capitibus suis coronas aureas" Apoc: IV: 4; seniores pro illis quae sunt sapientiae, ita quae sunt boni; quod seniores sint illa, patet ex descriptione, quod nempe sederint super thronis, induti fuerint vestimentis albis, et habuerint coronas aureas super capitibus; throni enim sunt vera intelligentiae ex bono quod sapientiae, n: 5313, vestimenta alba similiter, quod vestimenta sint vera, n: 1073. 4545. 4763. 5248. 5954, et quod album praedicetur de vero, n: 3301. 5319; coronae aureae super capitibus sunt bona sapientiae, aurum enim est bonum amoris, n: 113. 1551. 1552. 5658, et caput est coeleste, ubi sapientia, n: 4938. 4939. 5328. 6436; Sapientes dicuntur qui in tertio seu intimo coelo, ita qui proximi Domino; Intelligentes autem qui in medio seu secundo coelo, ita qui non ita prope sunt Domino. Apud Eundem „Omnes Angeli steterunt circa thronum, et *Seniores*, et quatuor Animalia" Apoc: VII: 11, Seniores etiam pro illis quae sunt sapientiae. Etiam in sequentibus his locis; apud Esaiam „Efferet se puer *contra Senem*, [16] et contemtus contra honoratum" III: 5. Apud Eundem „Regnabit Jehovah Zebaoth in monte Sionis, et in Hierosolyma, et *coram senioribus ejus* gloria" XXIV: 23. Apud Jeremiam „Sacerdotes mei et *Seniores* mei in urbe exspirarunt, quia quaesiverunt cibum sibi, [17] quo recrearent animam suam" Thren: I: 19. Apud Eundem „Rex ejus et *principes ejus* inter gentes, non lex, sedent in terra, conticescunt *Seniores filiae Zionis*" Thren: II: 9. 10. Apud Eundem „Mulieres in Zione compresserunt, virgines in urbibus Jehudae, *Principes* manu eorum suspensi sunt, *facies Senum non honoratae*, Seniores a porta cessarunt" Thren: V: 11. 12. 14. Apud Ezechielem „Miseria super miseriam veniet, et fama super famam erit, ideo quaerent visionem a propheta, sed lex periit a sacerdote, et *consilium a senioribus*; Rex lugebit, et *Princeps* induetur stupore" VII: 26. 27. Apud Sachariam „Adhuc habitabunt *Senes mares* et *mulieres* in plateis Hierosolymae, et vir cujus in manu scipio ejus prae multitudine dierum" VIII: 3. 4. Ut *Seniores* repraesentarent illa quae sapientiae sunt, sumtum est de spiritu Mosis et datum illis, unde

prophetarunt, Num: XI: 16 seq. Seniores in opposito sensu pro illis quae contraria sapientiae sunt, Ezech: VIII: 11. 12.

6525. Et omnes seniores terrae Aegypti, quod significet quae concordarent cum vero, constat ex significatione seniorum, quod sint praecipua sapientiae, ita concordantia cum bono, de qua nunc supra n: 6524, [18] hic concordantia cum vero, nam quae [cum] bono etiam cum vero concordant; et ex significatione terrae Aegypti, quod sit mens naturalis ubi scientifica, de qua n: 5276. 5278. 5280. 5288. 5301, ita quoque ubi vera, nam scientifica sunt vera mentis naturalis, et cum vera sunt, vocantur vera scientifica.

6526. Et tota domus Josephi, quod significet coelestia spiritualis, constat ex repraesentatione Josephi, quod sit coeleste spiritualis, de qua n: 4286. 4592. 4963. 5307. 5331. 5332, inde domus Josephi, sunt coelestia spiritualis.

6527. Et fratres ejus, quod significet vera inde, constat ex repraesentatione filiorum Israëlis, qui hic sunt fratres Josephi, quod sint vera spiritualia, de qua n: 5414. 5879. 5951; quae vera etiam sunt ex Coelesti Interno, quod est Josephus; sed per bonum spirituale, quod est Israël.

6528. Et domus patris sui, quod significet bonum spirituale, constat ex repraesentatione Israëlis, qui hic est pater, quod sit bonum spirituale, de qua n: 3654. 4598. 5801. 5803. 5806. 5812. 5817. 5819. 5826. 5833; inde domus ejus sunt in complexu omnia ea, quae sunt boni illius.

6529. Tantum infantes suos, quod significet innocentiam, constat ex significatione infantum, quod sint innocentia, de qua n: 430. 3183. [19] 5608.

6530. Et greges suos, quod significet charitatem, constat ex significatione gregum, quod sint bonum charitatis interius, de qua n: 5913. 6048.

6531. Et armenta sua, quod significet exercitia charitatis, constat ex significatione armentorum, quod sint bona exteriora charitatis, de qua n: 2566. 5913. 6048, ita exercitia ejus, nam haec sunt bona charitatis exteriora.

6432. Reliquerunt in terra Goschen, quod significet quod illa in scientificorum intimo, constat ex significatione terrae Goschen, quod sit medium seu intimum in naturali, ubi scientifica

Ecclesiae, de qua n: 5910. 6028. 6031. 6068; quod bona innocentiae et charitatis interiora et exteriora, n: 6529. 6530. 6531, [20] essent in intimo illo, significatur per quod reliquerint infantes, greges et armenta in terra Goschen, nam quae relinquuntur alicubi, ibi sunt, ita per *reliquerunt* hic in sensu interno non significatur relinquere, sed esse ibi, nempe in intimo scientificorum Ecclesiae, quod est terra Goschen.

6533. Et ascendit cum eo etiam currus, quod significet doctrinalia, constat ex significatione currus, quod sint doctrinalia, de qua n: 5321. 5945.

6534. Etiam equites, quod significet intellectualia, constat ex significatione equitum, quod sint illa quae sunt intellectus, nam per equum significatur intellectuale, n: 2760. 2761. 2762. 3217. 5321. 6125. Quod Equites sint illa quae sunt intellectus, porro constare potest ex his locis: Apud Mosen „Jehovah solus duxit eum, *equitare fecit eum super excelsis terrae*" Deut: XXXII: 12. 13, ubi de Ecclesia Antiqua; equitare facere super excelsis terrae, pro donare intellectu superiori. Apud Davidem „In honore tuo conscende, *et Equita super verbo veritatis* et mansuetudinis et justitiae, et docebit te mirabilia dextra tua" [Psalm:] XLV: 5, ibi de Domino, equitare super verbo veritatis, pro esse in ipso intellectu veri. Apud Eundem „Cantate Deo, laudate nomen Ipsius, extollite *Equitantem super nubibus*, per Jah, nomen Ipsius" Psalm: LXVIII: 5, ibi etiam de Domino, nubes pro sensu literali Verbi, Praefat: ad Cap: XVIII Genes: n: 4060. 4391. 5922. 6343 f: equitare super illis, pro esse in sensu interno, ubi verum in sua intelligentia et sapientia. Apud Sachariam „In die illo percutiam *omnem Equum* stupore, et *Equitem ejus furore*, et super domum Jehudae aperiam [21] oculum meum; *omnem autem Equum populorum percutiam caecitate*" XII: 4, equus pro intellectuali, et eques pro intellectu; quis non videt quod equus hic non sit equus, nec eques eques, sed quod significetur tale quod percuti potest stupore et furore, tum caecitate, quod id sit intellectus, patet. Quod per equos et equites intellectualia significentur, et in opposito sensu ratiocinia et inde falsa, constare potest apud Johannem „Vidi, cum ecce *Equus albus*, et *sedens super illo* habens arcum, cui data est corona, hic exivit vincens. Tunc exivit *alius*

Equus rufus, et *sedenti super eo* datum est, ut auferret pacem de terra, et ut se invicem occiderent, unde data est illi machaera magna. Vidi, cum ecce *Equus niger*, et *sedens super illo* habens libram in manu; Vidi ergo, cum ecce *Equus pallens* et *sedens super illo*, cui nomen mors" Apoc: VI: 2. 4. [5.] 6. 8; quod hic equi et sedentes super illis significent talia quae sunt intellectus veri, et in opposito sensu quae sunt falsi, a singulis patet; Equus albus et sedens super illo, pro intellectu veri ex Verbo; quod sedens super Equo albo sit Dominus quoad Verbum, apertis verbis dicitur Apoc: XIX: 11. 13. 16; equus rufus et sedens super illo, pro ratiociniis ex cupiditatibus mali, per quae violentia infertur veris ex Verbo: equus niger et sedens super illo, pro exstincto intellectuali veri; et equus pallens et sedens super illo, pro damnatione inde. Equi et Equites in opposito sensu pro intellectu perverso, et inde falsis, etiam apud Ezechielem „Scortata est Ohola sub me, et dilexit amasios suos, praefectos et duces, juvenes desiderii omnes, *Equites equitantes equis*. Soror ejus Oholibah filios Aschuris adamavit, praefectos et duces, propinquos, vestitos ornatu perfecto, *Equites equitantes equis*, juvenes desiderii omnes" XXIII: 5. 6. 12, Ohola pro Ecclesia perversa spirituali, quae est Samaria, et Oholiba pro Ecclesia perversa coelesti, quae est Hierosolyma, Israëlitae enim qui Samariae repraesentabant Ecclesiam spiritualem, Judaei autem qui Hierosolymae repraesentabant Ecclesiam coelestem; Assyrii et filii Aschuris pro ratiocinatione contra vera fidei, n: 1186; equites equitantes equis pro intellectu perverso, unde falsa. Apud Habakuk „Ego excitans Chaldaeos, gentem amaram et praecipitem, pergentem in latitudinem terrae, ad haereditandum habitacula non sua, cujus *leves* sunt prae pardis *Equi*, acuti [22] prae lupis vesperae, *ut diffundant se Equites ejus*, unde *Equites ejus* e longinquo veniunt" I: 6. 8, Chaldaei pro illis qui in falsis sunt, sed in externis apparent esse in veris, ita pro prophanatione veri, Babel autem pro prophanatione boni, n: 1182. 1368; pergere in latitudinem terrae, pro destruere vera, quod latitudo terrae sit verum, videatur n: 3433. 3434. 4482; inde patet, quod Equites, qui se diffundunt, et e longinquo adveniunt, sint illa quae sunt intellectus perversi, ita falsa.

6535. Et erat exercitus gravis valde, quod significet vera et bona conjuncta, constat ex significatione exercitus, quod sint vera et bona, de qua n: 3448, et quia hic vera et bona, quae tam significantur per seniores domus Pharaonis, et seniores terrae Aegypti, quam quae per domum Josephi et fratres ejus, ut et per domum patris eorum, simul erant, ideo per exercitum gravem valde, hic significantur vera et bona conjuncta.

6536. Vers: 10. 11. *Et venerunt ad aream Atad, quae in transitu Jordanis, et planxerunt ibi planctum magnum et gravem valde, et fecit patri suo luctum septem dies. Et vidit habitator terrae Cananaeus luctum in area Atad, et dixerunt, luctus gravis hic Aegyptiis, propterea vocavit nomen ejus Avel Mizraim, qui in transitu Jordanis.* Et venerunt ad aream Atad, significat statum primum: quae in transitu Jordanis, significat qui initiationis in cognitiones boni et veri: et planxerunt ibi planctum magnum et gravem valde, significat dolorem: et fecit patri suo luctum septem dies, significat finem doloris: et vidit habitator terrae Cananaeus luctum gravem in area Atad, significat apperceptionem doloris a bono Ecclesiae: et dixerunt, luctus gravis hic Aegyptiis, significat quod dolor scientificis antequam initiantur in vera Ecclesiae: propterea vocavit nomen ejus Avel Mizraim, significat quale doloris.

6537. Et venerunt ad aream Atad, quod significet statum primum, constat a significatione Areae, quod sit ubi bonum veri, nam in area est frumentum, et per frumentum significatur bonum quod ex vero, n: 5295. 5410, et quoque boni verum, n: 5959; et ex significatione Atad, quod sit quale illius status, sicut per nomina locorum alibi; quod per aream Atad, significetur status, nempe ad bonum et verum Ecclesiae, est quia erat in transitu Jordanis, et per illum significatur initiatio in cognitiones boni et veri, de quo mox sequitur; erat enim Jordanes primus terminus ad terram Canaanem, et quia per terram Canaanem significatur Ecclesia, ita per Jordanem illa quae Ecclesiae prima sunt, seu per quae ad Ecclesiam patet introitus; inde est, quod per aream Atad significetur primus status; et quia significabatur primus status, fiebat luctus juxta aream, quoniam erat cis Jordanem, et ibi in conspectu erat terra Canaan, per quam significatur Ecclesia. Quod area significet ubi bonum veri

et verum boni, ita ubi illa quae sunt Ecclesiae, constat apud Joëlem „Filii Zionis gaudete, et laetamini in Jehova Deo vestro: *plenae sunt areae frumento*, et exundant torcularia mustum et oleum" II: 23. 24, filii Zionis pro veris ex bono; plenae areae frumento pro quod abundent vera et bona. Apud Hoscheam „Ne laeteris Israël, quia scortatus es a sub Deo tuo, dilexisti mercedem meretriciam *super omnibus areis frumenti; area* et torcular non pascet eos, et mustum mentietur illi" IX: 1. 2, scortari et diligere mercedem meretriciam, pro falsificare vera, et falsificata amare; areae frumenti pro veris boni falsificatis. Quia area significabat bonum et quoque verum, ideo tunc cum colligerent ex area, celebrabant festum tabernaculorum, de quo apud Mosen „Festum tabernaculorum facies tibi septem dies, *cum collegeris de area tua*, et de torculari tuo" Deut: XVI: 13, festum tabernaculorum significabat sanctum cultum, ita cultum ex bono et vero, n: 3312. 4391. [23]

6538. Quae in transitu Jordanis, quod significet qui initiationis in cognitiones boni et veri, constat ex significatione Jordanis, quod sit initiatio in cognitiones boni et veri, ita quod sit Regni Domini et Ecclesiae primum quoad introitum, et ultimum quoad exitum, de qua n: 4255; quod fluvii, ubi terminabatur terra Canaan, essent repraesentativi ultimorum in Regno Domini, videatur n: 1585. 4116. 4240; inde est, quod per transitum Jordanis significetur initiatio in cognitiones boni et veri, nam cognitiones boni et veri sunt prima, per quae homo initiatur in illa quae sunt Ecclesiae.

6539. Et planxerunt ibi planctum magnum et gravem valde, quod significet dolorem, constat ex significatione planctus, quod sit dolor, dolor qui hic significatur est dolor initiationis, de qua mox supra n: 6537, nam antequam cognitiones boni et veri, quae sunt initiamenta, implantari possunt in bonum, et sic fieri in bonum Ecclesiae, dolor est, alius enim status inducendus est naturali, et aliter ibi ordinanda sunt scientifica, ita quae homo prius amaverat, destruenda, idcirco etiam tentationes subibit; inde dolor qui repraesentatur per planctum gravem quem planxerunt.

6540. Et fecit patri suo luctum septem dies, quod significet finem doloris, constat ex significatione luctus, quod sit do-

lor antequam cognitiones boni et veri implantatae sunt, de qua nunc supra n: 6539; et ex significatione septem dierum, quod sit integra periodus a principio ad finem, de qua n: 728. 2044. 3845. 6508, hic itaque finis, quia peractis illis diebus, transibant Jordanem.

6541. Et vidit habitator terrae Cananaeus luctum gravem in area Atad, quod significet apperceptionem doloris a bono Ecclesiae, constat ex significatione videre, quod sit apperceptio, de qua n: 2150. 3764. 4723. 5400; ex significatione habitatoris, quod sit bonum, de qua n: 2268. 2451. 2712. 3613; ex significatione terrae, hic Canaanis, ubi habitator Cananaeus, quod sit Ecclesia, de qua n: 1413. 1437. 1607. 1866. 3038. 3481. [24] 3705; a significatione luctus, quod sit dolor, de qua mox supra, n: 6539. 6540; et a significatione areae Atad, quod sit status primus, nempe initiationis, de qua n: 6537. 6538; inde patet, quod per vidit habitator terrae Cananaeus luctum gravem in area Atad, significetur apperceptio doloris a bono Ecclesiae.

6542. Et dixerunt, luctus gravis hic Aegyptiis, quod significet quod dolor scientificis antequam initiantur in vera Ecclesiae, constat ex illis quae supra n: 6539, dicta sunt, ubi haec explicata.

6543. Propterea vocarunt nomen ejus Avel Mizraim, quod significet quale doloris, constat ex significatione Nominis et vocare nomen, quod sit quale, de qua n: 144. 145. 1754. 1896. 2009. 2724. 3006. 3421, et quod antiquitus nomina inderentur, quae significabant res et status, ita quale, n: 1946. 3422. 4298; ideo ipsum quale significatur per Avel Mizraim, per quod nomen in Lingua originali significatur *Luctus Aegyptiorum.*

6544. Vers: 12. 13. *Et fecerunt filii ejus ita, quemadmodum praeceperat illis. Et tulerunt illum filii ejus terram Canaanem, et sepeliverunt illum in spelunca Agri Machpelah, quam emerat Abraham cum agro ad possessionem sepulchri ex Ephrone Chittaeo, super facies Mamre.* Et fecerunt filii ejus ita, quemadmodum praeceperat illis, significat effectum secundum influxum: et tulerunt illum filii ejus terram Canaanem, significat quod Ecclesia illuc translata: et sepeliverunt illum, significat resuscitationem ibi: in spelunca agri Machpelah, signi-

ficat regenerationis principium: quam emerat Abraham cum agro, significat quos redemerat Dominus: ad possessionem sepulchri ex Ephrone Chittaeo, significat illos qui verum et bonum fidei recipiunt, et se regenerari patiuntur: super facies Mamre, significat quale et quantum.

6545. Et fecerunt filii ejus ita quemadmodum praeceperat illis, quod significet effectum secundum influxum, constat ex significatione fecerunt, quod sit effectus; et ex significatione praecipere, quod sit influxus, de qua n: 5486. 5732.

6546. Et tulerunt illum filii ejus terram Canaanem, quod significet quod Ecclesia illuc translata, constat ex significatione tulerunt, quod sit translata esse, nempe Ecclesia, nam haec per terram Canaanem significatur, n: 1413. 1437. 1607. 1866. 3038. 3481. 3705: cur Ecclesia illuc translata est, videatur supra n: 6516.

6547. Et sepeliverunt illum, quod significet resuscitationem ibi, constat ex significatione sepeliri, quod sit resuscitatio, de qua n: 5551. 6516.

6548. In spelunca agri Machpelah, quod significet regenerationis principium, constat ex significatione speluncae agri Machpelah, quod sit fides in obscuro, de qua n: 2935, et quod Machpelah sit regeneratio, n: 2970, ita regenerationis principium, nam tunc fides in obscuro est.

6549. Quam emerat Abraham cum agro, quod significet quos redemerat Dominus, constat ex significatione emere, quod sit redemptio, de qua n: 6458. [25] 6461; et ex repraesentatione Abrahami, quod sit Dominus, de qua n: 1965. 1989. 2011. 2172. 2198. 3245. 3305 f. 3439. 3703. 4615. 6098. 6185. 6276; et ex significatione agri, quod sit Ecclesia, de qua n: 2971. 3766; inde patet, quod per quam emerat Abraham cum agro, significentur illi qui ab Ecclesia, quos redemerat Dominus.

6550. Ad possessionem sepulchri ex Ephrone Chittaeo, quod significet illos qui verum et bonum fidei recipiunt, et se regenerari patiuntur, constat ex significatione sepulchri, quod sit regeneratio, de qua n: 2916. 2917. 5551. 6459; et ex repraesentatione Ephronis Chittaei, quod sint apud quos bonum et verum recipi possunt, de qua n: 6458.

6551. Super facies Mamre, quod significet quale et quan-

tum, constat ex significatione Mamre, quod sit quale et quantum rei cui adjungitur, de qua n: 2970. 2980. 4613. 6456. [26] Quod peculiare aliquod significetur per quod Abraham emerat speluncam agri Machpelah, quae coram Mamre, ab Ephrone Chittaeo, constare potest ex eo, quod id tam saepe repetatur, ut Genes: XXIII „Constitit *ager Ephronis, qui in Machpelah, quae coram Mamre*" Vers: 17: porro „Post ita, sepelivit Abraham Saram uxorem suam *ad speluncam agri Machpelah super facies Mamre;*" ac iterum „Constitit *ager et spelunca*, quae in illo, Abrahamo ad *possessionem sepulchri, ex filiis Chethi*" ibid: Vers: 19. 20. Tum Genes: XXV „Sepeliverunt Abrahamum *ad speluncam Machpelae, ad agrum Ephronis*, filii Zochar, *Chittaei, quae super facies Mamre; agrum quem emit Abraham a filiis Chethi*" Vers: 9. 10. Genes: XLIX „Sepelite me *in spelunca, quae in agro Machpelah, quae super facies Mamre*, in terra Canaan, *quam emit Abraham cum agro ex Ephrone Chittaeo*, ad possessionem sepulchri. *Emtio agri et speluncae*, quae in illo, *ex filiis Chethi*" Vers: 30. 31 [. 32]; et in hoc Capite „Sepeliverunt illum *in spelunca Agri Machpelah, quam emerat Abraham cum agro* ad possessionem sepulchri *ex Ephrone Chittaeo*, super facies Mamre." Peculiare, quod significet frequens haec repetitio, paene similibus verbis, est quia per Abrahamum, Jischakum, et Jacobum, repraesentatur Dominus; per sepulturam illorum, resurrectio et resuscitatio; per speluncam agri Machpelae, regenerationis principium; per Ephronem Chittaeum, illi qui bonum fidei recipiunt, et se regenerari patiuntur; et per filios Chethi, Ecclesia spiritualis; ita quia illa in summa significant instaurationem Ecclesiae spiritualis, ideo toties eadem repetuntur.

6552. Vers: 14. *Et reversus Joseph Aegyptum, is et fratres ejus, et omnes ascendentes cum eo ad sepeliendum patrem ejus, postquam sepelire eum patrem suum.* Et reversus Joseph Aegyptum, is et fratres ejus, significat vitam Coelestis Interni et verorum fidei in scientificis: et omnes ascendentes cum eo ad sepeliendum patrem ejus, significat omnia quae ad regenerationem conducunt: postquam sepelire eum patrem suum, significat ad resuscitandam Ecclesiam.

6553. Et reversus Joseph Aegyptum, is et fratres ejus,

quod significet vitam Coelestis Interni, et Verorum fidei in scientificis, constat ex significatione reverti, quod sit vivere, de qua n: 5614. 6518; ex repraesentatione Josephi, quod sit Coeleste Internum, de qua n: 5869. 5877. 6177; ex repraesentatione filiorum Israëlis, qui hic fratres ejus, quod sint vera fidei in complexu, de qua n: 5414. 5879. 5951; et ex significatione Aegypti, quod sint scientifica, de qua n: 1164. 1165. 1186. 1462. 4749. 4964. 4966. De vita Coelestis Interni, et Verorum fidei in scientificis, actum est in Capitibus, ubi agitur de Josepho, quod factus dominus terrae Aegypti, et praefectus domui Pharaonis; et dein ubi agitur de profectione filiorum Jacobi ad Josephum, deque adventu illorum ac Jacobi patris eorum ad Aegyptum, de quibus n: 6004. 6023. 6071. 6052. 6077.

6554. Et omnes ascendentes cum eo ad sepeliendum patrem ejus, quod significet omnia quae ad regenerationem conducunt, constat ex significatione sepeliri, quod sit regeneratio et resurrectio, de qua n: 2916. 2917. 4621. 6516; et quod sit exsuscitatio et instauratio Ecclesiae, n: 5551. 6516; omnia quae conducunt ad illam, significantur per omnes ascendentes cum eo, erant enim tota domus Josephi, tum domus patris ejus, ut et seniores domus Pharaonis, ac seniores terrae Aegypti; et per domum Josephi significantur coelestia spiritualis, n: 6526; per domum patris ejus omnia illa quae sunt boni spiritualis, n: 6528; per seniores domus Pharaonis, quae concordarent cum bono, n: 6524; et per seniores terrae Aegypti, quae concordarent cum vero, n: 6525; inde patet, quod per omnes ascendentes cum eo ad sepeliendum, significentur omnia, quae conducunt ad regenerationem. Quod sepelire significet tum Regenerationem, tum Resurrectionem, et quoque Exsuscitationem et Instaurationem Ecclesiae, est quia significationes illae simile involvunt; Regeneratio enim est Resurrectio, nam cum homo regeneratur, fit ille a mortuo vivus, ita resurgit; similiter cum exsuscitatur et instauratur Ecclesia apud hominem, nam hoc fit per regenerationem, ita per Resurrectionem a morte ad vitam.

6555. Postquam sepelire eum patrem suum, quod significet ad resuscitandam Ecclesiam, constat ex significatione sepeliri, quod sit resuscitatio Ecclesiae, de qua mox supra n: 6554; et

ex repraesentatione Israëlis, quod sit Ecclesia spiritualis, de qua n: 4286. 6426. 6514. 6517. 6522.

6556. Vers: 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. *Et viderunt fratres Josephi quod mortuus pater illorum, et dixerunt, fortassis odio habebit nos Joseph, et reducendo reducet nobis omne malum, quod retribuimus illi. Et praeceperunt ad Josephum, dicendo, pater tuus praecepit ante mori eum, dicendo. Ita dicatis ad Josephum, quaeso remitte quaeso praevaricationem fratrum tuorum, et peccatum illorum, quia malum retribuerunt tibi; et nunc remitte quaeso praevaricationem servorum [Dei] patris tui: et flevit Joseph in loqui illos ad eum. Et iverunt etiam fratres ejus, et ceciderunt coram eo, et dixerunt, ecce nos tibi ad servos. Et dixit ad illos Joseph, ne timeatis, quia num pro Deo ego. Et vos cogitastis super me malum, Deus cogitavit id ad bonum, propter facere secundum diem hunc, ad vivificandum populum magnum. Et nunc ne timeatis, ego sustentabo vos, et infantes vestros; et consolatus illos, et loquutus super cor illorum.* Et viderunt fratres Josephi, quod mortuus pater illorum, significat [abalienata a vero et bono, et] apperceptionem quod exsuscitata Ecclesia: et dixerunt, fortassis odio habebit nos Joseph, significat quod Internum rejecerint: et reducendo reducet nobis omne malum quod retribuimus illi, significat quod poena ideo immineat secundum meritum: et praeceperunt ad Josephum, dicendo, significat influxum ab Interno et inde perceptionem: pater tuus praecepit ante mori eum, dicendo, significat quod ab Ecclesiae praecepto: ita dicatis ad Josephum, significat perceptionem ab Interno quid faciendum: quaeso remitte quaeso praevaricationem fratrum tuorum, et peccatum illorum, significat supplicationem et poenitentiam: quia malum retribuerunt tibi, significat quod aversi fuerint a bono et vero quae influunt: et nunc quaeso remitte quaeso praevaricationem servorum Dei patris tui, significat poenitentiam et agnitionem Divinorum Ecclesiae: et flevit Joseph in loqui illos ad eum, significat receptionem ex amore: et iverunt etiam fratres ejus, et ceciderunt coram eo, significat submissionem illorum quae in naturali sub Interno: et dixerunt, ecce nos tibi ad servos, significat quod sui juris non

erunt: et dixit ad illos Joseph, ne timeatis, significat recreationem ab Interno: quia num pro Deo ego, significat quod Deus providebit: et vos cogitastis super me malum, significat quod quae abalienata nihil nisi malum intendant: Deus cogitavit id in bonum, significat quod Divinum vertat id in bonum: propter facere secundum diem hunc, significat quod id secundum ordinem ab aeterno: ad vivificandum populum magnum, significat quod inde vita illis qui in veris boni: et nunc ne timeatis, significat ne solliciti sint: ego sustentabo vos et infantes vestros, significat quod victuri per Internum a Divino per verum quod intellectus et bonum quod voluntatis: et consolatus illos, significat [27] spem: et loquutus super cor illorum, significat fiduciam.

6557. Et viderunt fratres Josephi, quod mortuus pater illorum, quod significet abalienata a vero et bono, et apperceptionem quod exsuscitata Ecclesia, constat ex significatione videre, quod sit intelligere et appercipere, de qua n: 2150. 2325. 2807. 3764. 3863. 4403 ad 4421. 4567. 4723. 5400; ex repraesentatione filiorum Jacobi, qui hic fratres, quod sint abalienata a vero et bono; cum enim occidere voluerunt, et vendiderunt Josephum, tunc repraesentabant abalienata a vero et bono; quod ille status hic significatur, patet a verbis eorum „Dixerunt, fortassis odio habebit nos Joseph, et reducendo reducet nobis omne malum quod retribuimus illi;" inde est quod oppositum tunc repraesentaverint; ex significatione mortuus esse, quod sit resuscitata esse, nempe Ecclesia, de qua n: 3326. 3498. 3505. 4618. 4621. 6036. 6221; [28] et ex repraesentatione Israëlis qui hic est pater, quod sit Ecclesia, de qua n: 4286. 6426; inde patet, quod per viderunt fratres Josephi quod mortuus pater illorum, significetur apperceptio ab abalienatis a vero et bono quod exsuscitata Ecclesia.

6558. Et dixerunt, fortassis odio habebit nos Joseph, quod significet quod Internum rejecerint, constat ex significatione odio habere, quod sit aversari et rejicere; et ex repraesentatione Josephi, quod sit Internum, de qua n: 6177. 6224, non quod Joseph rejecerit, sed quod illi Josephum; quod tribuatur Interno, quod Joseph, quod est Externi, quod fratres ejus, est secundum apparentiam, sicut quod tribuatur Jehovae odium et vindicta, quae tamen sunt apud hominem.

6559. Et reducendo reducet nobis omne malum quod retribuimus illi, quod significet quod poena ideo immineat secundum meritum, constat ex significatione reducere malum quod retribuimus illi, quod sit poena secundum meritum, nam reductio mali quod fit alicui, est poena ex merito. Quomodo se habet cum reductione mali, seu poenis in mundo spirituali, dicendum, quia inde patet quis sensus internus horum verborum est; si mali spiritus aliquod malum faciunt in mundo spirituum supra quod imbuerunt ex vita in mundo, adsunt illico punitores et illos castigant, prorsus secundum gradum quem transcendunt; nam lex in altera vita est, quod nullus pejor fieri debeat quam in mundo fuerat; qui puniuntur, prorsus nesciunt unde castigatores illi sciunt quod malum sit supra quod imbuerunt, sed informantur quod talis ordo in altera vita sit, quod ipsum malum secum poenam habeat, sic ut malum facti prorsus conjunctum sit cum malo poenae, hoc est, ut in ipso malo sit poena ejus; ac ideo, quod secundum ordinem sit, quod retributores illico adsint; ita fit cum spiritus mali in mundo spirituum malum faciunt, at in inferno suo castigat unus alterum, secundum malum quod actualiter imbuerant in mundo, nam id malum secum ferunt in alteram vitam: ex his constare potest, quomodo intelligendum, quod poena ideo immineat secundum meritum, quod significatur per quod reducendo reducet nobis omne malum quod retribuimus illi. Quod autem attinet bonos spiritus, illi si forte male loquuntur aut malum faciunt, non puniuntur, sed condonantur, et quoque excusantur, nam finis eorum non est male loqui aut malum facere, ac sciunt quod talia sint excitata apud illos ab inferno, sic quod non prodierint ex sua culpa; hoc etiam appercipitur a renisu illorum, et postea a dolore.

6560. Et praeceperunt ad Josephum, dicendo, quod significet influxum ab Interno, et inde perceptionem, constat a significatione praecipere, quod sit influxus, de qua n: 5486. 5732; a repraesentatione Josephi, quod sit Internum, de qua n: 6177. 6224; et a significatione dicere, quod sit perceptio, de qua saepius; inde per praeceperunt ad Josephum, dicendo, significatur influxus ab Interno et inde perceptio. Quod praeceperunt ad Josephum sit Influxus ab Interno in Externum, non autem ab Externo in Internum, est quia omnis Influxus ve-

nit ab Interiori, et nusquam aliquis ab Exteriori, videatur n: 6322.

6561. Pater tuus [29] praecepit ante mori eum, dicendo, quod significet quod ab Ecclesiae praecepto, constat ex repraesentatione Israëlis, qui hic pater, quod sit Ecclesia, de qua n: 4286. 6426; et ex significatione praecipere, quod sit influxus, de qua mox supra n: 6560, hic praeceptum, quia Ecclesiae, ita a Divino; et ex significatione ante mori eum, quod sit cum adhuc Ecclesia esset. Quod sit ab Ecclesiae praecepto, quod remittendum fratri suo seu proximo, constat a Domini verbis apud Matthaeum „Petrus dixit ad Jesum, Domine, quoties peccabit in me frater meus, et remittere debeo illi, usque ad septies: dixit illi Jesus, non dico hoc usque ad septies, sed usque ad septuagies septies" XVIII: 21. 22: sed apud gentem Judaicam insitum erat, quod nusquam remitterent, sed pro hoste haberent quemcunque qui illos aliquo modo laeserat, et tunc putabant sibi licere odio illum habere, et tractare ad libitum, atque occidere; causa erat, quia gens illa erat in solis externis absque interno, ita in nullo Ecclesiae internae praecepto; inde erat, quod fratres Josephi tantum timerent, quod Joseph illos odio haberet, et illis malum retribueret.

6562. Ita dicatis ad Josephum, quod significet perceptionem ab Interno quid faciendum, constat a significatione dicere in historicis Verbi, quod sit perceptio, de qua n: 1791. 1815. 1819. 1822. 1898. 1919. 2080. 2619. 2862. 3509. 5687. 5743; et ex repraesentatione Josephi, quod sit Internum, de qua n: 6177. 6224. 6560; quod sit perceptio *quid faciendum*, significatur per *ita* dicatis.

6563. Quaeso remitte quaeso praevaricationem fratrum tuorum et peccatum illorum, quod significet supplicationem et poenitentiam, constat ex significatione quaeso remitte quaeso, quod sit supplicatio; et quod etiam poenitentia, patet a confessione quod praevaricati sint et peccaverint, et quoque a sequentibus, quod se obtulerint Josepho ad servos. Dicitur praevaricatio et quoque peccatum ob conjugium veri et boni in singulis Verbi, nam praevaricatio significat malum contra verum, quod minus est, et peccatum malum contra bonum, quod majus est; inde est, quod utrumque dicatur, ut quoque alibi, ut Genes: Cap: XXXI

„Jacob dixit Labani, quae *Praevaricatio mea,* quod *Peccatum meum*, quod insequutus es post me" Vers: 36. Apud Esaiam „Delebo sicut nubem *Praevaricationes tuas*, et sicut nubem *Peccata tua*" XLIV: 22. Apud Ezechielem „*In Praevaricatione sua,* quam *praevaricatus* est, et *in Peccato suo* quod peccavit, in illis morietur" XVIII: 24. Apud Eundem, „Dum revelantur *Praevaricationes vestrae*, ut appareant *Peccata vestra* in omnibus operibus vestris" XXI: 29. Apud Davidem „Beatus cui remissa *Praevaricatio*, tectum *Peccatum*" Psalm: XXXII: 1.

6564. Quia malum retribuerunt tibi, quod significet quod aversi fuerint a bono et vero quae influunt, constat a significatione mali, quod sit aversio, de qua n: 6746; quod sit a bono et vero quae influunt, significatur per retribuerunt *tibi*, nam Josephus est Coeleste ac Bonum internum, n: 5805. 5826. 5827. 5869. 5877, per quod bonum et verum influunt a Domino. Cum influxu per Internum ita se habet, Dominus continue influit per Internum hominis cum bono et vero, bonum dat vitam et ejus calorem, qui est amor, verum autem dat illustrationem et ejus lucem, quae est fides; sed influxus ille apud malos cum pergit ulterius, nempe in exteriora, resistitur et rejicitur, aut pervertitur vel suffocatur, et tunc secundum rejectionem, perversionem aut suffocationem, clauduntur interiora, patente solum introitu hic et ibi sicut per rimas circumcirca; inde homini remanet facultas cogitandi et volendi, sed contra verum et bonum; illa occlusio penetrat versus exteriora magis et magis secundum vitam mali, et inde persuasionem falsi, et hoc usque ad sensuale, ex quo dein cogitatio; voluptates et appetitiones tunc auferunt omne: in tali statu sunt illi qui in infernis; nam malis, qui in alteram vitam veniunt, auferuntur intuitiones honesti et boni propter lucra, honores et famam; et tunc in sensuali sunt.

6565. Et nunc quaeso remitte quaeso praevaricationem servorum Dei patris tui, quod significet poenitentiam et agnitionem Divinorum Ecclesiae, constat ex significatione quaeso remitte quaeso praevaricationem, quod sit confessio quod praevaricati, et poenitentia: ex significatione servorum Dei patris tui, quod sit agnitio Divinorum Ecclesiae, nam per quod se dicant

servos Dei patris ejus, agnoscunt quod serviant Deo Ecclesiae, proinde agnoscunt Divina ibi, per Israëlem enim, qui hic est pater, significatur Ecclesia, n: 4286. 6426.

6666. Et flevit Joseph, in loqui illos ad eum, quod significet receptionem ex amore, constat ex significatione flere, quod sit significativum et tristitiae et amoris, de qua n: 3801. 5480. 5873. [30] 5927. 5930; ex repraesentatione Josephi, quod sit Coeleste internum, de qua n: 5805. 5826. 5827. 5869. 5877. 6177. 6224; et ex significatione loqui, quod sit influxus, et inde receptio, de qua n: 5797; influxus enim est a Coelesti Interno, quod Joseph, et receptio a Veris in naturali, quae sunt fratres ejus; inde patet, quod per flevit Joseph in loqui illos ad eum, significetur receptio ex amore.

6667. Et iverunt etiam fratres ejus, et ceciderunt coram eo, quod significet submissionem illorum quae in naturali, constat ex repraesentatione filiorum Israëlis, qui hic fratres, quod sint vera spiritualia in naturali, de qua n: 5414. 5879. 5951; ex significatione ceciderunt coram eo, quod sit submissio; et ex repraesentatione Josephi, quod sit Internum, de qua n: 6499; inde patet, quod per iverunt fratres ejus et ceciderunt coram eo, significetur submissio illorum quae in naturali sub Interno. Agitur in hoc Capite de instauratione Ecclesiae spiritualis, et hic nunc de submissione illorum quae in naturali sub Interno, de qua submissione sciendum, quod Ecclesia spiritualis nullatenus apud aliquem possit institui, nisi illa quae sunt Naturalis seu Externi hominis submissa fuerint Spirituali seu Interno homini; quamdiu solum verum quod fidei praedominatur apud hominem, et non bonum quod est charitatis, tamdiu Naturalis seu Externus homo non submissus est Spirituali seu Interno; ast ut primum bonum dominatur, submittit se Naturalis seu Externus homo, et tunc fit homo ille Ecclesia spiritualis. Quod ita sit, cognoscitur ex eo, quod ex affectione faciat quod verum docet, et quod non contra affectionem illam, utcunque naturale cupit; ipsa affectio et inde ratio dominatur, et subjugat in naturali jucunda amoris sui et mundi, ut et fallacias quae impleverunt scientifica ibi; et tandem ita, ut inter amoena ejus sit subjugatio illa, et tunc naturale quiescit, et dein concordat, et cum concordat tunc participat de amoeno Interni. Ex his sciri potest,

quid intelligitur per submissionem illorum quae in naturali sub Interno, quae significantur per iverunt fratres ejus, et ceciderunt coram eo, et dixerunt, ecce nos tibi ad servos.

6568. *Et dixerunt, ecce nos tibi ad servos*, quod significet quod sui juris non erunt, constat ex significatione servorum, quod sit esse absque libero ex proprio, ita non sui juris et arbitrii, de qua n: 5760. 5763.

6569. Et dixit ad illos Joseph, ne timeatis, quod significet recreationem ab Interno, constat ex repraesentatione Josephi, quod sit Internum, de qua supra n: 6499; et ex significatione ne timeatis, quod sit non solliciti essent, et quia [a] sollicitudine illa in nunc sequentibus Joseph illos abducit, consolando illos, et loquendo super cor illorum, ideo hic per ne timeatis significatur recreatio.

6570. Quia num pro Deo ego, quod significet quod Deus providebit, constat ex significatione num pro Deo ego, quod sit non esse Deum, sed quod Deus providebit.

6571. Et vos cogitastis super me malum, quod significet quod quae abalienata nihil nisi malum intendant, constat ex repraesentatione filiorum Jacobi, qui hic sunt vos, quod sint abalienata a vero et bono, de qua supra n: 6557; cum enim malum cogitarunt contra Josephum, tunc repraesentabant abalienata; ex significatione cogitare super me malum, quod sit malum intendere, nam malum quod cogitatur contra aliquem, hoc intenditur; et quia abalienata non possunt intendere bonum, ideo dicitur, quod *nihil nisi* malum intendant. Cum hoc, quod abalienata a vero et bono nihil nisi malum intendant, ita se habet; homo qui abalienatus est a bono et vero, nihil nisi malum intendit, nam bonum non potest; et quod intendit, hoc regnat apud illum, ac ideo inest omnibus ejus cogitationibus, et quoque minimis ejus, nam Intentio seu Finis est ipsissima vita hominis, est enim finis amor ejus, et amor est vita; et quod magis, homo est prorsus qualis est finis apud illum, et quoque ejus effigies est talis in luce coeli; et quod forte miraberis, qualis est effigies ejus in communi, talis est effigies minimorum ejus voluntatis; ita homo totus quantus est finis suus; inde constare potest, quod homo, qui est finis malus, nequaquam possit esse inter illos qui sunt fines boni, ita qui in inferno, nequaquam in

coelo; fines enim confligunt, et fines boni vincunt quia a Divino: exinde etiam constare potest, quod non vere cogitent, qui credunt in coelum posse intromitti unumquemvis ex sola misericordia; si enim qui finis malus est, in coelum venit, laborat vita ejus sicut qui in agone mortis jacet, et dire cruciatur, praeter quod in luce coeli ibi appareat ut diabolus: inde patet, quod qui abalienati sunt a vero et bono, non possint nisi quam malum cogitare; et quod hoc sit in minimis eorum cogitationis et voluntatis, manifeste patet ex sphaera, quae exhalatur ex talibus e longinquo, percipitur enim ex illa quales sunt; sphaera illa est sicut evaporatio spiritualis e singulis vitae.

6572. Deus cogitavit id in bonum, quod significet quod Divinum vertat id in bonum, constat ex significatione cogitare in bonum, quod sit intendere, de qua mox supra n: 6571, sed quia dicitur de Deo, est vertere in bonum, nam quod Deus intendit, hoc facit.

6573. Propter facere secundum diem hunc, quod sit quod id secundum ordinem ab aeterno, constat ex significatione facere, cum dicitur de Divino, quod sit ordo, nam quicquid Divinum facit, est ordo; et ex significatione secundum diem hunc, quod sit ab aeterno, de qua n: 2838. 3998. [31] 4304. 6165. 6298.

6574. Ad vivificandum populum magnum, quod significet quod inde vita illis qui in veris boni, constat ex significatione vivificare, quod sit vita spiritualis, de qua n: 5890. 6032; ex significatione populi, quod sit verum, de qua n: 1259. 1260. 3295. 3581. 4619, hic verum boni, quia dicitur populus magnus, verum enim quod ex bono magnum est prae vero ex quo bonum, nam illud verum, nempe quod ex bono, est in se bonum, quia formatum a bono, ita bonum in sua forma. Verba, quae Josephus ad fratres suos nunc loquutus est, nempe „*Vos cogitastis super me malum, Deus cogitavit id in bonum, propter facere secundum diem hunc, ad vivificandum populum magnum;*“ sunt verba, quae arcanum coeli in se continent; arcanum quod continent, est hoc; Dominus permittit infernalibus in altera vita, ut inducant bonos in tentationem, consequenter ut infundant falsa et mala; quod etiam faciunt omni conatu, nam cum id faciunt, in sua vita et vitae jucundo sunt; sed tunc Domi-

nus Ipse immediate et per angelos mediate apud illos qui in tentatione sunt, adest, ac resistit, falsa spirituum infernalium refellendo, et malum illorum dissipando, inde recreatio, spes, et victoria; sic vera fidei et bona charitatis, apud illos qui in veris boni sunt, interius implantantur, et fortius confirmantur; hoc medium est per quod vita spiritualis donatur: ex his constare potest, quid in sensu interno significatur per verba in hoc Versu, quod nempe, qui abalienati sunt a vero et bono, ut sunt spiritus qui inducunt tentationes, nihil nisi malum intendant, sed quod Divinum vertat id in bonum, et hoc secundum ordinem ab aeterno, unde vita illis qui in veris boni: sciendum enim, quod infernales spiritus, quibus permittitur bonos ita lacessere, intendant nihil nisi malum, volunt enim omni vi illos e coelo detrahere, et in infernum conjicere, perdere enim aliquem quoad animam, ita in aeternum, est ipsum jucundum vitae eorum; ast ne hilum illis permittitur a Domino, nisi ob finem ut inde eveniat bonum, nempe ut conformetur et corroboretur apud illos, qui in tentatione sunt, verum et bonum: in universo mundo spirituali, regnat finis qui procedit a Domino, qui est, ut nihil prorsus, ne quidem minimum existat, nisi ut bonum inde eveniat; inde Regnum Domini vocatur Regnum finium et usuum.

6575. Et nunc ne timeatis, quod significet ne solliciti sint, constat absque explicatione.

6576. Ego sustentabo vos et infantes vestros, quod significet quod victuri per Internum a Divino per verum quod intellectus, et bonum quod voluntatis, constat ex significatione sustentare, quod sit influxus boni et veri, de qua n: 6106, ita vita per verum et bonum; ex repraesentatione Josephi, quod sit Internum, de qua n: 6499; at quia vita spiritualis non est ab Interno, sed per Internum a Domino, dicitur per Internum a Divino; per vos et infantes, significantur vera spiritualia in naturali, et innocentia quae in illis, quae victura per internum a Divino verum et bonum: quod sustentare sit vita per verum et bonum, est quia cibus spiritualis est scientia, intelligentia et sapientia, ita verum et bonum, videatur n: 56 ad 58. 681. 4792. 5293. 5340. 5342. 5576. 5579. Quod dicatur verum *quod intellectus*, et bonum *quod voluntatis*, est quia omne verum per-

tinet ad intellectum, et bonum ad voluntatem, intellectus enim est receptaculum veri, et voluntas est receptaculum boni.

6577. Et consolatus illos, quod significet spem, constat ex significatione consolari, quod sit sedare irrequiem animi spe, de qua n: 3610.

6578. Et loquutus super cor illorum, quod significet fiduciam, constat ex significatione loqui super cor, quod sit dare fiduciam, nempe ne aliquid mali illis eveniat; loqui enim est influxus, n: 2951. 5481. [32] 5797, et cor voluntas, n: 2930. 3888, ita loqui super cor, est influxus in voluntatem, et inde fiducia. Ex his etiam patet, quod conjugium veri quod est intellectus, et boni quod est voluntatis, sit in sigulis Verbi, nam consolari praedicatur de intellectu, et loqui super cor de voluntate; ideo etiam consolatus illos significat spem, nam haec est intellectus per verum, et loquutus super cor fiduciam, nam haec est voluntatis per bonum; genuina enim fiducia non dari potest apud alios, quàm qui in bono charitatis sunt, et genuina spes non apud alios quam qui in bono fidei.

6579. Vers: 22. 23. *Et habitavit Joseph in Aegypto, is et domus [patris] ejus; et vixit Joseph centum et decem annos. Et vidit Joseph Ephraimo filios tertianorum; etiam filii Machir, filii Menaschis nati super genubus Josephi.* Et habitavit Joseph in Aegypto, significat vitam scientificorum Ecclesiae ab Interno: is et domus [patris] ejus, significat ab Interno et ejus bono: et vixit Joseph centum et decem annos, significat statum et quale: et vidit Joseph Ephraimo filios tertianorum, significat Ecclesiae instaurationem quoad intellectuale, et ejus derivativa: etiam filii Machir filii Menaschis, significat et quoad voluntarium et ejus derivativa: nati super genubus Josephi, significat quod a bono conjuncto cum vero ab Interno.

6580. Et habitavit Joseph in Aegypto, quod significet vitam scientificorum Ecclesiae ab Interno, constat ex significatione habitare, quod sit vita, de qua n: 1293. 3384. 3613. 4451. 6051; ex repraesentatione Josephi, quod sit internum, de qua supra n: 6499; et ex significatione Aegypti, quod sint scientifica Ecclesiae, de qua n: 4749. 4964. 4966. 6004. Agitur in praecedentibus hujus Capitis de Ecclesia spirituali instauranda;

et postquam Externum seu Naturale prorsus submissum est Interno seu Spirituali, quod significatur per quod fratres Josephi ceciderint coram Josepho, et se obtulerint ei in servos, agitur nunc de Ecclesia illa instaurata, quae describitur in his Versibus per quod Josephus habitaverit in Aegypto, et quod nati sint filii ex Ephraimo, ac ex Machir filio Menaschis. Apud hominem, qui est Ecclesia spiritualis, est vita ab Interno in scientificis Ecclesiae; nam scientifica apud illum subordinata sunt, et in talem ordinem redacta, ut influxum boni et veri recipiant, sic ut sint receptacula influxus ab Interno. Aliter apud illos, qui non sunt Ecclesia, scientifica apud illos ita disposita sunt, quod confirmantia verum et bonum rejecta sint ad latera, ita remota longe a luce coeli; inde quae manent sunt recipientia falsi et mali.

6581. Is et domus [patris] ejus, quod significet ab Interno et ejus bono, constat ex repraesentatione Josephi, qui hic est Is, quod sit Internum, de qua n: 6499; et ex significatione domus, quod sit bonum, de qua n: 2048. 3720. 4982.

6582. Vixit Joseph centum et decem annos, quod significet statum et quale, constat ex significatione numerorum in Verbo, quod sint res, de qua n: 575. 1963. 1988. 2075. 2252. 3252 4264. 5265. [6174.] 6175; et quidem rei status et quale, n: 4670: ita quoque numerus centum et decem, qui continet statum et quale vitae scientificorum ab Interno.

6583. Et vidit Joseph Ephraimo filios tertianorum, quod significet Ecclesiae instaurationem quoad intellectuale et ejus derivativa, constat ex repraesentatione Ephraimi, quod sit intellectuale Ecclesiae, de qua n: 3969. 5354. 6222. 6234. 6238. 6267; et ex significatione filiorum tertianorum, quod sint derivativa, nam filii et filiorum filii, quia descendunt a parente, sunt derivativa illius rei, quae per parentem repraesentatur; instauratio Ecclesiae ab Interno, hoc est, per Internum a Domino, significatur per vidit Joseph. Quid Intellectuale Ecclesiae, quod per Ephraimum repraesentatur, videatur n: 6222.

6584. Etiam filii Machir filii Menaschis, quod significet et quoad voluntarium et ejus derivativa, constat ex repraesentatione Menaschis, quod sit voluntarium Ecclesiae, de qua n: 5351. 5353. 5354. 6222. 6238. 6267. 6296; et ex significatione filiorum et filiorum filiorum ejus, qui hic sunt filii Machir, quod

sint derivativa, ut supra n: 6583: derivativa voluntarii Ecclesiae, quae per filios Machir significantur, sunt bona conjuncta cum veris, ita quoque vera ex bono, nam vera quae derivata sunt ex bono, sunt formae boni: quod filii Machir, sint bona conjuncta cum veris, significatur per quod nati sint super genubus Josephi, ut mox sequitur; et quod sint vera ex bono, in Libro Judicum „*Ex Machir* descendent Legislatores" V: 14, legislatores pro veris ex bono, n: 6372.

6585. Nati super genubus Josephi, quod significet quod a bono conjuncto cum vero ab Interno, constat ex significatione parere super genubus, quod sit conjunctio boni et veri, de qua n: 3915; et ex repraesentatione Josephi, quod sit Internum, de qua n: 6499. Quod filii Machir dicantur nati super genubus Josephi, involvit quod Joseph agnoverit illos pro suis, nam cum ita dicitur, significatur quod adoptentur sicut proprii; ut constare potest ex filiis ex Bilhah famula Rachelis, de quibus Rachel dicit „Ecce famula mea Bilhah, veni ad illam, et *pariat super genua mea*, et aedificabor etiam ego ex illa" Genes: Cap: XXX: 3. Quod illi filii a Josepho agniti sint pro suis, est quia per Menaschen repraesentatur voluntarium Ecclesiae, ita bonum ejus, ac Internum, quod repraesentatur per Josephum, influit cum bono, non autem cum vero nisi per bonum; inde est, quod hi dicantur nati super genubus Josephi.

6586. Vers 24. 25. 26. *Et dixit Joseph ad fratres suos, ego morior, et Deus visitando visitabit vos, et ascendere faciet vos e terra hac, ad terram quam juravit Abrahamo, Jischako et Jacobo. Et adjuravit Joseph filios Israëlis, dicendo, visitando visitabit Deus vos, et ascendere facietis ossa mea exhinc. Et moriebatur Joseph filius centum et decem annorum; et condierunt eum, et ponebatur in arca in Aegypto.* Et dixit Joseph ad fratres suos, ego morior, significat praedictionem quod cessaturum Internum Ecclesiae: et Deus visitando visitabit vos, significat quod ultimum tempus venturum: et ascendere faciet vos e terra hac ad terram quam juravit Abrahamo, Jischako et Jacobo, significat quod ad statum Ecclesiae venturi, in quo fuerunt Antiqui: et adjuravit Joseph filios Israëlis, significat obstrictionem: visitando visitabit Deus vos, significat cum id ultimum Ecclesiae venturum: et ascendere facietis ossa

mea exhinc, significat quod repraesentativum Ecclesiae erit, non autem Ecclesia repraesentativa, quae etiam in Interno: et moriebatur Joseph, significat quod Internum Ecclesiae cessavit esse: filius centum et decem annorum, significat statum tunc: et condierunt eum, significat praeservationem usque: et ponebatur in arca in Aegypto, significat occultationem in scientificis Ecclesiae.

6587. Et dixit Joseph ad fratres suos, ego morior, quod significet praedictionem quod cessaturum Internum Ecclesiae, constat ex repraesentatione Josephi, quod sit Internum, de qua n: 6499, hic Internum Ecclesiae, quia de Ecclesia instaurata ab Interno, hoc est, per Internum a Domino, in praecedentibus actum est; et ex significatione mori, quod sit desinere esse tale, de qua n: 494, ita cessare; et quod mori sit ultimum tempus Ecclesiae, n: 2908. 2912. 2917. 2923; praedictio de hoc tempore, significatur per dixit Joseph ad fratres suos, nam in nunc sequentibus usque ad finem agitur de ulteriori statu Ecclesiae: inde patet, quod per dixit Joseph ad fratres suos ego morior, significetur quod cessaturum Internum Ecclesiae. Cum hoc ita se habet, ut Ecclesia sit, erit illa Interna et Externa, nam sunt qui in Interno Ecclesiae sunt, et sunt qui in Externo ejus sunt, illi pauci sunt, hi autem perplures; at usque apud quos Ecclesia interna est, etiam externa erit, nam Internum Ecclesiae non separari potest ab externo ejus; et quoque apud quos Ecclesia Externa est, etiam Interna erit, sed Interna apud hos est in obscuro. Internum Ecclesiae consistit in velle bonum ex corde, et affici bono, et Externum ejus est agere illud, et hoc secundum verum fidei quod ex bono novit; Externum autem Ecclesiae est obire sancte ritualia, et charitatis opera facere, secundum praecepta Ecclesiae: ex quibus constat, quod Internum Ecclesiae sit bonum charitatis voluntate; hoc itaque cum cessat, etiam ipsa Ecclesia cessat, nam bonum charitatis est essentiale ejus; remanet quidem postea cultus externus, sicut prius, sed tunc non est cultus, sed est ritus, qui conservatur quia ita institutum est; sed ritus hic, qui apparet sicut cultus, est sicut crusta absque nucleo, nam est Externum quod manet in quo non aliquid Internum; cum talis est Ecclesia, in fine suo est.

6588. Et Deus visitando visitabit vos, quod significet quod

ultimum tempus venturum, constat ex significatione visitari, quod sit ultimum tempus, hic oppressionis filiorum Israëlis in Aegypto; in sensu interno ultimum tempus Ecclesiae veteris, et primum novae; hoc ultimum tempus in Verbo vocatur Visitatio; et praedicatur tam de Ecclesia in communi, quam de illis, qui intra Ecclesiam sunt, in particulari; deque Ecclesia nova quae nascitur, et de Ecclesia vetere quae exspirat; in particulari de homine Ecclesiae, qui salvatur, tum quoque qui damnatur. Quod haec in Verbo significentur per Visitationem, et diem Visitationis, constare potest ab his locis; apud Lucam „Benedictus Dominus Deus Israëlis, quia *Visitavit*, et fecit liberationem populo suo: per viscera Misericordiae Dei nostri; in quibus *Visitavit nos* ortus ab alto, ut appareat illis qui in tenebris et umbra mortis sedent" I: 68. 78. 79; propheticum Zachariae de Domino nato; visitari hic pro exsuscitatione novae Ecclesiae, et illustratione tunc illorum, qui in ignorantia veri et boni fidei essent, ita de illorum liberatione; quare dicitur, visitavit et fecit liberationem populo suo, visitavit ut appareat illis qui in tenebris et umbra mortis sedent. Apud Mosen „Jehovah ad Mosen, congrega seniores Israëlis, et dic ad eos, Jehovah Deus patrum vestrorum visus est mihi, Deus Abrahami, Jischaki, et Jacobi, dicendo, *Visitando visitabo vos*, et quod factum est vobis in Aegypto" [Exod:] III: 16: et apud Eundem „Credidit populus et audiverunt, quod *Visitavisset Jehovah filios Israëlis*" [Exod:] IV: 31; Visitari hic pro ultimo tempore cum desiit Ecclesia, et pro primo cum inchoat; pro ultimo apud Aegyptios, et pro primo apud filios Israëlis, ita quoque pro horum liberatione. Apud Jeremiam „Babelem abducentur, ibique erunt usque *ad diem, quo visitavero eos;* tunc ascendere faciam vasa domus Dei, et reducam ea ad locum hunc" [33] XXVII: 22: apud Eundem „Cum impleti fuerint Babeli septuaginta anni, *Visitabo vos*, et stabiliam super vos verbum meum bonum, et reducam vos ad locum hunc" XXIX: 10; visitare pro liberare; in communi pro ultimo tempore captivitatis et desolationis. Visitatio et dies visitationis pro ultimo tempore Ecclesiae, apud Esaiam „Quid facietis *die Visitationis* et devastationis, e longinquo veniet, ad quem fugietis pro auxilio" X: 3. Apud Eundem „Ecce *dies*

Jehovae venit crudelis, et indignationis, et exscandescentiae, et irae, ad ponendum terram in vastitatem, *visitabo super orbem malum*, et super impios iniquitatem eorum" XIII: 11. Apud Jeremiam „Cadent inter cadentes, et *tempore visitationis eorum* impingent" VIII: 12. Apud Hoscheam „Venerunt *dies visitationis*, venerunt dies retributionis" IX: 7. Apud Mosen „Jehovah ad Mosen, veruntamen, i, duc populum hunc in, quam loquutus sum tibi; ecce Angelus meus ibit coram te, *at in die visitandi Me*, *visitabo* super peccatum eorum" Exod: XXXII: 34. Apud Lucam „Jesus de Hierosolyma; non relinquent in te lapidem super lapide, quia non agnovisti *tempus visitationis tuae*" XIX: 44; dies visitationis pro adventu Domini, et illustratione tunc; at respective ad gentem Judaicam, quia non agnovit, pro ultimo tempore repraesentativorum Ecclesiae apud illos; nam destructa Hierosolyma cessarunt sacrificia, et gens illa dispersa. Apud Ezechielem „Clamavit in auribus [34] meis vox magna, appropinquarunt *Visitationes urbis*, et viro instrumentum perditionis ejus in manu ejus" IX: 1, similiter. Apud Esaiam „Rephaim non resurgent, *eo quod visitasti*, exstinxisti eos" XXVI: 14, Rephaim pro posteritate Ecclesiae antiquissimae, quae ante diluvium, qui etiam vocati Nephilim et Enakim, de quibus videatur n: 567. 581. 1673; visitasti et exstinxisti Rephaim, pro ultimo tempore illius Ecclesiae; tum pro conjectione eorum in infernum, de qua re videatur n: 1265 ad 1272. Visitatio pro retributione, ita pro damnatione, apud Jeremiam „*num propter hoc non visitaverim;* aut num de gente, quae sicut haec, non sumserit ultionem anima mea" V: 9. Apud Eumdem [35] „Exitium Esavi adducam super eum, *tempore quo visitabo eum*" XLIX: 8. Apud Hoscheam „*Visitabo super illum vias illius*, et opera illius retribuam" IV: 9.

6589. Et ascendere faciet vos e terra hac ad terram quam juravit Abrahamo, Jischako et Jacobo, quod significet quod ad statum Ecclesiae venturi in quo fuerunt antiqui, constat ex significatione terrae Aegypti, e qua ascenderent, quod sit Ecclesia vastata, hanc repraesentabant Aegyptii per quod oppresserunt filios Israëlis, et interitum ejus per submersionem eorum in mare Suph; et a significatione terrae Canaanis, ad quam filii Israëlis ascensuri, quod sit Regnum Domini et Ecclesia, de qua n:

1607. 3038. 3481. 3705. [36] 4447. 4517; quod sit Ecclesia Antiqua, seu status Ecclesiae, in quo fuerunt Antiqui, significatur per quod Deus terram illam dare juraverit Abrahamo, Jischako et Jacobo, nam per hos in sensu supremo intelligitur Dominus, in sensu repraesentativo Regnum Ipsius in Coelis [et] Regnum Ipsius in terris quod est Ecclesia, n: 1965. 1989. 2011. 3245. 3305 f. 6098. 6185. 6276, quare jurare illis terram, est confirmare quod ad statum Ecclesiae, in quo fuerunt antiqui, venturi; non quod posteri Jacobi, nam illi non ad illius Ecclesiae statum venire potuerunt, sed solum ad externum ejus, nempe ad repraesentativa; et vix ad ea; sed quod illi qui significantur per filios Israëlis, qui sunt omnes qui ab Ecclesia spirituali sunt, tam qui tunc fuerunt, quam qui venturi. Quod jurare sit confirmare ex Divino, videatur n: 2842. 3375. Quod posteris Jacobi terra Canaan promissa et data fuerit, esset ut repraesentarent Ecclesiam; et hoc quia Ecclesia ab antiquis temporibus in terra illa fuerat, et tunc omnia illa loca nominata et facta repraesentativa, videatur n: 3686. 4447. 4516. 4517. 5136. 6516.

6590. Et adjuravit Joseph filios Israëlis, quod significet obstrictionem, constat absque explicatione.

6591. Visitando visitabit Deus vos, quod significet cum id ultimum Ecclesiae venturum, constat ex significatione visitare, quod sit ultimum Ecclesiae, de qua mox supra n: 6588.

6592. Et ascendere facietis ossa mea exhinc, quod significet quod repraesentativum Ecclesiae erit, non Ecclesia, quae etiam in Interno, constat ex repraesentatione Josephi, quod sit Internum Ecclesiae, de qua supra n: 6587; et quia per illum repraesentatur Internum Ecclesiae, per ossa ejus significatur id quod est maxime externum seu ultimum Ecclesiae, ita Repraesentativum ejus; nam Repraesentativa, quae fuerunt in Ecclesia Antiqua, et quoque quae instituta apud posteros Jacobi, erant Ecclesiae ultima, at quae significabant et repraesentabant, erant Ecclesiae interna; haec, nempe Interna, significantur per carnem in qua spiritus, at illa per Ossa; inde constare potest, qualis Ecclesia est, cum solum est in externis absque internis, quod nempe sit sicut ossea hominis compages absque carne. Quod apud populum Israëliticum et Judaicum non fuerit Ecclesia, sed

modo Ecclesiae Repraesentativum, videatur n: 4281. 4288. 4307. 4500. 4680. 4844. 4847. 4903. 6304: et quod Repraesentativum Eclesiae apud illos non prius institutum fuerit, quam postquam prorsus quoad Internum vastati fuerint, et quod alioquin prophanavissent sancta, n: 4289.

6593. Et moriebatur Joseph, quod significet quod Internum cessaverit esse, constat ex significatione mori, quod sit desinere tale esse, de qua n: 494. 6587; et ex repraesentatione Josephi, quod sit Internum, de qua n: 6499: de Ecclesia, qualis sit cum Internum cessaverit, videatur supra n: 6587. 6592.

6594. Filius centum et decem annorum, quod significet statum tunc, constat ex significatione centum et decem annorum, quod sint status et quale vitae scientificorum ab Interno, de qua n: 6582; quod anni sunt status, videatur n: 487. 488. 493.

6595. Et condierunt eum, quod significet praeservationem usque, constat ex significatione condire, quod sit praeservatio a contagio mali, de qua n: 6503. 6504. Quia hic agitur de fine Ecclesiae, dicendum quid per praeservationem usque intelligitur, cum Ecclesia desinit esse, quod fit cum Internum ejus apud hominem cessat, n: 6587. 6592, tunc manet usque Externum; at Externum est tale, ut in se habeat Internum; sed Internum hoc non est apud hominem tunc, quia non de eo cogitat, et si cogitaret non illo afficitur, sed est apud Angelos qui apud hominem; et quia homo vastatae Ecclesiae de Interno nihil cogitat, nec illo afficitur, et plurima pars nescit quod sit, idcirco Internum ab homine laedi non potest; nam quod homo novit, et magis quod semel credidit, hoc potest ille laedere, non autem quod vel nescit, vel non credit esse; sic *praeservatur* Internum Ecclesiae, ne afficiatur aliquo malo: ita apud posteros Jacobi praeservata fuerunt Interna Ecclesiae; erant enim in Externis absque Interno, adeo ut ne quidem scire vellent de aliquo Interno; quapropter Interna Ecclesiae nec illis revelata fuerunt: Quod posteris Jacobi non detecta fuerint Interna, ne laederent illa prophanando, videatur n: 3398. 3480: [37] et quod illi non prophanare queant Interna Ecclesiae, qui non credunt illa, et minus illi qui ignorant, n: 593. 1008. 1059. 2051. 3398. 3402. 3898. 4289. 4601: tum

Yy

quod Interiora Ecclesiae non prius revelentur, quam cum Ecclesia vastata est, quia tunc non amplius creduntur, ita nec prophanari possunt, n: 3398. 3399. Haec sunt, quae intelliguntur per praeservationem.

6596. Et ponebatur in arca in Aegypto, quod significet occultationem in scientificis Ecclesiae, constat ex significatione Arcae, quod sit in quo aliquid reconditur seu occultatur; et ex significatione Aegypti, quod sint scientifica Ecclesiae, de qua n: 4749. 4964. 4966; et scientifica Ecclesiae erant eo tempore cognitiones Repraesentativorum et significativorum quae fuerunt in Antiqua Ecclesia; in his occultatio Interni significatur per illa verba; de occultatione Interni Ecclesiae, et inde praeservatione ne laedatur, videatur mox supra n: 6595. Quod Arca sit in quo aliquid reconditur seu occultatur, constare potest ex *Arca Testimonii*, quod illa ideo dicta sit Arca, quia in illa recondebatur Testimonium seu Lex.

6597. Actum est nunc de sensu interno rerum in Libro Geneseos; sed quia in hoc Libro omnia Historica sunt, praeter in Capit: XLVIII: et XLIX, ubi etiam Prophetica, idcirco vix apparere potest, quod ille sit sensus internus qui expositus est, Historica enim detinent mentem in sensu literali, ac ita removent a sensu interno, et eo magis, quia sensus internus prorsus a literali differt, agit enim hic de spiritualibus et coelestibus, et ille de mundanis et terrestribus. Sed quod Sensus Internus talis sit sicut expositus, patet a singulis quae explicata sunt, et praecipue ex eo, quod ille e coelo mihi dictatus fuerit.

Continuatio De Influxu et de Commercio Animae et Corporis.

6598. *Notum est, quod unus homo prae altero polleat facultate intelligendi et percipiendi quid honestum in vita morali, quid justum in vita civili, et quid bonum in vita spirituali; causa consistit in elevatione cogitationis ad illa quae coeli sunt, inde abducitur cogitatio a sensualibus externis; qui enim*

ex sensualibus solum cogitant, ne hilum possunt videre quid honestum, justum et bonum; quare fidunt aliis, et ex memoria multum loquuntur, et per hoc sibi apparent aliis sapientiores: qui autem supra sensualia cogitare possunt, si ordinata sunt illa quae in memoria, in facultate intelligendi et percipiendi prae aliis sunt, et hoc secundum gradum intuitionis ab interiori.

6599. *Quomodo se habet cum illis qui in sensuali cogitant, et cum illis qui supra sensuale, et qualis influxus est in hos et in illos, licet ab experientia tradere. Sed prius sciendum, quod cogitatio hominis distincta sit in ideas, et quod una idea sequatur alteram, sicut una vox alteram in loquela; sed ideae cogitationis excipiunt una alteram tali celeritate, ut cogitatio appareat homini cum in corpore est, sicut continua, ac ideo nulla distinctio; verum in altera vita se manifestat, quod cogitatio in ideas distincta sit, loquela enim tunc fit per ideas, n:* 2470. 2478. 2479. *Quomodo se habet cum cogitatione et ejus ideis, nunc dicendum est, nempe quod* Cogitatio se diffundat in societates spirituum et angelorum circumcirca, *et quod facultas intelligendi et percipiendi sit secundum extensionem illuc, hoc est, secundum influxum inde; et deinde, quod* in una idea cogitationis sint innumerabilia, *et magis in una cogitatione ex ideis composita.*

6600. *Manifeste ostensum est mihi, quod cogitatio hominis, et quoque spirituum, ut et angelorum, se circumfundat in plures societates in mundo spirituali, sed unius cogitatio diversimode quam alterius: ut id pro certo scirem, datum est loqui cum quibusdam societatibus, ad quas pervasit mea cogitatio, ac inde datum scire, quod in cogitationem influebat, e qua societate illud, tum ubinam esset, et qualis, sic ut falli non potuerim. Secundum extensionem cogitationum et affectionum in societates fit facultas intelligendi et percipiendi apud hominem, spiritum, et angelum. Qui in bono charitatis et fidei est, is extensionem habet in societates coeli, amplam secundum gradum quo in illis est, et quo in genuino bono, concordant enim illa cum coelo, quapropter influunt illuc sua sponte et late: sunt usque societates aliae, in quas pervadit affectio veri, et aliae in quas affectio boni: affectio veri pervadit ad*

societates Angelorum spiritualium, at affectio boni ad societates angelorum coelestium. Vicissim autem, cogitatio et affectio illorum, qui in malo et falso sunt, illae extensionem habent in societates infernales, et hoc quoque secundum gradum mali et falsi apud illos. Dicitur quod cogitatio et affectio hominis, spiritus, et angeli, se circumfundant in societates, et quod inde intellectus et perceptio; sed sciendum est, quod secundum apparentiam ita dictum sit, non enim est influxus cogitationum et affectionum in societates, sed a societatibus, et quidem per angelos et spiritus apud hominem; nam, ut ad finem praecedentium Capitum [38] *ostensum est, omnis influxus fit ab interiori, ita apud bonos e coelo, hoc est, per coelum a Domino, et apud malos est influxus ab inferno.*

6601. *Mane quodam ostensum est manifeste, quod unicuique ideae et affectiunculae innumerabilia inessent, tum quod illae penetrarent in societates: tenebar in quadam affectione et inde cogitatione per aliquod tempus, et tunc ostensum quot societates concurrerent; erant quinque societates, quae se manifestabant per vivum sermonem, dicebant quid cogitabant, et quoque quod apperceperint, quod cogitationes illae apud me essent; praeter quod etiam scirent, ad quae ego non attendi, causas rerum quae cogitabantur, et quoque fines; reliquae societates, quae erant plures, ad quas extendebatur cogitatio, non ita manifestatae sunt, erant etiam remotiores. Cum Extensione cogitationis ab objectis, quae sunt res de quibus cogitatur, se habet sicut cum objectis visus, ab his se diffundit sphaera radiorum ad multam distantiam, quae incidit in visum hominis, et hoc ad majorem et minorem distantiam secundum rutilum et flammeum in objecto; si enim flammeum, apparet hoc multo longinquius, quam nubilum et fuscum; similiter visus internus, qui est cogitationis, a suis objectis; hujus visus objecta non sunt materialia, sicut objecta in mundo, sed sunt spiritualia, ac ideo se diffundunt ad talia quae in mundo spirituali sunt, ita ad vera et bona ibi, proinde ad societates quae in illis sunt; et sicut flammeum in mundo se longissime circumfundit, ita bonum et ejus affectio in mundo spirituali, nam affectioni boni flamma correspondet. Ex his constare potest, quod qualitas vitae hominis se habeat prorsus secundum societates, in quas*

cogitatio et affectio ejus se extendit, et secundum extensionis quale et quantum.

6602. *Quod sphaerae* [39] *cogitationum et affectionum extendant se circumcirca in sphaeras societatum, quae inde dissitae sunt, constare mihi potuit etiam ex eo, cum cogitavi ex affectione de talibus quae in specie movebant societatem e longinquo, quod illi tunc mecum loquuti sint de eadem re, dicentes quid sentirent, hoc aliquoties factum est; societas una erat ad dextrum, ad multam satis distantiam, in plano partis inferioris thoracis; et alia etiam ad dextrum propius, quae in plano genuum. Quod appercipiatur distantia, est a statu affectionis veri et boni, quantum status unius societatis a statu alterius discrepat, tantum apparent societates remotae ad distantiam.*

6603. *At sciendum, quod cogitationes et affectiones, quae pervadunt in societates, non ibi societates in specie moveant ad cogitandum et volendum ita quemadmodum homo, spiritus, aut angelus, a quo cogitationes et affectiones exeunt, sed intrant in sphaeram universalem affectionis et inde cogitationis illarum societatum; inde societates nihil de eo sciunt: est enim sphaera spiritualis, in qua sunt omnes societates, varia apud unamquamvis, in hanc sphaeram cum intrant cogitationes et affectiones, societates non afficiuntur: omnes cogitationes et affectiones intrant in sphaeras societatum, cum quibus conveniunt: inde est, quod extensiones dentur quaquaversum in libero, sicut extensiones radiorum ab objectis in mundo, quae libere pervadunt undequaque ad visum cujusvis qui circumstat, cum varietate secundum visus claritatem et hebetudinem, et quoque secundum atmosphaerae serenum vel obscurum; sereno atmosphaerae correspondet in mundo spirituali affectio sciendi verum et bonum.*

6604. *Apparuit mihi aliquoties Angelus, et facies ejus conspicue, quae continue variabatur secundum affectiones, qualiter illae sibi mutuo succedebant apud illum in ordine, ita ab uno limite ad alterum, manente usque affectione universaliter regnante, e qua cognosci potuit quod idem angelus esset; et instructus sum, quod mutationes ejus faciei venirent ex societatibus, cum quibus ei communicatio fuit, et quod existerent se-*

cundum variationes communicationis propioris cum una quam cum altera; ac ita successive: extensio enim affectionum et cogitationum limites suos habet, et in ultimis societatibus evanescit, et abit sicut visus in universum; intra limites communis illius sphaerae variari cogitationes et affectiones possunt, et jam propiores esse uni societati, jam alteri; cum in medio unius sunt, tunc reliquae societates sunt ei in peripheriis; et sic porro cum omni variatione intra illos limites.

6605. *Dignum observatu est, quod sicut universum coelum refert unum hominem, qui inde Maximus Homo vocatur, de quo ad fines plurium Capitum, ita unaquaevis societas similiter referat hominem, nam imago universi coeli influit in societates, et facit ut illae similes sint, nec modo in societates, sed etiam in singulos in societate, inde forma singulis humana, nam unusquisque in societate angelica est in minima forma coelum; varietates formae humanae eorum se habent secundum quale boni et veri apud illos: inde est, quod quisque spiritus et angelus appareat in forma prorsus secundum communicationem ejus cogitationum et affectionum cum societatibus; inde sicut in bono et vero sunt, ita in forma pulchriore humana; at si communicatio cogitationum et affectionum diffusa est in societates non secundum ordinem coelestem, tunc forma in eo gradu impulchra est: si autem communicatio est cum societatibus infernalibus, tunc forma deformis est et diabolica; et qui prorsus in opposito sunt contra bonum et verum, quia in opposito sunt contra formam coeli, quae est humana, apparent in luce coeli non sicut homines, sed sicut monstra; ita totum infernum, ita societates ibi, ac ita singuli in societatibus; etiam cum varietate secundum gradum oppositionis mali contra bonum, et inde falsi contra verum.*

6606. *Observavi quando loquerer cum spiritibus Angelicis, quod affectiones et cogitationes apparerent instar fluvii circum, et quod res cogitationis esset in medio circumcincta illo fluvio, et quod hic inde quaquaversum extensus esset: ex quo etiam manifestatum est, quod cogitationes et affectiones se extenderent undequaque ad societates.*

6607. *Ostensum est, quod cogitationes cum affectionibus cum se effundant, circulent paene secundum* [40] *formam cir-*

cunvolutionum substantiae cineritiae in Cerebro humano; visae mihi sunt diu circumfluxiones, erant circuitiones, inflexiones, insinuationes, et emersiones, quales sunt dictae substantiae in cerebris. Sed formae coeli sunt adhuc mirabiliores, et tales ut nusquam comprehendi queant, ne quidem ab angelis; in tali forma sunt societates angelicae in coelis, et in talem formam cogitationes angelorum fluunt; et paene in instanti ad multam distantiam, quia secundum formam infinite perfectam.

6608. *Lux intellectualis mihi data, adempta, diminuta, et moderata, in cogitandis, loquendis et scribendis, et hoc frequenter, et mihi datum percipere varietates et discrimina; ipsa lux percepta est sicut illuminatio, quae visus interioris substantias illustravit, sicut lumen solis organa visus; communis illa illuminatio faciebat ut objecta rerum apparerent, sicut objecta telluris illuminato oculo; et instructus sum, quod variationes illae exstiterint secundum communicationes cum societatibus coëlestibus.*

6609. *Cogitationes et loquelae societatum, intra quas erat mea cogitatio, aliquoties mihi repraesentata fuerunt* [41] *per nubes quae ascendebant et descendebant in caeruleo; ex nubium formis, coloribus, tenuitate et densitate, cognoscere datum est, quid influebat, veritates repraesentabantur per colorem caeruleum mixtum candido pulchro, candor non describi potest; apparentiae veri repraesentabantur per candorem obscurum, et falsitates per nubes nigras; inde quoque influxus cogitationum et affectionum sciri potuit.*

6610. *Quamdiu homo vivit, ideae ejus cogitationis variantur, nempe multiplicantur et dividuntur, ac ita extenduntur ad varias societates et novas; apud illos qui in malo sunt, ad societates infernales, similiter apud illos qui in persuasionibus falsi; apud illos autem qui in persuasionibus veri, hoc est, qui in fide persuasiva, ideae cogitationis valde coarctantur. Ast apud illos qui regenerantur, cogitationes et affectiones continue insinuantur in novas societates coelestes, et crescit extensio; et quoque priores cogitationes et affectiones dividuntur, et divisae associantur ideis, quae cum novis iterum societatibus communicantur: imprimis implentur communia par-*

ticularibus, et haec singularibus, ita veritatibus novis, ex quibus illuminatio crescit.

6611. *Loquutus sum cum spiritibus de mutationibus status vitae hominis, quod sit inconstans, et quod feratur sursum et deorsum, nempe versus coelum, et versus infernum: at qui se patiuntur regenerari, quod ferantur continue sursum, ac ita in interiores semper societates coelestes: extensio sphaerae in societates illas a Domino datur illis qui regenerantur imprimis per tentationes, in quibus resistitur malis et falsis, nam pugnat tunc Dominus per angelos contra mala et falsa, et sic in angelorum illorum societates, quae interiores sunt, homo introducitur; et in quas semel introductus est, ibi manet; et inde quoque accipit facultatem extensiorem et elevatiorem percipiendi.*

6612. *Ex his etiam patet, quod homo, quo exterius cogitat, eo minorem extensionem habeat; et quo interius eo majorem, nam qui exterius cogitant, hoc est, qui in sensuali, illi communicant solum cum spiritibus crassioribus, at qui interius, hoc est, ex rationali, illi communicationem habent cum angelis, quae qualis differentia, constare potest a densitate sphaerae in qua sunt spiritus sensuales, et ex puritate sphaerae in qua sunt angeli coeli; se habet differentia, sicut differentia inter extensionem soni, et extensionem lucis, quae quanta sit, naturalium periti sciunt.*

6613. Quod in una idea cogitationis sint innumerabilia, et magis in una cogitatione ex ideis composita, *scire datum est ex multa experientia, quam hic quoad aliquam partem adducere licet.*

6614. *Ostensum est per vivam experientiam, quomodo ideae angelicae influunt in ideas spirituum, qui infra sunt, ac ideo in crassioribus ideis; idearum copia ex coelo angelico sistebatur visibilis sicut nubes candida distincta in moleculas, unaquaevis molecula, quae constabat ex innumerabilibus, producebat unam simplicem ideam apud spiritum; et dein ostensum quod millia et millia inessent, quae quoque per nubem loquelae spirituum repraesentata sunt. De his loquutus dein sum cum spiritibus, quod illustrari queant illa per objecta visus, unum objectum, quod apparet simplex, cum inspicitur vitro*

optico, tunc sistuntur videnda millia non visa, sicut vermiculi minores, qui apparent sicut unum obscurum, inspecti microscopio non solum plures sunt, sed quisque in forma; quae si adhuc subtiliori visu inspicitur, videntur organa, membra, viscera, et quoque vasa et fibrae: ita quoque se habet cum ideis cogitationis, unicuique millia et millia insunt, tametsi plures ideae simul, ex quibus cogitatio, modo sicut simplex apparent. [42] *Sed usque unius cogitationis ideis plura insunt, quam ideis alterius; copia, quae inest, se habet secundum extensionem in societates.*

6615. *Cogitatio Angelorum cum delabitur ad inferiora, apparet, ut mox supra dictum, sicut nubes candida; at cogitatio angelorum qui in superioribus coelis, cum delabitur, apparet instar lucis flammeae, ex qua vibratio splendoris; nubes illa candida, et lux flammea non aliud sunt, quam innumerabilia quae cogitationi illorum insunt; haec cum influunt in cogitationem spirituum, qui infra sunt, ibi sistuntur modo sicut unum; lux et splendor influit in cogitationem illorum, et flammeum in affectionem, quae amoris, quae ducit ideas et conjungit illas; sed lucidum flammeum et vibratile splendens, non apparet illis; sed visa sunt mihi, ut scirem quod superiora influant in inferiora; et quod innumerabilia sint, quae sicut unum percipiuntur.*

6616. *Quod in una idea tot insint, etiam constare mihi potuit ex eo, quod cum audirem spiritus mecum loquentes, solum ex sono vocis loquelae eorum possem percipere, num loquuti sunt ex simulato, num ex sincero, num ex amico, aut num ex bono amoris; hoc homo videre potest ex vultu alterius, et quoque aliquatenus audire ex loquela ejus; nam cum homo videt vultum erga se laetum, et audit loquelam faventem, appercipere potest num simulatum insit, num dolosum, num hilare ex naturali aut contingente, num verecundum, num amicum, num insanum, et plura; indicium quoque quod cuivis ideae innumerabilia insint. Quando de his cum spiritibus loquutus sum, quidam eorum increduli erant, quare sublati sunt in regionem superiorem, et inde mecum loquuti dicebant, quod innumera viderent in unaquavis idea cogitationis meae; et sic crediderunt.*

6617. *Quod uni ideae innumerabilia insint, etiam constare mihi potuit ex eo, quod Angeli momento percipiunt apud spiritum et apud hominem ejus vitam, modo cum audiunt illum loquentem, aut cum inspiciunt cogitationem ejus; hoc videre possunt angeli inferioris coeli, et adhuc plura angeli superioris. Quidam spiritus bonus sublatus est in primum coelum, et inde loquutus mecum dicebat, quod infinita videret in illis, quae tunc legebam in Verbo, cum tamen de illa re modo mihi simplex cogitatio esset; postea in interius coelum sublatus est, et inde dicebat, quod nunc videret adhuc plura, et tam multa, ut priora quae viderat, ei crassa sint respective: inde dein adhuc interius sublatus est, ubi angeli coelestes, et inde dicebat, quod quae prius viderat, vix aliquid essent respective ad illa quae nunc videret: cum hoc perstabat, varia influebant, et variis afficiebar, quae erant inde.*

6618. *Quidam spiritus gloriati sunt, quod omnia scirent, spiritus illi in Maximo Homine referunt memoriam; sed illis dictum, quod indefinita sint, quae non sciunt, imo quod una idea impleri possit indefinitis, et quod illa usque appareret sicut simplex; tum quod si in aeternum quotidie pluribus implerentur ideae, ne quidem omnia communia scire possent, et quod inde concludere quirent, quantum sit quod non sciunt: hoc quoque illis ostensum est, usque ut agnoscerent; loquutus est Angelus cum illis per mutationes status, sed illa quae loquutus, non potuerunt intelligere; et tunc iis dictum, quod unaquaevis mutatio indefinita contineret, quae tamen apud illos ne quidem appercipiuntur, nam praeter quod non intelligerent, nec afficiebantur illis.*

6619. *Quod innumerabilia insint ideis cogitationis, et quod illa quae insunt ordine insint ab interioribus, patuit etiam mihi, cum mane et vespere legi Orationem Domini; toties tunc ideae cogitationis meae aperiebantur versus coelum, et influebant innumera, sic ut animadverterem clare quod ideae cogitationis ex Orationis contentis captae, implerentur e coelo: ac talia quoque infunderentur, quae enuntiari nequeunt, et quoque quae non a me comprehendi potuerunt, modo affectionem inde resultantem communem sensi: et quod mirum, illa quae influebant, quotidie variabantur: inde datum est scire, quod in Ora-*

tionis illius contentis plura insint, quam universum coelum capax est comprehendere; et quod eo plura insint apud hominem, quo cogitatio ejus magis aperta est versus coelum; et vicissim quod eo pauciora quo cogitatio ejus magis clausa; apud eos enim, quibus cogitatio clausa est, nihil plus inibi apparet, quam sensus literae seu proximus vocum.

6620. *Ex illis sciri potest, quam infinita quoque insunt unicuique rei Verbi, nam hoc a Domino per Coelum descendit, tametsi illud apparet iis quibus clausae sunt ideae, sicut simplicissimum. De hac re quondam loquutus sum cum Spiritibus, qui negarunt aliquid intus in Verbo latere, et dicebam quod infinita et ineffabilia inibi essent, quae ab illis non possunt percipi, qui habent ideas clausas, quare non aliud quam sensum literalem admittunt, quem interpretantur ad favorem suorum principiorum et cupiditatum, et sic praecludunt sibi aditum ad illa quae inibi recondita sunt, ac ipsas suas ideas vel exinaniunt, vel compingunt. Tunc quoque ostendebatur, qualis idea cogitationis apparet, cum clausa est, et qualis cum aperta, hoc enim in luce coeli facile ostendi potest; idea clausa apparuit instar puncti nigri, in quo non aliquid visibile; at idea aperta sicut lucidum, in quo velut flammeum, ad quod singula ibi spectabant; flammeum repraesentabat Dominum, et quae ad Illum spectabant repraesentabant Coelum; et dictum, quod in unaquavis idea, quae a Domino, sit imago totius coeli, quia ab Ipso Qui est Coelum.*

6621. *Qui in vita corporis solum studuerunt arti criticae cum legerunt Verbum, parum de sensu solliciti, cogitationes eorum repraesentatae sunt sicut lineae clausae non apertibiles, et sicut textura inde: quidam tales apud me fuerunt, tunc omnia, quae cogitabantur et scribebantur, confusa fiebant, cogitatione quasi in carcere detenta, nam solum determinabatur ad voces abstrahendo mentem a sensu, adeo ut maximopere me defatigarent: et usque illi se credebant aliis sapientiores.*

6622. *Loquutus sum cum Spiritibus de Influxu in ideas cogitationis, quod homo nequaquam credere possit, quod tam innumerabilia insint, nam capiunt non nisi quam simplex et unicum quid; ita ex sensuali exteriori judicant: spiritus, cum quibus tunc loquutus, in opinione erant, quod non aliquid intus*

in ideis esset, id sibi impresserunt in vita corporis; ut autem comprehenderent, quod innumerabilia sicut unum percipiant, dicere datum quod ad unam actionem concurrant motus myriadum fibrarum motricium, et quod quoque simul ad illam actionem omnia quae in corpore se commoveant et adaptent tam in communi quam in particulari, et tamen actiuncula illa apparet simplex et unica, quasi nihil tale inesset: similiter quod ad unam vocem concurrant simul innumera, prout plicationes labiorum, ac omnium ibi musculorum et fibrarum; tum quoque linguae, gutturis, laryngis, tracheae, pulmonum, diaphragmatis, cum omnibus illorum musculis in communi et in particulari; cum homo unam inde vocem, ut modo simplicem sonum cui nihil inest, appercipit, constare potest, quam crassa est perceptio ex sensuali; quid non perceptio ex sensuali de ideis cogitationis quae in puriori mundo sunt, et sic a sensuali remotiores.

6623. *Quia tam innumerabilia insunt ideis cogitationis, Angeli scire possunt solum ex una voce quae prodit ex cogitatione, qualis spiritus aut qualis homo est: hoc quoque confirmatum est per experientiam; cum solum nominabatur* VERUM, *quod factum a spiritibus pluribus successive, audiebatur illico num durum, num asperum, num molle, num infantile, num charum, num innocens, num plenum, num vacuum, num inibi falsum, num simulatum, num clausum, num apertum, et illa in quo gradu, verbo ipsum quale ideae, et hoc solum in communi, quid non in singularibus, quae Angeli percipiunt.*

6624. *Quia homo ex sensuali cogitat, talia ei obscura sunt, imo ita obscura, ut nesciat quid idea, et imprimis quod cogitatio sit distincta in ideas, sicut loquela in voces, ei enim apparet cogitatio continua, et non discreta, cum tamen ideae cogitationis sunt voces spirituum, ac ideae cogitationis adhuc interioris voces angelorum: ideae, quia sunt voces loquelae, etiam sunt sonorae inter spiritus et angelos; inde cogitatio hominis tacita est audibilis spiritibus et Angelis, quando Domino ita placet. Quam perfectae sunt ideae cogitationis prae vocibus loquelae, constare potest ex eo, quod homo intra minutum possit plura cogitare, quam potest eloqui aut scribere per horam; tum quoque constare potuit ex loquela cum spiritibus et*

Angelis, tunc enim momento implevi rem communem singularibus, adjuncta affectione, inde Angeli et spiritus distincte capiebant omnia, et multo plura, quae apparebant circum rem illam sicut nimbus.

6625. *Ex his nunc constare potest, quales ideae sunt illorum qui male vivunt et inde male cogitant, quod nempe inibi sint odia, sint vindictae, sint invidiae, sint doli, sint adulteria, sint fastus, sint decora externa simulantia honesti, sint castitates propter apparentiam, sint amicitiae propter honores et lucra et tamen nullae amicitiae, praeter spurca et foeda quae non enuntianda sunt; ac praeterea quod sint aliqua doctrinalia fidei, quae patrocinantur cupiditatibus, et nisi id, incredulitates, et quoque subsannationes; haec et talia insunt ideis illorum qui male vivunt, et inde male cogitant. Cum talia insunt, non potest, cum tales in alteram vitam veniunt, quin separentur et removeantur longe e coelo, ubi talia horrori sunt.*

6626. *Mirabilia referam; Dominus Qui solus est Homo, ex Quo Angeli, Spiritus, et incolae telluris, homines vocantur; Ipse per influxum suum in Coelum facit, ut universum coelum repraesentet et referat unum hominem; et per influxum per coelum et a Se immediate in singulos ibi, facit ut unusquisque appareat ut homo, Angeli in pulchriore et splendidiore forma, quam ut describi queat; similiter per influxum in spiritum hominis; imo apud Angelum, spiritum et hominem, qui in charitate erga proximum et in amore in Dominum vivit, omnium minima cogitationis referunt hominem, ex causa, quia charitas illa et amor ille est a Domino, et quicquid a Domino est, hoc refert hominem; illa etiam sunt quae faciunt hominem. Vice versa autem in Inferno, quia illi, qui ibi, in contrariis charitati et amori coelesti sunt, in suo lumine quidem apparent sicut homines, at in luce coeli sicut monstra horrenda, in quorum quibusdam vix aliquid humanae formae cognoscitur; causa est, quia influxus Domini per coelum non recipitur, sed rejicitur, vel exstinguitur, vel pervertitur, unde tales apparent: similiter in minimis eorum cogitationis, seu in ideis, tales formae sunt, nam qualis quis est in toto, talis est in parte, sunt enim analoga et homogenea: illa forma, in qua*

apparent, est etiam forma Inferni in quo sunt; quodlibet enim Infernum habet suam formam, quae in luce coeli est instar monstri, et qui eorum inde apparent, dignoscuntur ex forma, e quo Inferno sunt: apparuerunt mihi in portis, quae patuerunt in mundum spirituum, et visi sunt sicut monstra multa varietate: quod portae inferni in mundum spirituum pateant, videatur n: 5852.

FINIS LIBRI GENESEOS.

ERRATA.

Vol. III. p. 263. l. 18. pro aa lege ad.
— — p. 363. l. 24. post Pro l. signum divisionis.
— IV. p. 32. l. 1. infr. pro uorum l. suorum.
— — p. 302. l. 19. pro qnae l. quae.
— V. p. 882. l. 10. infr. pro hac l. haec.
— VI. p. 386. l. 14. pro 878 l. 574.
— VII. p. 764. post l. ult. l. Finis Partis Quartae.
— VIII. p. 238. l. 1. pro Geensis l. Genesis.
— — p. 541. l. 8. pro e l. et (in multis certe exemplis).
— — p. 570. l. 4. pro Jischacum l. Jischakum, ut habet constanter Editio I.
— — p. 585. l. 3. infr. pro cofirmatione l. confirmatione.
— — p. 586. l. 5. pro signficatione l. significatione.
— — p. 622. l. 1. infr. post Domi pone signum divisionis.